

Nota: "Insecta Brasiliensia" foi impresso em três partes:

1830 : pp. 1-60, pls. 1-12.
1832 : pp. 61-124, pls. 13-24.
1833 : pp. 125-224, pls. 25-40.

(vide Horn & Schenkling, 1928 : 932).





DELECTUS ANIMALIUM ARTICULATORUM,

QUAE

IN ITINERE PER BRASILIAM

ANNIS MDCCCXVII — MDCCCXX

JUSSU ET AUSPICIIS

MAXIMILIANI JOSEPHI I.

BAVARIAE REGIS AUGUSTISSIMI

PERACTO

COLLEGERUNT

DR. J. B. DE SPIX,

QUONDAM ORDINIS REGII CORONAE CIVILIS BAVARICAE EQUES, ACADEMIAE SCIENTIARUM BAVARICAE SOCIUS ORDINARIUS, MUSEI REGII ZOOLOGICI, ZOOTOMICI ET ETHNOGRAPHICI CONSERVATOR, REL.

ET

DR. C. F. PH. DE MARTIUS.

DIGESSIT, DESCRIPSIT, PINGENDA CURAVIT

DR. MAXIMILIANUS PERTY,

HISTORIAE NATURALIS PROFESSOR IN ACADEMIA BERNENSI

PRAEFATUS EST ET EDIDIT

CAROL. FRIDERIC. PHILIP. DE MARTIUS,

ORDINIS REGII CORONAE CIVILIS BAVARICAE EQUES, MED. ET PHIL. DOCTOR, BOTANICES IN UNIV. LUDOVICO-MAXIMILIANEA P. P. O., HORTI REGII MONAC. CONDIRECTOR; ACAD. LITER. BAVAR., ACAD. CAES. LEOP. CAR. NAT. CUR., SOC. CAES. NAT. CUR. MOSQ. ET R. BOT. RATISB. SOC. ORD.; SOC. HORTIC. LONDIN. SOC. EXTR.; ACAD. R. SCIENT. BORUSS., ACAD. CAES. R. SCIENT. LITT. ET ART. PATAVIN., ACAD. SCIENT. NATUR. PHILADELPH., INSTITUTI GALLIAE, SOC. LINNAEAN. LONDIN. ATQUE MED. BOT. LONDIN., PATRIOT. HAVANENS., NAT. SCRUT. SENKENB., NORIMB. AC PHYTOGR. LUND. AB EPIST.; SOC. MUS. PATR. BOHEM., NAT. SCRUT. HELV., GENEV., MARB., RHENAN., MED. PHYS. DRESD. ET ERLANG., LINNAEAN. PARIS., PHARMAC. BAVAR. ET GERM. INFER. AGRAR. BAVAR. ET BADENS. AC R. GEOGRAPH. LONDIN. SOC. HONOR.

ACCEDIT DISSERTATIO DE INSECTORUM IN AMERICA MERIDIONALI HABITANTIUM VITAE GENERE, MORIBUS ET DISTRIBUTIONE GEOGRAPHICA.

MONACHII,

IMPENSIS EDITORIS.

1830 — 1834.

Prostat Amstelodami apud MÜLLER et Soc., Hamburgi apud PERTHES et BESSER, Lipsiae apud FR. FLEISCHER, Londini apud TREUTTEL, WÜRTZ et RICHTER, Manhemii apud ARTARIA et FONTAINE, Parisiis apud RENOUARD, et apud TREUTTEL et WÜRTZ, Vindobonae apud ROHRMANN et SCHWEIGERD nec non apud SCHAUMBURG et Soc.

Car. de Martius Lectori salutem!

Cum Spixio viro nobis amicissimo per Brasiliam iter facientibus imprimis necessarium nobis visum est, varia naturae miracula in illis terris exuberantia aequis oculis perlustrare, eo consilio, ut reduces omnium Brasiliae rerum naturalium universam quasi imaginem exhibere, et quid ferat illa tellus, quid ferre recuset quibusve formis polleat accurate enarrare possemus. Cui quidem negotio summa nobis cura et, ut ita dicam, improbus labor eo diligentius fuit adhibendus, quod Brasilia tunc temporis fere inaccessa paucis hominibus Europaeis cognita jacebat. Itaque vel iis animalculis, quae Insectorum s. Articulatorum nomine nuncupantur, ibique et multitudine et eximia formarum varietate colorumque splendore atque mirabili diversarum metamorphoseôn ordine naturae scrutatores aeque delectant atque exercent, animum advertimus. Quorum quidem colligendorum eo frequentior data nobis fuit occasio, quo major illorum copia in Brasilia est, quorum alia per humum repunt, alia denso agmine per aquas natant, aut pellucidum aërem pervolitant, tum colorum varietate tum gemmeo quasi nitore oculos allicientia, alia, levis et protervus popellus, per arborum folia et balsameos flores vagantur, unde viatorum aures rauco atque unisono cantu obtundunt.

Sed regiones illas nobis obeuntibus ea difficultas oborta est, quod in tanta tamque varia naturae ubertate, quâ Brasiliam plurimis orbis terrarum plagis antecellere nunc satis notum est, omnia, quae nobis se obtulissent, non solum colligendi sed rite etiam perscrutandi saepe otium deesset. Nihilo tamen secius ex omnibus Brasiliae provinciis, quas inde a tropico Capricorni usque ad lineam Aequatoris et



ab Oceani ora usque ad meridianum 75 a specula Parisiensi per mediterranea peragravimus, maximam Insectorum multitudinem coëgimus, quae nunc in R. museo Monacensi asservatur. Continet haec collectio 2700 species, quarum 1800 Coleopteris, Orthopteris 120, Neuropteris 30, Hymenopteris 120, Lepidopteris 120, Hemipteris 250, Dipteris vero 100 adscribendae sunt.

Nihil sane nobis peregrinantibus jucundius atque fructuosius fuisset, quam illorum animalculorum victum, mores, rationem vitae, metamorphoses et distributionem geographicam observare, a quo negotio, quum festinatio itineris atque variae rerum vicissitudines urgerent, desistendum atque in colligendis tantum animalibus ad quiescendum nobis erat; ceterum quum commode his studiis vacare non possemus, non parum animum nostrum solabatur spes, fore, ut omnibus, quas nacti essemus, Insectorum speciebus compositis et secundum ordines, familias atque genera descriptis Zoologiae incrementum haud spernendum afferretur, dum hoc opere varios quasi evolutionis gradus et formarum, ut ita dicam, circulos quam late in Brasilia paterent, quive inde excluderentur, commentariis iconibusque illustraremus. Quae animo volvens b. SPIXIUS noster ex itinere redux animalium brasiliensium historiam scribere aggressus, simiarum, vespertilionum, avium, lacertarum et testudinum species, quas descriptione egere existimabat, in libris suis exhibuit. Serpentes autem WAGLERO*) illustrandos commisit, quem virum doctissimum repentina et acerbissima morte nobis et literis nuper ereptum lugemus. Itaque reliqua in nos redierunt, quae in publicum proferre tam pietas erga defunctum amicum, quam, quo incendimur, studium historiae naturalis exornandae flagitare videbatur.


Quae his causis commoti edidimus opera de piscibus deque testaceis virorum amicissimorum AGASSIZ et ANDR. WAGNER studio elaborata omnium e Brasilia allatorum animalium, quae illustratione indigerent, numerum absolverunt, exceptis insectis; quam ob causam id unum perficiendum videbatur, ut his quoque illustrandis opus peculiare dicaremus. Huic conscribendo parem et paratum sese praebuit clarissimus MAXIM. PERTY, Med. et Phil. Doctor, in R. Universitate Monacensi zoo-

*) Sclopeti, quod temere manu prehenderat, in brachio vulneratus ideoque sphacelo correptus, vir aetate et sanitate florentissimus obiit diem supremum 23. Aug. MDCCCXXXII.

logicas disciplinas insigni cum laude docens. Neque igitur nos dubitavimus, talem in virum talem provinciam deferre. Quae praestitit vir spectatissimus, Tu, amice Lector, hoc habes opere, eaque justae tuae expectationi esse responsura, fretus egregiorum in Entomologia virorum judicio confido.

Specierum brasiliensium, quae ille coram habebat, praesertim e Coleopterorum numero, tanta erat copia, ut non de eo cogitare posset, ut omnes absque discrimine, dummodo in libris nondum descriptae exstarent, pertractaret et iconibus illustraret; sed eligendae videbantur praesertim formae insuetae aut novae et pulchrae, vel eae, quae brasiliensis Faunae indolem peculiarem prae aliis exhiberent atque adumbrarent. Quas alii viri docti in suis operibus zoologicis jam protulerunt, quantum fieri potuit omisit; nonnullas tamen jam alio loco publicatas heic repeti nemo inique feret, quicunque modo secum reputet, quantae sit difficultatis, omnium descriptionum atque iconum eodem tempore in variis et a se remotis terris prodeuntium numerum rite collatum critica arte dispicere, ne qua species jam nominata et descripta iterum recurrat. Quorum vero auctorum opera cl. Perty in conscribendo hoc libro ad manus fuerint, elenchus adjectus enarrat. Ad ea autem nomina, quae variis insectis passim in diversis museis inscribuntur, vel in museorum variorum catalogis enumerata inde per alia musea divulgantur, licet diagnosi certa imo libri cujusdam auctoritate omnino careant, animadvertere in seligendis et nuncupandis suis speciebus auctor non potuit; neque erit qui id vitio vertat. Species sic dictas novas, signo crucis apposito distinctas, vel icone heic primo illustratas habes in hoc volumine 618.

Haec sunt, quae huic libro praefanda haberemus. Id unum addimus, nos sperare, illum ita esse comparatum, ut parva naturae miracula, quae non in hominum usum, sed in divinae mentis oblectationem creata sunt, ante oculos ponens virorum de naturali scientia sollicitorum, illorum ingenia ea suavitate demulceat, quae e talibus studiis mirifice redundat. Videant in his exilibus animalibus divini nominis halitum et adorent. Inde quae consequutura est gloria auctori, laus editori utrumque explebit.



DE

INSECTORUM IN AMERICA MERIDIONALI

HABITANTIUM

VITAE GENERE, MORIBUS AC DISTRIBUTIONE GEOGRAPHICA

OBSERVATIONES NONNULLAE.

Ut ii, qui animantia adhuc incognita explicare sibi proposuere, aut vastam cognitorum copiam, difficillimam perspectu, similibus collectis, in certos ordines digerere student, laudandi, ita ii etiam, qui in mores vitaeque genus animalium inquirunt, laude digni sunt, et quidem eo magis, quod pauci tantummodo in ea re operam collocant.

Cum ars systematica formas secundum ipsarum organisationem nobis ante oculos ponit, et admirari nos cogit subtiles varietatum gradus in formarum innumerabilium structura, quas creare placuit summo rerum auctori — in descriptis moribus animalium imaginem splendidam vitae jucundissime et vividissime labentis videmus, cujus inanis forma est organisatio ipsa. Talis est enim vita cum organisatione comparata, quale factum cum facultate una repetita comparatum, perfectio cum vi et flamma cum materia combustibili.

Eam autem, quam modo indicavi, operam insectorum classis (singularis fere et distincte a ceteris animalibus separata creatio, ita ut quaecunque in ceteris animalium formationibus mira et varia occurrunt in ea inveniantur) jam omni tempore experta est; non omnia tamen insecta eodem modo.

Plurimis enim ejusmodi observationibus de iis, quae in Europa reperiuntur, accurate edocti, desideramus adhuc cognitionem eorum, quae externarum terrarum sunt, itaque etiam eorum, quae in America tropica gignuntur, — quod quidem eo aegrius ferendum est, quia natura in hac ipsa terra in procreandis plurimis formis, et iis quidem miris, et pulcherrimis et deformibus elaboravit, quae, ut humani ingenii praeclara opera, ad se nos omni vi attrahunt. Quis enim non sentiat, vitam eorum animalium, quorum ipsa corporis structura singularis cujusdam ideae manifesta indicia habet, permiram et egregiam esse debere?

Quare haud alienum putavi, hujus operis initio brevem earum observationem conspectum praemittere, quibus hoc desiderium expleatur.

Constat, ut omittam, quae veteres scriptores de vitae genere meridionalis Americae insectorum saepe vitiose observata tradiderunt, (quae tamen in singulis ordinibus enumerabo,) Lacordarium, qui inprimis geographicas rationes ubique in oculis habuit, de Coleopteris*) et Lundium de Formicis**) illius immensae regionis multas easque egregias observationes edidisse. Quae ille de Brasiliae insectis observavit, partim confirmare, partim augere possum iis, quae Francogallus quidam notavit, qui per plures menses in vico Bananal in confiniis Provinciae Sebastianopolitanae versus Paulinam commoratus, ibidem quam plurima insecta observavit, collegit, atque in Europam allata in catalogo sat amplo enumeravit.

---

*) Annales de sciences naturelles, tom. 20. pag. 185. sq. tom. 21. pag. 149. sq. Nouvelles Annales du museum d'histoire naturelles tom. II. pag. 36. sq.

**) Annal. de scienc. natur. tom. 23. pag. 113.

Et insecta illa et catalogus sunt serenissimi atque illustrissimi Ducis AUGUSTI DE LEUCHTENBERG, qui, summus historiae naturalis amicus et fautor (cujus rei testimonium perhibet rerum naturalium collectio, quae perbrevi tempore confecta, Eichstadii nunc reservatur) catalogi usum in hac dissertatione elaboranda benignissime mihi concessit.

Quod vero illius catalogi auctor, omni systematica nomenclatura neglecta, cujus plane imperitus fuisse videtur, arbitraria tantummodo nomina dederat, nomina systematica omnino invenienda erant, quod nonnisi exemplaribus ipsis accuratissime comparatis fieri potuit.

In Coleopteris Lacordarii, cujus supra mentionem feci, commentarium diligentissime elaboratum secutus sum, ex quo tamen propter hujus voluminis fines maxima tantum eligere coactus eram, iisque observationes, quae e catalogi illius Francogalli comparatione accesserant, uncis inclusas addidi.

Eodem modo dissertatione Lundii in Formicis describendis usus sum, et Azarae, Humboldtii, Martii, Pohlii aliorumque observationes interserui. Nec non reticendum est, clarissimum hujus operis editorem, operam haud parvam suscepisse; ope amplissimae literariae scientiae, qua gaudet, multas observationes de apibus colligendi, qua re ea in parte dissertationis multum me adjuvit. Reliquorum scriptorum, qui in ea re elaborarunt, singulos locis aptis adhibere non neglexi, sed valde dolendum est, quod eorum observationes parum cum nostra nomenclatura conveniunt, quo fit, ut multis, quas illi afferunt, notis uti non liceat, et cognitio de meridionalis Americae insectis manca adhuc sit.

Ceterum in diversis ordinibus contemplandis eandem, quae est in opere, seriem servaturus, a Coleopteris incipiam. —

CARABICI.*)

Megacephalae et *Oxycheilae* genera quoad vivendi modum a Cicindelis europaeis parum differunt. *Iresia Lacordarii Dej.* vero tantum in arboribus degit; rapidissime supra folia volitans. *Cicindelae*, quas celeberr. *Dejean* in secunda sectione digessit, tantum in foliis reperiuntur et volatus velocitate insignes sunt. *Cicindelae* divisionis sextae, cujus quidem species fere ubique in America meridionali inveniuntur, eosdem mores offerunt quos Europam inhabitantes, et ad ripas aquarum vivunt. *C. apiata Dej.* per millia exemplarium ad ripas fluminis La Plata dicti volat, a mensi Novembri usque ad Januarii finem. (*Cicindela chrysis* mense Januario in sylvis sempiternis, laeta tunc fronde virescentibus degit.) *Euprosopus quadrinotatus Latr.* Iresiae moribus par est, supra folia volitantis, attamen vel velocissime truncos et ramos scandit. Sicuti Oxycheila fringendo femora postica ad elytrorum marginem strepitum acutum edit. *Ctenostomatis* species, cujus duas novas detexit celeberr. Lacordarius, *unifasciatum* et *bifasciatum Dej.* per sylvas proveniunt in terra, plerumque vero ad arborum truncos, nec non ad sepium virgulta viventes; rapidissime cursitant, etiamsi alatae nunquam volantes observatae. *Leptotrachelus brasiliensis Dej.* sicuti Agra, in foliis degit, ibique sedet immobilis, appropinquante autem hoste velociter fugit. *Casnonia inaequalis Dej.* in terra, sylvis et ad rivulorum ripas habitat, velociter currit, saepiusque Cicindelae instar volitat. (Haec species rarissima mense Januario in arena et sylvis caeduis, quas Caa-poeira vulgo nominant, invenitur.) *Galeritae* species fere totam Americam meridionalem inhabitantes, in Brasilia vero rariores inventae, in arborum truncis putrefactis et sub lapidibus ad plantationes degunt. *G. collaris* et *Lacordarii Dej.* in agro Bonariensi acervatim cum *Brachinis*, *Feroniis* et *Antarctiis* praesertim hyeme inveniuntur. Satis velociter cursitant, etiamsi alis instructae nunquam volantes observatae sunt. *Agrae* in arboribus tantum inveniuntur, et in foliis ab aliis insectis involutis sese abscondunt; immobiles ibidem quiete gaudent, antennas et pedes anticos protendentes, pedes reliquos vero attrahentes. Tactae velociter fugiunt, et in terram decidunt; cursu enim quominus sese in salvum recipiant, prothoracis, quo longissimo instructae sunt, fabrica impedit, pariter ac in Brenthis videmus. Agrae ea ratione raro inveniuntur, quod solitariae degunt; hospitant hae solummodo in America intertropica. *Cymindis* species ex America meridionali hucusque tantum quatuor vel quinque novimus, quae sub lapidibus habitant. *Calleida thalassina Dej.* Brasiliae indigena sub corticibus arborum putredine decompositarum vivit, *Call. suturalis Dej.* in Bonaria reperta, sub lapidibus ad fluminis Plata ripas degit. *Calleidae* lente ingrediuntur. *Dromii* species prope Santjago, urbem imperii chilensis, detectae eosdem mores quos Europaeae offerunt et sub lapidibus ad rivorum ripas

*) Ubi patria non indicatur, Brasilia intelligenda est.

degunt. *Lebiae*, quarum plures in Brasilia inque Bonaria inveniuntur, partim sub lapidibus, partim in plantis vel in truncorum emortuorum cortice habitant. *Coptodera depressa Dej.*, velocissimo cursu insignis, sub corticibus igne desiccatis in plantationibus provenit. (*C. undulata Pty.* mensi Octobri sub corticibus invenitur.) *Axinophorus Lacordarii Dej.*, semel sub cortice inventus, primo intuitu Ipos speciem referens, lente ingreditur. (*Drepanus? grandis Pty.* nov. sp. mense Januario rarissime sub corticibus degit, et velociter currit.) *Helluo Lacordarii Dej.* et *H. femoratus Dej.* in Provincia Tucuman sub lapidibus inventi odorem Carabicis proprium vehementer spirant, praesertim species prior. *Brachini* species Brasiliam rarius patriam agnoscunt, frequentius Bonariam; vitae genere et moribus iiscum speciebus conveniunt, quae per Europam habitant. (*Pachyteles laevis Pty.*, qui mense Octobri in Termitum nidis degit, tactus ex ano liquorem causticum, acidissimum in spithamae fere spatium ejaculat.) *Catascopus brasiliensis Dej.* sub corticibus et in truncis putridis degit. *Scaritae* species in Brasilia non rarae interdum ad maris littora habitant, saepius vero in sylvis sub truncis decisis degunt. *Sc. anthracinus Dej.*, species bonariensis, tantum in cadaveribus paene desiccatis cum *Troge* et *Corynete* reperitur; lente hic ingreditur, raro volitat. Tactus caput et thoracem reflectit, qua quidem positione saepius etiam post mortem remanet. *Oxystomus cylindricus Dej.* Scaritae mores offert; prope Sebastianopolin in sylvis nec non ad maris littora invenitur. (*O. cylindricus Dej.* mensi Decembri in campis aridis degit.) *Camptodontis* quoad mores incogniti, speciem novam cl. d'Orbigny ad urbem Corrientes invenit. *Clivinae* species bonarienses ab Europaeis quoad mores non differunt. *Morionis* species in Brasiliae mediterraneis non rarae sub corticibus putridis inveniuntur. (*M. brasiliensis Dej.* mense Octobri in truncis putridis observatus). *Ozaena laevigata Dej.* Brasiliam inhabitans, in ligno putrescente inventa, pariter ac Brachinus ex ano vaporem causticum explodit; ejaculationes vero multo rarius repetuntur. *Calosomatis* species quatuor hucusque in America meridionali observatae. *C. bonariense Dej.*, ritu specierum Europaearum arbicola, crucis victitat. *Nebria ovalis Dej.*, (quoad genus adhuc dubia) prope Montevideo sub lapide inventa, forma Homophronta, incessu Nebriam refert. *Brachygnathi Pty.* species Brasiliae mediterraneis propriae sunt. *Chlaenii* species non multae in America meridionali observatae. *Ch. brasiliensis Dej.* in Brasiliae interioribus locis humidis sub truncis decisis vivit. *Ch. oblongus Dej.* in Bonaria raro ad arborum radices prope rivos et sub lapidibus invenitur. *Oodes laevigatus Dej.* pariter in Bonaria sub struibus plantarum inventus. *Baripi* species Americae meridionali propriae sub lapidibus prope rivos degunt. Cl. Lacordarius praeter reliquas speciem invenit, quae fere Procrustem coriaceum magnitudine aequat. Entomologus eximius exempla *Pristonichi* e regno Chilensi tulit, ibidem sub lapidibus montium capta, quae a *P. complanato Dej.* Europam meridionalem et Barbariam habitante nullo modo differunt. *Anchomeni* in Brasilia rariores, copiosi in Bonaria, et mores et habitationes specierum europaearum offerunt. *Agoni* species in America meridionali cl. Lacordarius invenit. *A. lineato-punctatum Dej.* Bonariam habitans, quoad mores a nostratibus non differt. *Platysma corinthia Germ.* (Molops) in Bonaria et in Provincia Montevidensi usque ad Andium radices habitat. Insectum hoc totum per annum pari fere multitudine invenitur, per aestatem sub lapidibus et quisquiliis plantarum, per hyemem sub corticibus et in truncis putridis in agmina congregatum; odorem valde causticum exspirat. *Platysma cordicollis Dej.* (Feronia) ad ripam fluminis Paraná sub lapidibus et in fissuris soli desiccati degens, per totum annum inveniendum, odorem exhalat minus vehementem. *Platysma chalcea Dej.* (Feronia) per magnam partem Americae meridionalis occurrit. In Bonaria rarior, sed copiosissima in valli Uspallata dicta, in declivitate Andium orientali, ad aquarum ripas reperitur. *Platysma simplex Dej.* (Feronia) solum in Bonaria invenitur. *Omasaeus aeneus Eschsch.* vulgatissima species in regno chilensi prope St. Jago in valli Aconcagua et in Andium faucibus, sub lapidibus et in quisquiliis hortorum vivit, sed in Andium latere opposito hucusque non inveniebatur. *Poecilus unistriatus Eschsch.* locis iisdem sed rarius reperitur, cum e contra *Argutor chilensis Eschsch.* frequens adsit. *Antarctia Dej.* in hemisphaerio occidentali respondet Amaris nostris, quae in America meridionali non adsunt. *Antarctiae* eodem vivendi modo gaudent, velociter currunt, et in numerosa agmina sub lapidibus et plantis in locis humidis congregatae vivunt. Species splendidissima in Andium vertice summo inventa est. *A. blandam Dej.*, quam cl. d'Urville in insulis Maluinis invenit, cel. Lacordaire in regno chilensi prope St. Jago detexit. *Pelecium cyanipes Kby.* prope Sebastianopolin raro in plantationibus, sub arborum truncis decisis et putrescentibus invenitur. *Paramecus cylindricus Dej.* in Bonaria raro sub lapidibus provenit. *P. laevigatus Eschsch.* copiosus in valli Uspallata in Andibus orientalibus adest, et praecedente satis segni velocior currit. *Selenophori* et *Harpali* in campis sub lapidibus inveniuntur. *H. cupripennis Germ.* per amplam regionem, a Bonaria scilicet usque ad Andes diffusus provenit, vix vero in regno chilensi adest. Acervis innumerabilibus vere apparet, urbem

Bonariensem maxime infestat, et luce attractus in cubicula penetrat. *Acupalpus silaceus Dej.* in Montevidensi regione non rarus in arena mobili littoris degit, sub acervis plantarum, e flumine ejectarum, sese infodiens, et lente ingrediens. *Tetragonoderus undatus Klug.* unacum Coleoptero praecedente invenitur, sed arenam subtiliorem sicciorem et plantis desiccatis obtectam arenae littoris humidiori praefert, et velocissimo cursu pollet. Hoc Coleopteron in Bonaria non inventum est, sed species plures hujus generis a cl. Orbigny in provincia Corrientes collectae sunt. Cl. Lacordaire in America meridionali nullum Carabicum invenit, qui ad Subulipalpium tribum pertineret, et cl. Dejean tantum duas species huc referendas descripsit, *Bembidium tenuicolle Dej.* et *B. cayennense* (Leia); unde apparet, hanc Carabicorum tribum in illa regione perpaucis speciebus gaudere.

HYDROCANTHARI

plerique in hemisphaerio orientali domiciliantur, et tantum *Dytici, Colymbetis* et *Gyrini* genera in America meridionali paucis speciebus superbiunt. In aquis vivis Hydrocanthari rarius adsunt, quia lacunas satis grandes et profundas praeferunt. *Gyrinus sulcatus Wiedem.* prope Sebastianopolin, praesertim ad sinus insulas (verno tempore) invenitur; eodem modo quo species europaeae natat, circulos vero ampliores circumscribit. Splendor hujus speciei post mortem mox expallescit, ita ut subtile tantum vestigium vittarum splendide coerulearum remaneat, quibus insectum dum vivum ornatur.

BRACHELYTRA

Americae meridionalis rarissime in cadaveribus reperiuntur, quoad reliquos tamen mores cum europaeis conveniunt. *Staphylinus janthinus Dej.* (an St. saphyreus hujus operis ?), maximus sui generis, et *insignis Dej.* tantum in fungis reperiuntur; *St. chalybaeus Mannerh., sinuatus, concinnus, episcopalis, cinereus, amabilis Dej.* solum in fimeto vaccino adsunt. (*St. sapphireus, mandibularis* et *cyanelytrius Pty.* mense Januario in cadaveribus et fimeto degunt.) *Leïstotrophus Gravenhorstii Pty. (Staphylinus variegatus Dej.)* interdum cum praecedentibus invenitur, sed plerumque supra folia currit, et ex arbore in arborem volat, verosimiliter erucis aliisque insectis vivens. (*Leïstotrophus Gravenhorstii Pty.* mense Januario in ruminantium excrementis vivit.) In Bonaria et Tucuman *Staphylinii* perpauci inveniuntur. *St. haematodes Dej.* mores fere *Leïstotrophi Gravenhorstii* offert, et plerumque supra arbusta, rarius in domiciliis volans reperitur. Species aliae in fimeto, sed nunquam in cadaveribus degunt. *Zirophori* tantum sub corticibus putridis observati, quas omni directione sulcant. *Z. scoriaceus Germ.* saepius magna copia invenitur; *Z. impressifrons Dej.* cum praecedente at rarior occurrit. *Osorii* cum Zirophoris sub corticibus degunt, et interdum sub lapidibus reperiuntur. *O. brasiliensis Dej.* sub corticibus canales longos cylindricos excavat, quorum finem cl. Lacordaire ovis parvulis sordide albis, inordinate dispersis impletum reperit, quae pro ovis hujus Coleopteri habuit. *Xantholinus, Lathrobium* et *Paederus* more praecedentium degunt, at rarius occurrunt. (*Lathrobium myrmecophilum Pty.* spec. nov. in formicetis degit.)

STERNOXI.

Buprestidis species Americam meridionalem inhabitantes quoad mores a nostratibus non differunt. Sicuti europaeae ardore solis vehementi volitant. Species maximae plerumque in arborum truncis inveniuntur, cum minores arbustorum folia, herbas floresque frequentant. Omnes non sine difficultate corripi possunt. *Buprestis gigantea Lin.*, quae maximam Americae meridionalis partem inhabitat, non tam timida est, sicuti aliae species, et si propius accedis, non decidit, sed statim avolat. (Mense Januario plures *Buprestidis* species in corticibus lignisque degunt. Hoc mense *B. gigantea, inconstabilis, gymnopleura Pty., cuprea Fabr.* et *nobilis? Fabr.* in ligno vetusto: Majo autem *speculigera, inconstabilis* et *insignis Pty.*, supra flores in montibus Prov. Minarum legebantur.) Species hujus generis in Bonaria tantum unica parva in Cytisi (?) specie inventa est. In Tucuman cl. Lacordaire quinque pulchras et satis magnas in fruticibus observavit. *B. bella* et *concinna d'Urville* in Umbelliferis regni chilensis vulgo occurrunt. Etiam *Elateres* Americae meridionalis quoad mores nostratibus similes sunt. Species magnae fere semper ad arborum truncos in plantationibus degunt, et si eos tangere vis, decidunt. Species minores plerumque in fruticibus inveniuntur. Species phosphoriferae numerosae usque Bonariam et regnum chilense adsunt, easque interdiu rarissime reperies; nocte vero ingruente copia maxima proveniunt. (Amant denso agmine per arbusta volitare, quorum frondes smaragdino tunc splendore corruscantes, spectaculum praebent jucun-

dissimum. Dum lumen phosphoreum vibrant, in altiora rarius ascendunt.) Earum volatus rapidior et magis continuus est, quam reliquarum. *E. noctilucus*, primis in Americam viatoribus jam cognitus, receptacula tria phosphorica possidet, dua ad angulos prothoracis posticos, et tertium in parte postica mesothoracis, in cavo triangulari, deplanato et membrana subtilissima ad ostium paullulum cornea indutum.*) Haec membrana continet materiam phosphoricam. Si Coleopteron volitat, mesothorax a metathorace distat. Lumen animalculi arbitrio diminuitur, vel totum exstinguitur. Post mortem lumen sensim ac sensim decrescit, aqua fervida vero renovatur. (Plures congregati Indis per noctem iter facientibus inserviunt. Amant illi, veneri indulgentes, tenebras his insectis illuminare, auctore Martio. Larva hujus speciei observante cl. Humboldt in radice sacchari officinarum degit.) *E. humeralis, axillaris, scapularis Dej., vulneratus Germ.* qui in arbusculis parum elevatis degunt, a cl. Lacordaire, qui omnes has formas indistincte copulatas invenit, pro una et eadem specie habentur. (*Elater virens Fabr.* per totum annum supra lignum degit. A mense Septembri usque ad mensem Junium supra ligna demortua reperiuntur: *E. phosphoreus Linn., corniculatus Pty. mucronatus Pty.* Hoc temporis spatio in plantis vivunt: *E. ophthalmicus, lampyrinus Pty., geminatus Germ.* Multae Elateris species mense Decembri super flores reperiuntur.) In Bonaria paucae species eaeque omnes parvulae. *E. gilvicornis Dej.* ibi sub corticibus et lapidibus totum per annum vulgatissimus. *E. meticulosus Dej.* Mendozae, ad radices Andium inventus praecedenti quoad mores similis est. *Pterotarsi* sicuti generum sequentium species non saltitare possunt. *Pterotarsi* et *Eucnemides* in truncis mortuis et supra eorum corticem degunt. (*Pterotarsus griseus Pty.* (fuscus, pubescentia flavescenti-grisea obtectus, thoracis punctis duobus et scutello flavis. Lg. 7'''.) mense Januario rarissime in plantis degit.) *Lissomus morio* ♂ *Dej.* et *rubidus* ♀ *Dej.*, qui ad unam speciem pertinent, in foliis saepissime occurrunt. (*L. serricornis Sturm (Epitragus)* mense Decembri provenit.) *Chelonaria* in Brasilia non raro occurrentia in foliis, interdum etiam in floribus reperiuntur, ubi decidunt, si ea tangere vis. Prehensa antennas in thoracis cava abscondunt, pedes attrahunt, et mortem dissimulant. (*Ch. atrum Fabr.* totum per annum supra plantas degit. *Ch. ornatum Klug. Pty.* mense Majo rarissime in plantis invenitur.) *Cryptostoma brasiliense Dej.* cum praecedentibus supra folia degit.**) *Ptilodactylae Illig.* plerumque minutae et unicolores quamvis in Brasilia satis copiosae, raro in muscis occurrentes, semper supra folia reperiuntur, et si accedas, decidunt. Comprehensae membra attrahunt seque mortuas fingunt. Tempore sicco et calido promte volitant. In Bonaria et regno Chilensi non adsunt. *Rhipicera marginata* in sylvis volitat. Mandibulis robustioribus instructa partes plantarum duriores appetit et caules praeferre videtur. Mares plures invenies, dum feminam unam videas. *Cebrio elateroides Dej.* (vix huic generi adscribendus et Elateri similis) vulgaris cum Elateribus in plantis humilibus reperitur, et prompte saepiusque volitat. (*Calirhipis Latreilli Pty.* (Nigra, thoracis margine et elytrorum plaga humerali flavis. Lg. 7'''.) mense Januario supra ramos humiles fruticum rarius invenitur. Hoc genus ergo haemisphaerico utrique communis.)

MALACODERMATA.

Lyci et *Homalysi* in Brasilia pervarii supra plantas humiles aut fruticum folia, praesertim in plantationibus, viis et locis apertis degunt, et frequenter, sed segniter et per breve tempus volitant. Comprehensi antennas flectunt, et ore liquorem flavidum odoris proprii penetrantis edunt. (*Homalysus serratus* et *reticulatus Fabr.* mense Januario in sylvis caeduis degunt, sicuti plures *Dictyopterae* species, quarum aliae mensibus Octobri et Septembri in Solaneis reperiuntur. *Homalysi* species verosimiliter nova mense Aprili sub ligno invenitur. Haec species communis mores atroces offert. Prehensa caput reflectit et mordet. *Lyci*, *Homalysi* et *Dictyopterae* in regionibus a circulis tropicis remotis tantum pauci inveniuntur. *Lampyridis* species numerosae et variae etiam statura satis differunt. Species maximae e. g. *L. Linnaei Dej., Latreillei Kby., Fabricii, distincta, Herbstii Dej.* offerunt prothoracem caput totum obtegentem et solitariae in arboribus degunt, ubi interdiu ad truncos se applicant. Noctu altius evolant, et splendore reliquis magis excellunt. Pleraeque Brasiliae indigenae sunt, et in Bonaria tantum una reperitur. (*Lampyris* species verosimiliter nova, maxima, mense Januario in sylvis novellis degit. Lumen ejus ex intervallo ejaculatur.***) Species aliae, copiosiores, variae magnitudinis, qua-

---

*) Confer Spix und Martius Reise II. S. 688. 689. Kirby et Spence, Indrod. to Entom. Deutsch. Uebers. Vol. II. pag. 461. 474.

**) Videsis de hoc genere notam pag. 214.

***) Hoc Phänomenon a celeberr. Carus etiam in L. italica Fabr. observatum, e pulsus motu intelligitur. Conf. Analekt. zur Naturwissenschaft und Heilkunde, pag. 169.

rum prothorax caput tantum e parte obtegit, in plantis humilibus et fruticibus, locis praesertim humidis inveniuntur, Bonariae vero desunt. His adscribendae sunt: *L. albomarginata*, *infuscata*, *fuliginosa*, *pellucida Dej.* Species aliae habitum *L. noctilucae* et *splendidulae* offerentes, inter omnes in Brasilia et Bonaria copiosissimae, imoque noctibus pluviosis proveniunt, et lumine scintillante fulgent, quo facile ab Elateribus discernuntur. Quaecunque elytris angustatis insignes, plerumque flavidae, e. g. *maculata Fabr.*, *lineata Sch.*, *litigiosa Dej. etc.* magnitudinis variabilis, praesertim Bonariae et provinciae Montevidensi propriae sunt. Fere in omnibus Lampyridis speciebus uterque sexus alas gerit — attamen femella aptera in Bonaria et provincia Montevidensi reperitur. Omnes species volatu segni intermisso praeditae sunt, comprehensae antennas flectunt, et corpore emolliuntur. *Amydoetes* et *Phengodes Hffgg.* ab illis morum ratione non differunt. (*Lampyris pyralis Fabr.*, *cervina Pty.*, *pellucida Pty.* (antennis nigris, ad apicem albis distinguenda) totum per annum in sylvaticis degunt.) *Telephori* species in Brasilia valde variabiles et mutabiles, cl. Lacordaire e parte hybridas putat. Quotidie individua colore et statura plane diversa promiscue copulata invenit, e. g. *T. latum*, *sellatum et basalem Dej.* (*Telephorus dichrous Pty.* mense Januario ad rivorum ripas degit. Inter exemplarum centuriam vix duo omnino similia occurunt.) *T. latissimus Dej.* mox cum individuis sibi similibus, mox cum plane distinctis coit. Species omnes vulgo in plantis humilibus et fruticibus inveniuntur, et interdiu saepissime volitant. Comprehensae se mortuas simulant. In Bonaria perpaucae adsunt. (*T. malthinoides Pty.* Januario sylvas novellas frequentat.) *Dasytis* species habitu a nostris differentes pleraeque in societatibus in plantis nonnullis, praesertim floribus compositis, degunt. *D. gigas Dej.* (tab. 6 fig. 13. operis nostri) prope Sebastianopolin Januario apparet, et solitarius degit. Prope urbem Corrientes frequens capitur. *D. interruptus Lac.* in Sierra de Cordoba habitans, in floribus Cucurbitacearum degit, et hyemis initio apparet. *D. 4lineatus Dej.* Bonariae et provinciae Montevidensi proprius Octobri et Martio apparet, et in floribus Sambuci australis degit. *D. viridi-fasciatus Lac.* verosimiliter genus novum constituturus, in Umbelliferis prope St. Jago regni chilensis degit. Ibidem invenitur *D. infuscatus Dej.* forsan sicuti cl. Latreillius putat, Zygiae adscribendus. Dasytis species reliquis Malacodermatibus velociores, comprehensae in terram decidunt, et bene volitant. *Hylecoetus brasiliensis Dej.* maximus sui generis supra fungos et in iis degit, ubi canales longos cylindricos cavat. *H. cylindricus Dej.* vespere in domibus circa luminaria volitat, ejusque exempla magnitudine valde variant. *Atractocerus brasiliensis Dej.* mores praecedentis offert, ejusque mares feminis rariores inveniuntur. *Rhysodes costatus Dej.* et *brasiliensis Dej.* Brenthis quibusdam minoribus valde similes, sub corticibus et in truncis demortuis habitant. *Ptilini*, *Xyletini* et *Gibbia*, in Brasilia rariora, mores europaeorum ostendunt. *Enoplium tomentosum* et *pulchellum Dej.* in ligno mortuo vivunt, ibi canales cavantia; velociter cursitant et rapide avolant. *Clerii* species elegantes in foliis degunt, supraque ea velocissime currunt. Si eos tangere conaris, decidunt, aut avolant. *Eurypus rubens? Kby.* lente ingrediens, sed bene volitans, in corticibus arborum demortuorum vivit, etiamque folia frequentat. *Corynetes rufipes* et *ruficollis Fabr.* in Brasilia et Bonaria habitantes et verosimiliter per navigationem illuc translati mores nostratium offerunt.

NECROPHAGI

in America meridionali paucissimi observati sunt. Cadavera enim animalium partim desiccantur et tunc nullum hujus familiae insectum in iis invenitur, partim brevissimo temporis spatio putrescunt, et paucis necrophagis hospitium praebent, quorum locum in illa regione accipitres et formicae obtinent. *Silpha collaris Dej.* species unica in Bonaria. *S. brasiliensis Dej.* in Brasilia prope Sebastianopolin rarissime invenitur. (*S. erythrura Pty.* in Museo Leuchtenb. forsan praecedenti synonyma, mense Septembri in cadaveribus degit.) Utraque odorem foetidum exhalat, sicut species europaeae, earumque mores offert. *Ips anthracinus Dej.**), inter congeneres gigas, unicus in Brasilia observatus, raro in arborum vulneribus inveniendus. *Cychrami* **) species numerosae fere omnes in floribus praecipue Crotonis cujusdam degunt. Bene volitant, et ante contactum decidunt. Species nonnullae cortices humidos et arborum vulnera inhabitant. (*Cychrami* species duae hucusque indescriptae Januario in fungis degunt). *C. ni-*

---

*) Ips est generis masculini, sicuti jam monuit cel. Schrankius Faun. boic. Vol. 1. p. 514. Schneider, krit. griech. deutsch. Wörterb. Vol. I. p. 598. Ἴψ, ἰπός, ὁ. Insectum, quod cornu et vitem arrodit.

**) Hoc nomen eligo loco *Strongyli*, quod jam dudum Enthelminthorum generi omnibus cognito impositum est. Nomen *Cychramus* antehac a celeberr. Kugellan propositum est.

grita Dej. crebro in Bonaria in Cactis putridis praesertim tempore hyemali et autumnali reperitur. *Nitidula caliginosa*, *litigiosa Dej.* exclusive in arborum floribus aut foliis degunt, et raro in Brasilia inveniuntur. (*Nitidula spec. nov.* mense Januario in truncis putridis reperitur.) *Rogodontis* *) species, Brasiliae propriae (*Nitidula mandibularis*, *dimidiatipennis*, *lugubris Dej. Lac.*) sub corticibus putridis (et mense Septembri in fungis) acervatim reperiuntur. Comprehensi caput et thoracem elevant, et per longius temporis spatium immobiles manent. *Scaphidia* raro in fungis inveniuntur. *Engis* species, Erotylis et Triplacibus tarsis tantum quadriarticulatis et nodo basilari, antennis et moribus valde affines, in foliis aut interdiu in plantationibus volantes observatae. *Dermestides* in Brasilia rarius occurrunt, cum vero Bonaria et Montevideo iis abundent. *D. cadaverinus Fabr.* et *lupinus Eschsch.* detrimentum maximum inferunt, nam coria in horreis devorant, navesque ea transportantes infestant.

HISTERORUM

species in America meridionali forma minus variae fere omnes in substantiis vegetabilibus putridis vivunt. Nulla species maculis rubris praedita in America meridionali nobis nota. Cl. Lacordaire Histeros in Brasilia nunquam in cadaveribus aut in excrementis invenit. (*H. angulatus Fabr.* et *cyanescens Fabr.* totum per annum in excrementis degunt.) *H. angulatus Payk.* et *impressifrons Dej.* saepius sub corticibus humidis putrescentibus, in arborumque vulneribus inveniuntur. *H. hypocrita* et *bonariensis Dej.* in Bonaria copiosi fimetum bubulum habitant. *H. aterrimus Dej.* in Tucuman sub Cactis putridis degit. Species aliquae maculis albis elytrorum insignes. *H. bisignatus Eschsch.*, *Lacordarii*, *lepidus Dej.* in Tucuman sub lapidibus locis arenosis reperiuntur, at verosimiliter cadavera frequentant. *Tryponaei Eschsch.* (*Hister cylindricus Payk.*, *decipiens*, *fallax Dej.*) cum praecedentibus degunt, sed in truncis canales cylindricos longos cavant. *Hololepta corticalis Fabr.* et *lucida Dej.* sub corticibus unacum *Rogodonte* degunt eorumque mores offerunt, attactae caput et thoracem elevantes, et per longius temporis immobiles remanentes. *Parnus brasiliensis*, *elateroides*, *pubescens Dej.* in foliis et plantis humilibus degunt, lente ingrediuntur, et nunquam volantes observati sunt.

HYDROPHILIORUM

species in Brasilia satis numerosae, morum ratione ab europaeis non differunt. *H. bonariensis Dej.* magnitudine *H. piceum* aequat. (*H. laevissimus Pty.* nov. spec. mense Decembri apparet.) *Globaria* a celeb. Latreillio Hydrophiliis adscripta mores plane distinctos offert. (Hoc genus potius Byrrhiis adnumerandum existimaverim.) *Globariae* sub corticibus, ad arborum truncos etiamque supra folia in plantationibus degunt. Corpore valde globoso praedita lente ingrediuntur, et pedes complanatos in fossas abdominis et pectoris replicare possunt. Comprehensae in globum se convolvunt, membraque perfecte attrahunt. Saepius volitant, et vespere in domibus capiuntur. Globariae satis minutae raro in muscis occurrunt. Cl. Lacordaire species tres detexit.

LAMELLICORNIA

mores valde varios offerunt, et in tres sectiones distribui possunt, mox vegetabilia viva, mox putrida devorantes, mox in excrementis viventes, mox sicuti *Trox*, qui hac ratione Necrophagis sese appropinquat, substantiis animalibus se nutrientes. *Ateuchidae* Americae meridionalis tam structura, quam vivendi modo varietatem multo majorem offerunt, quam species per hemisphaerium orientale habitantes. (*Anamnesis Mac Leayi Vig.* mense Octobri in cadaveribus degit.) *Hyboma***) *Bufo* et *Lacordarii Dej.* in fimeto degunt, sed non cava excudunt, et raro volitant; *H. erythroptera Dej.* vero tantum in foliis invenitur, velociter ibi currens, et calore maximo volans. (Coprobium inveni in museo Leuchtenbergensi, quod forsan Hybomatis generi adscribendum est. (*C. castanopterus Pty.* Subtus cum pedibus niger; capite bidentato et thorace aeneis; elytris rufo-badiis, nigro-granulatis. Lg. 6''' vix.) Haec species Septembri sub ligno demortuo degit, rapide et continuo volat, et in volatu tota aurea apparet.) *Coprobii*, Brasiliae incolae vulgatissimi coloribus splendidis et metallicis saepius ornati, e. g. *rutilans Klug*, *smaragdulus Fabr.*, *scapularis Dup.*, *histrio*, *cyanescens Dej.*, *depressifrons*, *emarginatus*, *virescens Dej.* indistincte in fimeto et in foliis degunt, saepiusque in arborum vulneribus congregati inveniuntur, ubi

*) Rogodon Pty. Genus Nitidulae proximum. Char. essent.: Mandibulae elongatae, porrectae, ad apicem dilatatae, dentatae. Elytra margine laterali depresso.

**) Hoc genus mihi incognitum est. An cum Anamnesi synonymum?



succum emanantem sugunt. Facile interdiu volitant. (*C. nitidus Pty.* et *anthracinus Pty.* mense Novembri in substantiis animalibus inveniuntur.) *Coprobius flavicollis Dej.* Ateuchi 6-punctati Fabr. structura, odore foetido Silphae simili, sed vehementiore, insignis est. Verosimiliter, sicuti Phanaei species quaedam, substantiis animalibus putridis nutritur. *Coprobius niger, sulcatulus, congener Dej., lituratus Illig., carbonarius, oblongus, propinquus, Dej.* (Brasiliae incolae), *cupricollis, sobrinus, glabricollis Dej.* (species bonarienses et montevidenses), *subsulcatus, ligitiosus Dej. caesus Lacord.* (Provinciam Tucuman inhabitantes) tantum in fimeto bubulo inveniuntur, ubi vero, *C. carbonario Dej.* excepto, nulla cava construunt. *C. Lacordarii Dej.* bonariensis, genus distinctum constituturus, copiose in fimeto equino reperitur, et cava profunda construit. *Ateuchus arachnoides Lac.* forma singulari praeditus, araneam simulans novum genus constituturus, Tucuman habitans, in fimeto bubulo invenitur, aut ad vias currit, sub calore diurno vehementissimo. *Eurysterni Dalm.* (Aeschrotes Lep. et Serv.) in fimeto vaccino degunt, cava non construunt, et saepius interdiu volitant. *Copridis* species in Brasilia copiosissimae occurrunt; in Bonaria nulla, in Tucuman tantum una hucusque reperta est. Omnes sese profunde et oblique in terram infodiunt. Rarius et vespere tantum volitant. (*C. Nisus Fabr.* mense Octobri in excrementis mammalium carnivororum degit. *C. protensa Pty.* mense Decembri in pascuis occurrit. *C. Eridanus Oliv., ciliaris Pty., carbonaria Pty.* totum per annum in excrementis degunt.) *Phanaei* species continenti novo propriae, numerosae et splendidae tantum in fimeto degunt, et quoad morum rationem a Copridibus non differunt. Vespere cum susurro volant. Sicuti Coprides comprehensi strepitum edunt, abdominis apicem ad elytrorum latus internum fringentes. Species hujus generis maxima *Ph. principalis Dup.* (an *Ph. ensifer Germ.?*) copiose in provincia Minarum adest. *Ph. Mimas Fabr.* in regionibus aequatori propioribus reperitur. *Ph. Menalcas Dej.* in Bonaria frequentissimus etiam in Tucuman invenitur; et totum per annum occurrit. *Ph. Milon Dej.* tantum in substantiis animalibus putridis degit, praesertim sub piscibus mortuis ad ripam fluminis la Plata dicti. Odorem exhalat moschatum, sicut Necrophaga. A Montevideo et Bonaria usque ad regionem Paraguay dictam invenitur, sed a ripa Paranae non discedit et in provincia Tucuman non adest; haec vero *Ph. imperatore Lac.*, specie grandi et splendida gaudet, quae frequens in fimeto invenitur, in Bonaria vero et Montevideo non adest. (*Ph. nigroviolaceus Pty.* et *sulcatus Pty.* mense Novembri sub colubribus mortuis degunt, cava profunda sub animali excudunt, et horis paucis illud sepeliunt. *Ph. aeruginosus Pty.* totum per annum in stercore humano degit.) *Onthophagi* tantum pauci et minores in America meridionali adsunt. *O. hirculus Mannerh.* per magnam partem Americae meridionalis observatus. Species plures in Brasilia more europaearum vivunt; interdum arborum vulnera frequentant, et succum emanantem sugunt.*) Etiam *Aphodii* pauci et satis parvuli in America meridionali adsunt, vivendi ratione europaeis pares. *Hybosori* in Brasilia Bonariaque, praesertim in stercore humano degunt, sulcos imprimunt, sese tamen non infodiunt. Saepissime et praesertim interdiu volitant. Mores *Odontaei, globosi* et *rotundati Dej.*, Copridum simillimi sunt. *Athyrei*, quos cl. Mac Leay ab *Odontaeis (Bolboceris Kby.)* separavit, quoad mores nullo modo recedunt. Species generum duorum praecedentium in Brasilia rariores in Bonaria nondum inventae. (*Odontaei* species plures in graminibus et ligno putrido mensibus Septembri et Januario inveniebantur. Vespere velocissime volitant.) *Troges* semper sub cadaveribus semidesiccatis, eorum tendines arrodentes, aut in stercore vel humano vel mammalium herbivororum vivunt. (E Brasilia tantum unam speciem habemus a cl. Spixio collectam, sed Tucuman et Bonaria plures procreant.) Omnes strepitum acutum edunt abdomen cum latere elytrorum interno fringentes et interdiu saepius volitant, volatu tamen tardiore et perbrevi. (*Acanthocerus aeneus? M. L.* mense Majo in floribus degit; *A. Mac Leayi Pty.* totum per annum in ligno putrido reperitur.) *Scarabaei* in America meridionali multi, memorabiles et forma et magnitudine. Guyana et insulae Antillanae praesertim species grandes progignunt, et in Brasilia quoque usque ad gradum 28 latr. austr. multae e majorum numero inveniuntur, minores vero per Bonariam et Tucuman habitant. Mores omnibus fere iidem. Interdiu sese in terram aut in truncos putridos infodiunt, aut per umbrosa viarum in sylvis currunt. (*Sc. bituberculatus Pty.* aestate per vias currit, *Sc. bilobus Fab.* hyeme formiceta frequentat.) Crepusculo e recessubus egredientes magno cum susurro circa arbores volitant, haud ita multum sese elevantes. Verosimiliter tunc nutrimentum capiunt, et his locis pernoctant, cum tempore matutino magna copia saepius sub foliis et ad ramulos sese capiendos praebeant. Volatum licet gravem per longius tamen temporis

*) Etiam O. ovatus noster hunc morem offert. Majo hujus anni 1833 exempla plurima ad betularum decisarum truncos inveni, succum profluentem pitissantia. Saccharum amant Scarabaei brasilienses, auctore Martio.

spatium sustinent. Omnes strepunt abdomine elytra fringendo. Masculi femellis inveniuntur rariores. Hae plerumque inermes, attamen femella *Sc. Panos*, prae omnibus vulgatissimi, inde a Brasilia usque ad Corrientes inveniendi, cornu grande in capite gerit, et foveam thoracis offert. *Sc. Hercules*, praesertim per insulas Antillanas et per Guyanam habitans, quoque in Brasilia usque ad Sebastianopolin, rarius tamen invenitur. *Sc. Gagates Illig.* Brasiliae et Bonariae communis; *S. laticollis Dej.* et *Menelas Dej.* Bonariae sunt proprii. Etiam Tucuman species aliquot proprias progignit. *Phileuri* a Scarabaeis quoad vivendi modum paullum recedunt. *Ph. sulcicollis*, *ovis*, *hircus Dej.* in truncis putridis degunt, et profunde sese infodiunt. Raro vespere volitant, parum super terram sese elevantes. Abdomen contra elytra fringendo strepitum edunt. *Ph. vervex*, *ciliatus Dej.* in Bonaria vulgares, non truncos solum frequentant, sed cadavera semidesiccata quoque arrodunt. (*Ph. sinodendrius Pty.* totum per annum sub corticibus et ligno putrido vivit; *Ph. didymus Fabr.* totum per annum sub corticibus humidis.) *Cyclocephala geminata Fabr.* in tota America meridionali adesse videtur. (*C. melanocephala Fabr.* copiose in floribus Daturae arboreae reperitur mense Decembri.) *C. maculicollis* et *confinis Dej.* Bonariae propriae. Species hujus generis vespere circa arbores volitant; interdiu sub radicibus sese abscondunt. *Geniatis* species numerosae omnes vivendi ratione conveniunt. Interdiu foliis sese affigunt, vel in arborum cavis vel ad cortices siccos reperiuntur. Vespere arbores circumvolitant. *G. barbatus Kby.* typus generis, prope Sebastianopolin vulgatissimus. (*G. tomentosus Pty.* mense Septembri super Solaneas degit. Species plures generum *Geniatis* (e. g. *barbatus* et aliae) *Euchlorae*, *Melolonthae* mense Decembri, pluviis ingruentibus, ad terram reperiuntur.) *G. fallax* et *carbonarius Dej.* Bonariae per campos, quos *Pampas* vocant, habitant; herbicolae, interdiu flagrante sidere cum susurro volitant. Appropinquante hoste decidunt, et in fissuris soli sese abscondunt. Tantum aestatis medio, mensibus Decembri et Januario, inveniuntur. *Leucothyrei M. L.*, volatu tardiore praediti, nusquam fere in arboribus inveniuntur, sed praesertim truncos et cortices inhabitant, ibidem saepe profunde sese infodiunt et lignum in farinaceam molem emolliunt. Species nonnullae, *L. bicolor*, *flavicollis*, *nigricans*, *pallidipennis*, *affinis Dej.* odorem proprium exhalant, illi Helopidum, Nilonum et Allecularum quorundam similem; aliae, metallico nitore insignes, hunc odorem vix spargunt. Genera hujus tribus alia, quae in sequentibus enumeramus, quoad mores praecedentibus similia sunt, attamen in arborum truncos sese vix recipiunt, et potius flagrantissimo sole quam vespere volant. *Sericae M. L.* (Homalopliae Meg.) species in Brasilia satis numerosae. *S. flavimana Dej.* species vulgatissima gregatim in fruticibus degit; aestate medio apparet. Species aliae rariores eodem modo vivunt. *Ceraspidis Lep.* et *Ser.* species in foliis et interdum ad arborum truncos degunt, sese affigentes, pedes anticos porrigentes et posticos retrorsum extendentes, id quod de *Macrodactylis affini* et *subaeneo Dej.* in Brasiliae mediterraneis super folia frequentibus quoque valet. (*M. haemorrhous Pty.* mense Octobri in floribus degit, pariter ac *Hopliae?* et *Homalopliae* plures.) *Dicrania dichroa Pty.*, (*rubricollis Dej.* ♂ et *nigra Dej.* ♀ speciei ejusdem) prope Sebastianopolin in foliis non ita copiose lectae sunt; *Areoda Banksii Dej.*, *Leachii Mac Leay*, *aurichalcea Dej.* contra ibidem frequentes. Primo vere apparent usque in aestatis finem. *Pelidnota M. L.* in Brasiliae interioribus terris super folia degunt. (*P. glauca*, reliquis copiosior, mense Decembri supra flores diversos invenitur. *P. micans St.* mense Decembri supra flores Palmarum generis Geonomae degit.) *Macraspidis* species in Brasilia valde numerosae, tempore matutino ad folia inveniuntur, interdiu cum susurro et rapide circa arbores volitant, flores arrodunt. *M. clavata et fuscata Fabr.* a mense Novembri usque ad mensem Aprilem congregatae inveniuntur. Reliquae solitariae degunt. (*M. badia Pty.* mense Januario in floribus Piperis adunci, eodemque tempore *M. lucida Fabr.* in floribus Piperis peltati, *M. fuscata Fabr.* vero supra ligna vivit.) Iisdem moribus *Rutelae* indulgent, attamen in agmina congregantur. *R. histrio Dej.* species elegans in Mimosae speciebus nonnullis degit. Maculae quibus haec animalcula dum viva pictae apparent laete flavae, post mortem infuscantur. (*R. liturella Kby.* mense Januario supra lignum et flores, *R. lauta Pty.* eodem tempore atque *R. coerulea Pty.* Novembri supra flores Aroidearum quarundam reperiuntur. *R. smaragdina Pty.* quae mense Decembri in Piperis specie hospitatur, ungulis suis manum tam arcte arripere valet, ut aegrius removeri possit. Ungulis tarsorum magnis validis, curvatis hoc insectum sane Myrmecophagae aut Bradypo comparandum.) *Inca barbicornis Mac Leay* et *serricollis Dej.* in Brasilia satis vulgares occurrunt. Uterque medio tempore pluvio aut mense Januario apparent, et Aprili pereunt. Interdiu rapide circa arborum altiorum comas volant, quarum foliis nutriuntur. Tempore matutino in plantationibus culmos Zeae Maydis pedibus arripientes quiescunt, aut sub foliis in sylvis sedent. Odorem singularem et insuavem exspirant. (*Cremastocheilus? elongatus Oliv.* (Cetonia) mense Majo rarissime in floribus Piperis peltati Lin. inveni-

tur.) Omnes *Cetoniae* species supra folia reperies. Omnes satis rarae, excepta fere *C. glauca Dej.* Genera undecim ultima in Bonaria non observata, sed regionum inter circulos tropicos sitarum indigenae videntur. (*Macronata bajulus Fabr.* Januario supra Piperacearum flores degit; *M. lanius Fabr.* mense Octobri supra lignum mortuum occurrit, *Cetonia lurida Fabr.* Januario in terra humida legitur. *Trichius triangularis Kby.* mense Septembri supra flores fragrantes Randiae vivit.) *Chalcimon Dalm.* (Pholidotus Mac Leay ♂, Cassignetus M. L. ♀) in Brasilia raro invenitur; in sylvis volat, supra folia cursitat et ad arborum vulnera moratur. Cl. Lacordaire praeter *Ch. Humboldti Schönh.* in Sebastianopoli speciem alteram observavit, praecedente minorem, elytris brevioribus, singulo macula obscura hirta. Illa species, ex ejus sententia in Prov. St. Pauli capta est, cujus regionis insecta a Sebastianopolitanis satis differunt. (Speciem tertiam, *Ch. Spixii* in delectu descripsi.) *Lucani* species quinque a cl. Lacordaire observatae, omnino mores europaearum offerentes, a mense Decembri usque ad Aprilem apparent. (*L. femoralis Fabr.* mense Januario ad arbores vivit gummi fundentes.) *Passali* sub corticibus decompositis humidisque vulgatissimi diversa directione eos sulcant atque arrodunt. Locis iisdem Lacordaire pupam *P. interrupti* invenit, quae pelliculo flavido, albo, subtili et pellucido obtecta partes imaginis omnes distinctas ostendebat. Species minores nocte ingruente volitant, majores vero rarissime volantes observantur. Omnes comprehensae ex ore et dorso liquorem limpidum, paullo causticum, corpus totum inundantem edunt, vitaque parum tenaci praeditae sunt. (*P. interruptus Fabr.* totum per annum in ligno putrido degit. *P. pygmaeus Pty.* semper sub corticibus humidis reperitur.)

MELANOSOMATUM

paucae species in America meridionali hospitantur, fere omnes ab iis hemisphaerii orientalis generice distinctae, et magna e parte generibus novis adscribendae. *Pimeliariae* et *Blapoides* apteri locos aridos, sabulosos, latebras cellasque frequentant; *Tenebrionides* alati sub corticibus humidis truncisque habitant. Pimeliariae partim in locis omnino siccis, rupestribus, solis radiis expositis degunt, partim in littoris arena aut in solo salibus impraegnato vivunt, partim sabula humo mixta praeferunt. Melanosomata aptera vita tenacissima gaudent, ita ut insectum quoddam hujus tribus ad acum affixum (Nyctelia? discicollis Lac.) per septem menses nutrimento deprivatum, vivum observatum sit. *Physogaster Latr., mendocinus Lac.* Pimeliae omnino similis, vix ab illa differens, tantum in regione Travesia dicta, prope Mendozam, sed copiose inventus est, ibi loca aridissima sabulosa frequentans et sub calore solis vehementissimo in arenam sese infodiens. Incessus animalculo est agilis continuus; in Pimeliae contra hesitans, interruptus observatur. Mas femina multo minor, statura longiore. Species corpore toto nigro varietatem exhibet rufo-ferrugineam, nitidam. Efflorescentia aut odor peculiaris non observatur. Prope Mendozam et urbem San Luis cl. Lacordaire alteram *Elenophori* speciem invenit *E. collari* duplo majorem, *E. americanum* illi dictum. Sub lapidibus in terra sabulosa aut in domibus hospitatur. Lente et per intervalla ingreditur, quietus corpus terrae applicat pedesque attrahit. Femora postica ad elytrorum marginem exteriorem fringens strepitum acutum edit. Odorem spirat peculiarem sicuti Blapes, sed minus vehementem, efflorescentia fere nulla praeditus. *Nyctelia picipes Dej.* in arena, ad flumen la Plata dictum, prope Montevideo et Maldonado repertus, et Physogastri mores exhibet. Regnum chilense plures procreat species, eosdem mores offerentes. Cl. Lacordaire species numerosas praecedenti generi affines, sed nova constituturas genera observavit. Omnes offerunt palporum articulum ultimum cylindricum, truncatum, mentum fere cordatum, ad apicem plus minusve emarginatum, antennas corpore dimidio breviores, articulo tertio duos sequentes longitudine aequante, leviter serratas, thoracem (in Nyctеliis laevem) plus minusve longitudinaliter plicatum. Pedes posteriores mox longi arcuati, mox breviores, robustiores, hirti, in maribus clavati, thorax nunc abdominis latitudine nunc abdomine angustior, abdomen feminarum hic puncta aut lineas laevigatas, illic lineas elevatas ostendens, divisionibus pluribus secundariis locum dant. Species fere omnes hic pertinentes in Brasilia non sunt inventae, sed Travesiae, in valli Uspallata et in Andibus. Species plures grandes interdiu cursitant, et sole calidissimo sub radicibus lapidibusque sese abscondunt; aliae contra, quae thoracem abdomine angustiorem elytraque pellicula flavida obtecta, nigro-maculata offerunt, semper sub lapidibus hospitantur, noctu tantum proveniunt. Omnes inodorae; et cognitarum unica solum. *Nov. gen. andicola Lac.* efflorescentiam griseam ostendit, quae detrita celeriter renovatur. Species aliae, quae insignes: mento quadrato, transversim bipartito, ad partem superiorem profunde exciso, thorace brevi, convexo, medio bicristato, utrinque spina laterali, deplanata, retrorsum recta munito, abdomine plus minusve elongato-quadrato postice lati-

ore, sine lineis e punctis elevatis, pedibus in utroque sexu simplicibus, antennis hirtis filiformibus, articulis cylindricis, ultimo brevi, ovali, distinctam sectionem sibi exposcunt, hucusque quatuor speciebus efformandam. Elytra eorum lineas elevatas, irregulares, interruptas offerunt. Efflorescentia et odor nullus. Travesiae et in montibus Serra de Cordoba dictis lectae sunt. *Scotobii*, quoad habitum Scauris affines, inde a Brasilia meridionali et Bonaria usque ad Chilensium et Peruvianorum imperia proveniunt. Solum sabulosum humo mixtum frequentant, etiam sub truncis decisis et in cellis habitant. Lento passu eoque interrupto ingrediuntur, et quiete pedes attrahunt. Odorem nullum exhalant, plerumque vero efflorescentia grisea subtili obtecti observantur. Mares specierum nonnullarum dentem validum in femoribus anticis gerunt. *S. cacicus* et *granosus Lac.* sunt Provinciae Tucuman proprii. *Sc. armentarius Lac.* omnium minimus, ea praesertim loca frequentat, ubi pecora concluduntur (Curraes), rariusque Cactos putrefactos. *Sc. varicosus Dej.* corpore angustiore, palporum articulo inflato, clypeo reflexo a reliquis differens, satis communis ad ripam fluminis Uruguay, in Bonaria australi rarissimus, quoad mores speciebus praecedentibus est similis. *Praocis*, genus a cl. Eschscholtz conditum, trophis et antennis ad genera praecedentia valde accedens habitu, satis differt. Thorace gaudet grandi, convexiusculo, in speciebus nonnullis quam abdomen latiore, interdum dentibus duobus minutis ad angulos posticos munito, abdomine convexiusculo, ad latera rotundato. Species hujus generis locis aridissimis, rupestribus ardenti soli expositis degunt; incessu gaudent agili continuo. Dum quiescunt, pedes extendunt; odorem nullum exhalant, efflorescentia subtili obtectae sunt. Regno chilensi, Andibus et regioni adjacenti orientali propriae videntur. *P. sylphoides*, *rotundatus* et *pentagonus Lac.* Praocis generi omnino pertinent; *P. dilaticollis* vero, *gravidus Lac.* aliique habitu paullum differunt. *Amphidora*, genus a cl. Eschscholtz super insectum quoddam Californiam inhabitans conditum, trophis et antennis Praoci simile, statura longiore, planiore differt. Thoracem offert supra fere planum, quadratum, angulis rotundatis, elytris elongato-ovatis. Cl. Lacordaire in Paramillo d'Uspallata speciem alteram invenit, *A. squalidam* illi dictam, quae lente ingreditur, nec odorem spargit, nec efflorescentia ornatur. Coleoptera tria a cl. Lacordaire in regione Travesia sub lapidibus inventa, ibi fossas parvas excudentia, in quibus quiescunt, incessu lento praedita, odore aut efflorescentia destituta, genus distinctum constituere debent: trophis et antennis Amphidorae similes, habitu singulari excellunt. Corpus prae se ferunt elongatum, angustum, elytra supra plana, epipleuris abrupte separatis, lineis duabus elevatis, postice in nodulum conjunctis; thoracem plus minusve supra caput protensum, disco convexum, lateribus rotundatis, angulis posticis inflexis. (Anne huc referendae *Asida platynotos* et *picta* operis nostri?) Cl. Lacordaire species multas invenit, quae absque dubio huic tribui adscribendae ab omnibus vero hucusque nominatis trophis mento plus minusve obtectis differunt. Genera plura constituere debent, omnia regionis Travesia et vallis Uspallata indigena; moribus vero peculiaribus non indulgent. *Nov. gen. erotyloides Lac.* structuram oris omnino singularem offert. Trophi subtus a mento omnino obtecti sunt; mandibulae vero supra magna e parte nudae, ob clypeum angustatum inter eas se protendentem, denticulos tres offerentem. Elytra valde convexa, membranacea, tenuia formam offerunt, qualis in Erotylis nonnullis observatur. Haec species in Mendoza locis sabulosis, sub lapidibus non rara.

BLAPOIDES

in America genera pauciora exhibent. *Nycterini Eschsch.* Blapibus parvis gracilibus similes, thorace gaudent fere plano ad latera rotundato, elytris cylindricis, antrorsum parum angustatis. Autumno proveniunt, locaque arida et arborum radices frequentant, incessu Blapis, et odore simili vehementiore tamen praediti. Efflorescentia in his nulla observata. In regionibus Andium occidentalibus et regno chilensi indigenae. Cl. Lacordaire duas species, ambasque novas collegit. *N. elongatum* et *substriatum Dej.* *Scotini* Brasiliae propriae sunt. Incessu et moribus Asidas simulantes, reperti sunt locis sabulosis sylvarum, saepiusque sub truncis decisis mense Januario.

TENEBRIONIDES

in America meridionali formis numerosis conspicui fere omnes sub corticibus putridis, truncis arborum decisis, et in latrunculis aedium obscuris frigidulisque hospitantur. *Opatri* species tres novas cl. Lacordaire detexit in Sierra de Cordoba et regione Travesia. *Tenebriones* magni statura pariter ac moribus ab europaeis diversi sub corticibus et in truncis hospitantur. Fere omnes liquore copioso, valde caustico, illo Carabicorum magis penetrante ex ano stillante sese obtegere valent, et nonnulli e. g. *T. grandis*, *armatus Dej.* foedo Carabicorum more ejaculant. (Sub corticibus mense Januario degunt: *T. maximus Germ.* *T. armatus Dej.* (Upis), *Ceratupis nigerrima Pty.* Speciem

minorem observavimus in museo Leuchtenbergensi.) In Bonaria unica tantum species invenitur, quae habitu europaeis similis, in domibus degit, pariterque in Brasilia et in Cayenna occurrit: *P. sinuatocollis Dej.*, *Upis exarata Dej.* vulgatissima, in agmina congregata ad arborum truncos, praesertim vulneratos, corticumque fissuras in Brasilia reperitur. Liquore caustico penetrante sese obtegere potest. *Ulomatis* species valde numerosae (per totam Americam meridionalem dispersae) omnes sub corticibus putrefactis et truncis hospitantur. Odorem Tenebrionis spirant, sed liquore privatae sunt. Species maxima, prae omnibus memorabilis, *U. excavatum Dej.*, in Brasilia rara. *U. infame Lac.* in urbe Santjago imperii chilensis vulgatissimum, in quisquiliis, excrementis humanis, latrinis degit. (Sub corticibus mense Januario plures *Ulomatis* species inveniuntur.) *Phaleria bisignata Dej.* prope Sebastianopolin valde communis ad maris littora sub cadaveribus degit, profunde in arenam humidam sese infodit. Omnes *Diaperidis* species, Americae meridionali communes, sub corticibus et in fungis habitant. Incessu plus agitato ingrediuntur, quam *D. boleti Fabr.*, odorem spirant, et liquore sese obtegunt, pariter ac Tenebriones. *D. dimidiata Dej.* species rara, corpore globuloso est; mas in thorace tuberculos duos gerit. (*Hypophlaeus rufipes Fabr.* mense Januario rarissime supra ligna caesa invenitur.) *Eustrophi* in plantationibus, ad arborum decisarum truncos, saepius in agmina congregati, vivunt, et celeri cursu et saltationibus conspicui. Odorem parum vehementem spirant, illi Diaperidum simili. Cl. Lacordaire quatuor species collegit. *Boletophagi* raro sub corticibus desiccatis in plantationibus inveniuntur, ingressu lento, odore *Eustrophi*. *Epitragi* quoad mores cum *Helopis* speciebus nonnullis conveniunt: folia frequentant, et vespere per sylvas volitant. Cujus quidem generis species aliae in Brasilia, aliae in Tucuman et in faucibus Andium occurrunt. *Dircaeae* in fungis aut truncis desiccatis hospitantur, ubi canales cylindricos cavant. Cl. Lacordaire duas species collegit: *D. fuscipennem* et *bilineatam Dej.*, forsan *Serropalpum lineatum* operis nostri? (*Niliones* ad arborem truncos degunt, lenteque ingrediuntur. Tacti sese cortici tenacius affigunt, antennasque sub thorace abscondunt; aut pedes attrahunt, Coccinellarum more per longius temporis spatium immobiles remanentes. Odore sunt pergravi, Helopidum simili. (Mense Januario supra ligna putrida degunt: *N. Freyreisii Heyd.*, *maculatus Germ.* et *marginatus Fabr.* (Coccinella). *Helopidis* species per omnem Americam meridionalem dispersae, praesertim in Brasilia copiosae, statura et moribus mirum variae. Species nonnullae, antennarum articulis quinque ultimis serratis, thorace subquadrato, *Campsiam Lep.* et *Serr.* constituentes, morum ratione cum Tenebrionibus conveniunt, loca eadem frequentant, odorem eundem spirant. Quamvis alis instructae, nunquam volantes observatae. Huc referendi: *H. multipunctatus*, *acutipennis*, *elongatus*, *cupreus*, *flavicans Dej.* et reliquae species grandes. Species aliae, genera plura propria constitutura, mores eosdem offerunt, e. g. *H. binodosus*, *productus*, *angulatus*, *punctatissimus Dej.* etc. Nonnullae quoad structuram cum Campsiis conveniunt, moribus vero differunt, sicut *H. fasciatus Fabr.*, *zebra*, *histrio*, *iris Dej.*, qui supra folia nec non ad arborum truncos degunt, et sub sole flagrantissimo in sylvis volitant. Eadem vivendi ratione *Stenochiae Kby.* et *Sphenosomata Dej.* gaudent. (*Helops flavus Pty.* mense Januario raro supra herbas occurrit; quo quidem tempore et *H. striatus Fabr.* sub corticibus degit. Eodem mense in lignis caesis inveniuntur: *H. morbillosus Fabr.*, *Strongylium corruscum Pty.*, *haemorrhoidale Fabr.*, *flavicrus Germ.*, *rufipes Kby.*). *Sphaerotus curvipes Kby.* in terra sub ligno mortuo hospitatur, et interdum truncos scandit. Lente ingreditur, et odorem uti Campsia exhalat. Species hujus generis, cui novam addidit cl. Lacordaire *S. laevigatum Dej.*, apterae sunt. (*Sph. curvipes Kby.* mense Januario supra lignum caesum reperitur.) *Alleculae* cum Helopibus moribus et odore conveniunt. Cortices foliis praeferunt, et pleraeque tactae liquore copioso sese illiniunt, ex ore et corporis lateribus edito. Aegrius ingrediuntur, et raro volitant. Species pleraeque Brasiliae indigenae, *A. brunnea Dej.* Tucuman et Bonariam inhabitat. *Lagria praeusta* et *melanaria Dej.* more europaearum supra folia degunt, sicut *Statyrae*, quae *Agrarum* ad instar, forma similium, se foliis applicant. Turbatae eodem modo aufugiunt, volatus peritae. (*St. aenea Pty.* nov. spec. mense Januario supra plantas degit, folia involvit, iisque se absondit.*) *St. Schuch Pty.* nov. spec. eodem tempore rarissima supra herbas invenitur. *Goniadera crenata Pty.* mense Januario sub corticibus hospitatur.) *Prosteni Latr.* species elegantes, Brasiliae propriae supra folia et flores degunt, et lente ingrediuntur. Licet alis instructi, nunquam volantes observati. Iisdem moribus indulgent *Lystronychi Latr.* (Species utriusque generis a mense Januario usque ad Martium in sylvis caeduis occurrunt. *P. violaceus Pty.* mense Januario infra ligna hospitantur. *Lystronychus equestris Fabr.* (Helops) mense Martio in sylvis reperitur, pariter ac *L. eximius Pty.*)

---

*) More Rhynchitidis bacchi aliarumque hujus generis specierum.

Ripiphori, Pelecotomata et Mordellae mores eosdem ostendunt, sicuti species europaeae. Flores rariusque folia frequentant; si eos tangere vis, celeriter aufugiunt. Species plurimae Brasiliae indigenae. In regno chilensi, prope urbem St. Jago dictam copiose in plantis umbelliferis inventae sunt *Mordella 5-guttata d'Urv.* et *chilensis Dej.* (*M. lunata St.* mense Decembri in lignis putridis degit. *Mordella ophthalmica Pty.* nov. spec. Mus. Leuchtenb. semper agilis mense Novembri in agmina congregata in Maranta, planta scitaminea, hospitatur. (*Horia maculata Fabr.* prope Sebastianopolin non rara, sub corticibus habitans, et volatu et cursu tardo, ex ore liquorem flavidum odoris peculiaris edit. *Tetraonychis* species, omnes Brasiliae indigenae, numerosae, supra plantas humiles foliaque degunt, celere volant, odorem Horiae exhalant. *Cantharides* americanae mores et vivendi modum europaearum offerunt, sed odorem minus vehementem spirant, virtute vesicatoria minus pollent, quam ob causam pharmacopolae brasilienses Cantharides europaeas praeferunt. Species fere in tota America meridionali dispersae: nonnullae in agmina congregata degunt, sicut *C. conspersa* et *punctata Dej.* bonarienses; aliae e contrario solitariae vivunt, e. g. *fucata*, *affinis*, *capitata Dej.* brasilienses; *femoralis Dej.* chilensis, et *Lacordarei Dej.* Provinciam Tucuman inhabitans. (*Ch. philaemata Klug* mense Octobri in sylvis caeduis hospitatur. *Ch. bilineata St.* ibidem Januario invenitur.)

CURCULIONIDAE

in America meridionali et numero et formarum varietate excellentes moribus satis consentiunt, tantum vegetabilibus vescuntur, et rarius quamvis pleraeque alati, volantes observantur. Species apterae ibidem multo rariores, quam in hemisphaerio orientali. *Bruchi* moribus et habitatione ab europaeis vix differunt. *Anthribi* ad arborum truncos et sepes degunt; nunquam eos sub corticibus, rarissime supra folia cl. Lacordaire reperit; plerique aegrius volitant et tarde currunt; e. g. *A. cylindricus*, *glaucus*, *curculioides Dej.*; *A. luctuosus* et *dorsiger Dej.* vero summa velocitate et volitant et currunt. (*A. elongatus Germ.* cum multis congeneribus mense Januario sub corticibus hospitatur.) *Attelabi* quoad mores ab europaeis non differunt. Unam tantum speciem *Rynchitidis* cl. Lacordaire raro in Brasilia invenit, *R. cyaneum Dej.*, vitae ratione cum nostratibus consentientem. *Brenthi* omnes sub corticibus siccis aut subputrefactis, saepius numeroso agmine vivunt. Rarius arbores scandunt, si tangere conaris, decidunt. Lente et ardue ingrediuntur ob rostri et prothoracis enormem longitudinem. Mares, Hylotomatum more, dum currunt antennas perpetuo vibrant. Nunquam volantes observati, et saepius species variae copulatae inveniuntur. *Arrhenodae Schönh.* rarius occurrunt, in lignum putrescentem sese infodientes. *Taphroderes simus Dej.* moribus cum Brenthis convenit. (Januario mense sub corticibus reperiuntur: *B. anchorago Fabr.*, *concolor Pty.*, *laticornis Klug*, *mandibularis Dej.*, *dentirostris St.*, *Ulocerus immundus Dalm.*) *Rhinotiae*, generis Brasiliae et novae Hollandiae communis, tres species legit cl. Lacordaire: *R. variegatam*, *similem*, *praeustam Dej.* volatu et coloribus Lycis similes, eorumque more antennas flectentes, et mortem dissimulantes. *Ulocerus* moribus omnino Brenthi gaudet. *Rhigi*, elegantis et singularis formae, supra fruticum aut herbarum folia solitarii degunt, lente ingrediuntur, et rarissime volitant. Omnes Brasiliae propriae. Prope Sebastianopolin praesertim vulgares: *R. Schüppelli Germ.* et *arrogans Dej.* (*Rh. mutillarius Pty.* in fruticibus, locis apricis rarissime invenitur.) *Entimus imperialis Fabr.* et *nobilis Oliv.* in Mimosae (et Ingae) speciebus sociales degunt, interdum, praesertim in Brasiliae mediterraneis immensa copia inveniuntur. (*E. nigrosparsus Pty.* Januario mense in sylvis humidis rarus.) *Thylacidis* species in fruticibus et herbis saepius numerosae. *Brachyderes* et *Leptoceri* genera diversis formis in Brasilia superbientia vel in Bonaria inque Andium regione occurrunt, in arboribus herbisque hospitantur. Mares statura longiore magis cylindrica et prothorace majore a feminis facile discernendi. *Cyphi* moribus et statura Rhigis valde affines. Species grandes in arboribus praesertim Leguminosarum degunt, minores frutices inhabitant, frequentes in Brasilia. In Bonaria unica species, *C. pulverulentus Dej.*, inventus est. (*C. gibber Fabr.* totum per annum in plantis Solaneis hospitatur. *C. niveus Fabr.* mense Augusto in fruticibus locis apricis non rarus.) Cyphorum mores et vivendi modus etiam observantur in generibus quae sequuntur: *Eustales*, *Diaprepes*, *Entyus*, *Hypsonotus*, qui pulchris et numerosis formis excellit, *Listroderes*, cujus species *L. bituberculatus Dej.* Bonariae communis, totum per annum sub corticibus hospitatur, *Hypera*, *Otiorhynchus*, *Hyphanthus*. *Lixi* numerosi supra folia degentes, pulvere flavido, fugacissimo, post detritionem mox renovato obtecti sunt. (*L. hirticauda Germ.* Januario mense Mimosarum folia inhabitat. Ibidem Augusto *Entyus auricinctus Germ.* et *Pissodes adspersus Pty.* reperti.) *Heilipi* morum ratione *Cryptorhynchis* sese appropinquant. Rarissime supra folia occurrentes, praesertim ad arborum truncos inveniuntur, ubi tacti ungulis corticem arripiunt, et tenaciter retinent. Species numerosissimae

nunquam volantes observatae. (*Heilipi* species plures mense Decembri et Januario arbores tunc virentes inhabitant.) *Choli* mores praecedentium offerunt, saepius tamen volitant. *Homalinoti* ad arborum truncos immobiles sedent, *Archariae* vero, pariter ac *Amerhini*, folia praeferunt, et appropinquante hoste decidunt. *Baridii* fruticum folia amant, in agmina congregati; raro volant. (*B. Heloseos* victum et habitationem v. Delect. p. 216. Mart. Nov. Gen. pl. III. p. 185. *B. interpunctatus Germ.* Mimosarum folia frequentat.) *Cratosomi* corpore convexo, rotundato praediti, e. g. *C. stictocus Germ.*, *superbus Dej.* supra folia degunt; alii contra corpore planiusculo, subquadrato, aspero, truncos pro domicilio habent. Omnes periculo appropinquante decidunt. *C. Latreillii* montibus Provinciae Cordubensis proprius. *Cryptorhynchi* numerosi fere omnes ad truncos degunt, et sicuti species generum confinium imminente discrimine decidunt. Lente ingrediuntur, fere nunquam volant. Comprehensi mortem dissimulant, rostrum in pectore cavo abscondentes, pedesque attrahentes. Species plurimae in Brasilia, nonnullae etiam in Bonaria et in Andium regione occurrunt. (*C. Arnoldi Kby.* Lin. Trans. XII. p. 433. Januario mense supra Solanearum folia reperitur. *C. Leachii Kby.* l. c. p. 432. eodem tempore Mimosarum folia inhabitat.) *Macromeri*, *Pinari*, *Diorymeri* morum ratione cum praecedentibus omnino conveniunt. *Bagoi* plures in Bonaria ad arborum truncos inveniuntur; in Brasilia desunt. *Scleropterus granicollis Germ.* Amerhini mores offert. *Zygopes Schönh.* (Eccopti Dej.) primo intuitu Cryptorhynchis minutis similes, moribus gaudent singularibus. Omnium confamiliarium celerrimi et volatu et cursu, semper ad arborum truncos inveniuntur, et appropinquante hoste celerrime aufugiunt, aut decidunt, et inter lapsum avolant. Comprehensi mortem dissimulant. Species valde numerosae. *Piazori* iisdem insignes moribus. *Centrini* et *Eurhini* fruticum folia frequentant. *Rhina barbirostris Fabr.* in Brasilia prae ceteris hujus generis speciebus communis (mense Augusto supra plantam Piperaceam observata) folia inhabitat, ubi lente ingreditur, eaque tenaciter arripit, siquis eam auferre conatur. Exempla magnitudine valde variant. *Calandrae* bene volitant, vespere proveniunt, interdiu ad arborum truncos et sub foliis latitant. *C. palmarum Linn.* inter omnes vulgatissima, ubique occurrit, ubi Palmae crescunt, ideoque usque ad urbem Corrientes invenitur. Volatu celeri, sed parum elevato, susurrit. Larva in Brasilia aeque ac in aliis Americae regionibus ab Indis editur. In Bonaria et in Provincia Montevidensi *C. signaticollis* et *spreta Dej.* sub acervis plantarum et cadaveribus desiccatis communes. *C. granata Lac.* frumentum in domibus conservatum devorans, multum detrimentum affert. (*C. palmarum* in Indiae occidentalis insulis Saccharum officinarum arrodit. Praesertim stirpi jam diutius plantatae, feminam succo exsudante allicienti, obnoxia. Interdum plantas ita devastat, ut plantatio nova necessaria fiat. Si Palmae satis copiosae in vicinitate crescunt, Sacchario adulto ova non imponere videntur. *C. Sacchari* plerumque fortuito laesas plantas infestat; interdum vero vel validas et robustas aggreditur, culmos in fundum usque excavans, et canalem excrementis, quae granis discoloribus constant, implens. Lausdown Guilding, in the Magaz. of Nat. Hist., June 1832 p. 467 seq.) *Acoryni* et *Cossoni* sub corticibus putrescentibus degunt. Prae ceteris communes *A. morbillosus Dej.*, *C. haemorrhoidalis* et *affinis Dej.*

XYLOPHAGA

Americae meridionalis quoad mores et vitae rationes cum europaeis plane consentiunt. Partim in lignis siccis, partim sub corticibus humidis degunt; multa in domibus hospitantur, et utensilia et vegetabilia infestant. *Hylurgi* et *Hylesini* sub corticibus humidis inveniuntur. *Camptocerus aeneipennis Fabr.* in Brasilia rarus, Cayennae etiam indigena in lignis mortuis habitat, canales profundos excavans. (*Camptoceri* Januario mense sub corticibus humidis reperiuntur). *Scolytus anthracinus Dej.* eosdem offert mores. *Bostrichi* unica species, quam cl. Lacordaire observavit, mores congenerum europaeorum offert. *Platypi* species numerosas observavit cl. Lacordaire, plerasque Brasilia proprias, unam Bonariae: *P. testaceum Dej.* Semper in canalibus reperiuntur, quos in ligno mortuo excavant, et bene volitant. (*Platypus species nov.* mense Januario sub corticibus putridis hospitatur.) *Apatae* numerosae sub corticibus degunt, et volatu facili praeditae videntur. Species plures Brasiliae et Bonariae communes. *A. chilensis Lac.* in regno chilensi satis vulgaris. (*Bostrichus bicornutus* (Apate) Latr. Humb. Voy. Observ. Zool. pag. 95. tab. 31. f. 6. Januario mense sub corticibus putridis hospitatur.) *Bitoma impressicolle Dej.* est unica Bitomatis species a cl. Lacordaire in America meridionali observata. Inter congeneres grandis, totum per annum sub corticibus in Bonaria et Provincia Montevidensi occurrit. *Colydium sulcicolle* et *brasiliense Dej.* vulgaria sub corticibus. *Trogositae* corpore elongato subcylindrico insignes, sub corticibus siccis degunt; species latiores, depressae in domibus hospitantur, et fructus siccos ibi conservatos devastant. Omnes vespere volitant. *T. aenea Fabr.*

prae aliis in Brasilia et Bonaria vulgatissima, *major Dej.* in Brasilia rara, *canescens Dej.* Bonariae propria. *T. caraboides F.* sine dubio ex Europa translata. (*T. festiva Dej.* Januario mense supra cortices rarissime invenitur, et Buprestidum, quibus colorum splendore similis, more ingreditur.) *Cucujus mandibularis Dej.* (an Gen. *Palaestes Pty.* Delect.?) raro sub corticibus legitur. (Hanc ad familiam referri posset genus *Isonotus Pty.* Delect. nisi, quominus huc traheretur, tarsi quinquearticulati vetarent. *Isonoti* species Januario mense sub corticibus degunt.)

CERAMBYCINI

in America meridionali praesertim in Brasilia, speciebus numerosissimis, elegantissimis, statura amplissimis abundant. Quorum mores summopere varii generibus, qualia systemate constituta sunt, vix conveniunt. Nova, quam cl. Lepelletier et Serville instituerunt, distributio nondum typis exscripta nos latet. *Parandrae*, Cerambycinos cum familia praecedente conjungentes, nullibi nisi sub corticibus humidis reperiuntur; vespere saepe volitant. *P. glabrata* et *maxillosa Dej.* in Brasilia valde communes Februario apparent. (*P. brunnea Latr.* Januario in ligno arborum e Terebinthinacearum ordine vivit.) *Passandra rufa Fabr.* sub corticibus degit, vespere saepius volitat. *P. 6-striata Dalm.* Januario mense in arbore suaveolente e Laurinearum ordine rarissime degit, et odorem Violarum amoenum spargit. Cl. Dalm. in patriae designatione errat, Sierram Leonam indicans, Schönh. Synon. Append. tab. 6. f. 3. p. 146., nam hoc insectum in Brasilia habitat.) *Macrodontia Lepel.* et *Serv. cervicornis (Prionus Fabr.)* in Brasilia haud ita rara. In plantationibus sub corticibus aut ad arborum radicem occurrit. Raro vespere cum susurro volitat, volatu tardo interrupto, neque alto. Strepitum non edit, Januario apparet. *Ctenoscelis Lep. et Serv.* (Prionus Fabr.) *scabricollis Dej.* praecedenti magnitudine et moribus fere aequalis, pedes posteriores ad elytrorum marginem fringens sat vehementer strepit. Sexus valde differunt. *Mallodon Lep.* et *Serv. spinibarbis (Prionus melanopus Fabr.)* in Brasilia, Bonaria et Tucuman usque ad Andium radices communis, in canalibus profundis ab ejus larva in arborum truncis excavatis degit. *Anacanthus* (Prionus Fabr.) *costatus Lep.* et *Serv.* sub corticibus prope Sebastianopolin valde rarus, in Brasiliae mediterraneis frequens. Tarde ingrediens, nunquam volans observatus. *Orthosoma Dej.* (Prionus Fabr.) *badium Dej.* sub corticibus hospitans raro volat. (*Prionus maxillosus* et *dentatus Fab.* Januario sub corticibus inveniuntur.) *Poecilosomatis Lepell.* et *Serv.* (Prioni Fabr.) species colorum splendore et statura a praecedentibus diversae semper supra folia et ad arborum truncos occurrunt. Strepitum non edunt, et Januario apparent. Huc referendi sunt: *P. 4-punctatum, versicolor, rufipenne, 4-maculatum Dej.* (et verosimiliter *Prionus Martii* et *flammiger Pty.* Delect. *Prionus nigerrimus* Pty. nov. spec. Januario ad Ficuum radices rarissime invenitur. *Tropidosoma Pty. Spencei Kby.* (Prionus, Allocerus Lepel. et Serv.) raro sub corticibus in Brasilia et in Provincia Montevidensi hospitatur.) *Ceroctenus abdominalis Dej.* prope Sebastianopolin supra folia copiosus, saepe sub sole flagrantissimo volat. *Megaderus stigma Fabr.* praecedenti contubernalis, odorem vehementem et insuavem spirat. Frequenter volans observatur. *Hamaticherus militaris Dej.* brasiliensis, et *Lacordarii Dej.* bonariensis, sicuti congeneres europaei, supra arbores inveniuntur et vespere in sylvis volitant. Prothoracem contra mesothoracem fringentes stridorem edunt. *Criodia* et *Xestiae Lep. et Serv.* moribus iisdem indulgent. *Chlorida Lep.* et *Serv.* (Stenochorus Fabr.) *festiva Fabr.* et *costata Dej.* in Brasilia communes, supra folia ad arborum truncos, et interdum sub corticibus degunt. Interdiu saepius in sylvis volitant. Strepitum valde acutum edunt, prothoracem ad mesothoracem fringendo. (*Stenoch. festivus Fabr.* mense Januario ad lignum aedium invenitur, et amoenum mellis odorem spirat.) *Dorcacerus barbatus Oliv.* a Brasilia usque ad urbem Corrientes supra folia et ad arborum truncos communis, frequenter interdiu volitat, et strepitum acutum ope thoracis edit. (*D. barbatus Oliv.* mense Decembri supra arbores degit, e quibus succus emanat. Cl. Germar hoc coleopteron sub nomine Trachyderis auricomi descripsit. Mag. f. Entom. Vol. 4. pag. 168.) *Cerambyces* omnes more C. moschati nostratis odorem rosarum spargunt, praesertim *C. phyllopus Dej.*, cujus praesentia in sylvis magna distantia sentitur. (*C. sericeus Fabr.* mense Januario supra arbores degit, et penetrantem rosarum odorem exhalat.) Etiam *C. laetus Dej.* Bonariae indigena proprietatem illam offert. (*Lissonotus purpuratus Germ.* Januario supra arbores Rubiaceas, quas Quinquinas vulgo dicunt, vivit, et taediosum opii odorem spargit.) *Orthostoma* (Lep. et Serv.) *abdominale* supra folia vivit, interdiu volitat et strepitum edit. *Cosmii*, maxima e parte Brasiliae indigenae, fasciculis pilorum ad antennas facile distinguendi, supra folia et arborum truncos degunt, quos celerrime scandunt. Interdiu volitant, et strepitum acutum thorace edunt. Huc referendi *Ceramb. scapulicornis, hirsuticornis Kby. Callichroma plumicorne Dej.* pluresque alii. Species tres in Bonaria inventi. (*Lamia plumicornis Klug.* Januario

supra ligna caesa reperitur.) Eosdem mores offert *Campsocerus barbicornis* Lep. et Serv. (*Saperda plumigera Oliv.*,) qui in Brasilia et Provincia Montevidensi reperitur. *Trichophorus* Lep. et Serv. *albomaculatus* Dej. (Stenochorus) unica hujus generis species, Bonariae propria, ad arborum truncos se applicat, antennas supra dorsum reflectens; vespere volitat. Strepitum acutum ope thoracis edit. *Lophonocerus hirticornis Kby.* in Brasilia vulgaris, interdum sub arborum corticibus in agmina congregatus. Lente ingreditur, raro volitat. (Haec species Januario mense in sylvis novellis reperitur.) *L. strigosus Dej.* praecedente agilior. Uterque thorace strepit. *Trachyderis* species omni Americae meridionali calidiori communes frequentes adsunt. Omnes observante cl. Lacordaire ad arborum truncos applicati antennas supra dorsum reflectunt. Appropinquante hoste rapide aufugiunt, interdum decidunt. Saepius in societates congregati ad arborem vulnera succum emanantem bibunt. (Supra plantas e Cruciferarum familia Januario mense vivunt: *T. striatus Fabr.*, *basalis Dej.*, *rufipes Fabr.*, *signatus Schönh.*, *succinctus Fabr.)* Vespere saepissime, rarius interdiu volant, et stridorem thorace edunt. *Chrysoprasi* Lep. et Serv. (Callidia Fabr.) supra folia, adque arborum truncos communes, interdiu in plantationibus volant. Thorace strepitum edunt. (*Chrysoprasi* species mense Octobri supra flores hospitantur.) *Eburiae* Lep. et Serv. (*Stenochori* Fabr.) species grandes, corpore paene cylindrico, sub corticibus, et in truncis compage molli degunt; e. g. *E. 4-maculata Fabr.*, *distinguenda*, *morosa Dej.* Species corpore planiusculo, elytris mollioribus, femoribus ad apicem spinosis, supra folia antennis reflexis se applicant. Si eas tangere vis, celerrime aufugiunt, et decidunt. Omnes thorace strepitu edunt. (*St. 4-maculatus Fabr.* mense Januario in cubiculis reperitur. *St. pallens Fabr.* eodem tempore supra lignum mortuum degit. *St. conspicuus Pty.* Delect. Decembri supra flores hospitatur. *St. Batus Fabr.* eodem mense raro in domibus invenitur. Plures *Acanthopterae* species eosdem mores offerunt.) *Mallocera glauca Dej.* et *Stenochori* pari vivendi modo gaudet. *Callidia* quoad mores ab europaeis non differunt. Species nonnullae in Tucuman et Bonaria observatae. *C. strepens Fabr.* Hispaniae incola, etiam in Brasilia occurrit. *Clyti* species numerosae et elegantes, etiam in Tucuman et Bonaria inveniendae, moribus ab europaeis non abhorrent. (Clyti species, praeter alios *Cl. Dama* et *carinulatus Pty.* Octobri mense supra lignum et cortices reperiuntur; nonnullae etiam flores frequentant.) *Ancylocera sanguinea Dej.* supra folia vivit, interdiu in sylvis volitat, ex thorace strepitum acutum edit. *Oregostomata* Lep. et Serv. Stenopteris similia, supra folia et arborum truncos vulgaria. Velocissime currunt, et bene interdiu volitant. Thorace strepitum edunt. Eosdem mores *Stenygra tricolor Dej.* exhibet, sed strepitum non edit. *Ibidii* (Lep. et Serv.) species in Brasilia numerosae et vulgares, dum quiescunt positionem singularem prae se ferunt; folia frequentant, et in iis convolutis se tegunt. Ibidem pedes extendunt antennasque supra dorsum reflectentes, caput et thoracem elevant, ita immobiles manent per multum temporis spatium. Tactae celeriter aufugiunt, sed moleste currunt, et potius saltitant. Thorace strepitum edunt, et saepius interdiu in sylvis volitant. (Cl. Lepelletier et Serville nomine Ibidii *Compsam* meam designare existimaverim. Plures *Compsae* species Decembri et Januario supra ligna emortua degunt, saepius in cubicula penetrant.) *Ozodes*, Brasiliae indigenae rariores, iisdem moribus sunt insignes. *Rhinotragus coccineus Dej.* morum ratione cum Stenopteris convenit. *Stenopteri* ad arborum truncos et ad plantationum sepes proveniunt; velocissimo cursu, volatu sat improbo praediti. Thorace strepunt. (*St. aurulentus Dej.* mense Octobri flores frequentat. *St. gracilis Klug.* Januario in ligno mortuo hospitatur. *Molorchi* spec. nov. Januario in floribus reperta est. Multi *Eryphi* et *Cosmii* Septembri usque ad Januarium in floribus et truncis degunt. Ibidem *Callichroma vinculatum Germ.* et *C. barbicorne Fabr.* (Callid.) reperta. Decembri supra lignum mortuum *Obrium? rufipes* occurit.) Prae ceteris *Acrocini* speciebus memorabilis *A. longimanus Fabr.*, prope Sebastianopolin vulgaris. Plerumque ad arborum truncum aut radicem occurrit, rarius sub cortice. Tardissime ingreditur, et susurrans sed lente et inepte volitat. Thorace strepitum acutissimum edit. Haec tantum species thoracis spinas movere potest. In coitu mas pedes anticos valde elongatos spinis feminae admovet, quo forsan eam excitat. Exempla magnitudine et colore satis variant. *A. accentifer Oliv.* praecedente rarior. *Steirastomatis* Lep. et Serv. genus Acanthocinos nonnullos corpore depresso et thoracis spinis bifidis et planis complectens, quoad mores cum reliquis Acanthocinis convenit. Species in plantationibus, ad arborum truncos semicombustos, et saepius sub cortice sicco degunt. Illi sese applicant, antennas supra dorsum reflectunt, et tacti decidunt. Incessus tardus, raro observandus. Prothorace strepitum edunt. Huc referendae: *Lamia depressa Fabr.*, *L. lacerta stellio Dej.* Brasiliam inhabitantes et *L. bonariensis Dej.* Iisdem moribus gaudent *Dryoctenes*, *Anisoceri*, *Onychoceri (L. scorpio Fabr.)* et *Megabases* Lep. et Serv. (*M. speculiger Dej.*, verosimiliter *Acanthocinus speculifer* operis nostri) qui omnes species generis Acanthocini amplectuntur,

et Acanthocini sensu strictissimo sic dicti, per totam Americam meridionalem dispersi. (*A. scorpio Fabr.* mense Januario in sylvis caeduis legitur. Eodem tempore *A. grisescens Pty.* supra lignum mortuum reperitur.) *Pogonocheri* morum ratione cum europaeis conveniunt. *Monochami* Hamaticheris nostris quoad vivendi modum pares. *Lamiae* praesertim in hemisphaerio orientali occurrunt, plures tamen Brasiliae indigenae mores Acanthocini ostendunt. Femella *L. gratiosae* ovipositore exserto praedita. *Pterhoplii Lep.* et *Serv.*, a Lamiis Fabr. corpore elongato postice acuminato diversi, moribus iis pares. (Huc referenda *Saperda lichenigera* operis nostri.) Species generis *Compsosoma Lep.* et *Serv.* a Lamiis propriis corpore crasso, brevi discernuntur. Plerumque ad arborum truncos aut folia applicata nunquam volantia observantur. *C. concreta Dej.* prope Sebastianopolin vulgaris. (Huic generi forsan adscribenda est *Mesosa sericea* operis nostri.) Iisdem moribus gaudent *Oncyderes*, a Lamiis corpore cylindrico et capite antice uncis armato distincti. Non raro invenitur *O. signatiferus Dej.* Genera *Hypsioma* et *Trachysoma* vivendi modo cum praecedentibus consentiunt. (*Tapeina dispar Dej. Lep.* et *Serv.* Januario sub corticibus reperitur. *Hypselomus nov. spec.* eodem mense supra Erythrinas soli ardenti expositas degit. *Lamia cornigera* Decembri in sepibus provenit. *L. scutigera Vig.* Januario rarissime in arboribus juvenilibus degit.) *Colobotheae*, quas cl. Dejean a Saperdis separavit, etiam moribus distinguendae. Colobotheis incessus rapidus, Saperdis lentus; illae solum arborum truncos frequentant, hae folia praeferunt. *C. emarginata Oliv.*, *varia Fabr.* prae reliquis communes. (*C. leucospila Germ.* Januario mense, quo plurimae Cerambycinarum species proveniunt, in sylvis caeduis umbrosis reperitur. Eodem tempore *C. fasciata Pty.* supra lignum mortuum degit, cum duabus congeneribus.) *Hippopsis Lep.* et *Serv.* (Saperda Fabr.) habitu proprio praedita, capite subtus prolongato, antennas offert longissimas, quas quiete semper protendit. *H. lineolata Dej.* in Brasilia valde rara. *Cryptocranium laterale Dej. Lep.* et *Serv.* ab omnibus Cerambycinis capite e parte sub prothorace recondito differens, primo intuitu Hylecoetis simile, sub corticibus et in canalibus a larva excavatis degit, in Brasilia rarius obvenit. *Saperdae* brasilienses supra folia degunt, et europaearum moribus gaudent. Nonnullae vero corpore cylindrico, retrorsum angustato, quiete antennas protendunt, quae ad basin villosae sunt. Huc referendae *S. aulica*, *strigosa*, *patruelis Dej.* In Bonaria nulla species observata. (*S. haemispila Germ.* Februario mense supra Solaneas reperitur.) *Eurypterae Lep.* et *Serv.* antennarum et capitis forma elytrisque postice dilatatis insignes, quibus Lycis similes, supra folia hospitantur, aut in sylvis volant. *E. latipennis*, *Lacordarii Dej.* valde rarae occurunt. *Cometes hirticornis*, unica hucusque generis species, supra folia et herbas copiosa. Cl.ˢ Lacordaire unam tantum *Lepturae* speciem in Brasilia legit: *L. sellatam Dej.* moribus ab europaeis non diversam.

EUPODA, CYCLICA ET CLAVIPALPIA

quoad mores parum inter se differunt. Pleraque plantas frequentant; pauciora sub corticibus aut ligno putrido hospitantur. Multa ex ore aliisque corporis partibus edunt liquorem odoris singularis. Omnes alas gerunt, tam volatu quam incessu inter se pares. Plura femoribus posticis incrassatis saltitare possunt. *Megalopodes* supra plantas et arbuscula degunt. Volatus rarus, tardus. Tacti antennas flectunt, et e pedum articulis liquorem flavidum edunt. Pariter ac *Lemae* prothoracem ad mesothoracem fringentes strepitum edunt. Inter omnes vulgatissimi *M. cinctus M. L.* et *limbatus Dej.* (Januario mense in plantis occurrunt: *M. sellatus Germ.* (limbatus Dej.), *4-maculatus*, *adustus Pty.*, *analis Klug*, *signatus Klug.*) In Bonaria species nulla observata. *Lemae* europaearum mores et vivendi modum offerunt. *L. bilineata Dej.* in Bonaria communis. *Alurnus marginatus Fabr.* in Brasilia et Paraquaria usque ad Corrientes vulgatissimus, supra folia hospitatur, ex ore liquorem flavidum edit. *Hispae* speciebus abundantes, supra herbarum et fruticum folia degunt. (*Chalepus dictyopterus Pty.* aliaeque hujus generis species Septembri mense in fruticibus reperiuntur.) *Himatidia* et *Cassidae* moribus plane consentiunt. Species valde variae et numerosae, per totum Americam meridionalem dispersae, corporis totius et antennarum forma valde differentes sectiones plures exposcunt. In Brasilia et in Bonaria vere apparent, totum per annum adsunt; in Bonaria per hiemem sub corticibus et in cactis putridis gregatim sese abscondunt. Frigori facile resistentes pluviis pereunt. *C. stigmatica*, *vulnerata*, *cyanescens Dej.* *pustulata Fabr.* in agmina congregata supra plantas vivunt, aliae solitariae illis non minus copiosae. Interdiu saepius volant, tactu liquorem flavidum ore edunt. (Supra diversas plantas totum per annum inveniuntur: *Himatidium turritum Illig*, *6-punctatum Fabr.*, *chalybeum Germ.*, *porosum Pty.*, *festivum Dej.*, *inaequale Fabr.*, *chalconotum Pty.*, *muticum Pty.*, *rufum Dej.*, *Cassida consocia Pty.*, *tetragramma Pty.*, *5-punctata St.*, *discimaculata Pty.*, *circumscripta Pty.*, *circumcincta St.*, *polita Klug.*, *ad-*

spersa Pty., *nitida St.;* Januario mense supra frutices degit *H. nodosum Dej.*) *Gallerucae* moribus conveniunt cum europaeis. Species majores tactae mortem dissimulant, et liquorem flavidum copiosum ex ore et pedum articulis edunt, qui in *G. viridi Dej.* limpidus et copiosissimus observatur; statura minores hac facultate destitutae. (*G. prasinipennis Dej.* aliaeque species mense Januario supra plantas humiles reperiuntur.) *Octogonotes Drap.* hemisphaerii novi indigena, mores Halticarum offerunt, iis vero rariores occurrunt. *Halticae* in Brasilia copiosissimae totum per annum aequali numero adsunt. Magnitudine europaeas valde superant, moribus conveniunt. Pleraeque in agmina congregantur, et copulationes hybridae saepissimae observantur. Species grandes aegrius saltitant. *Colaspidis* species numerosae supra folia vivunt; nonnullae magnitudinis mediae, sed splendidae, Bonariae propriae. (*Colaspis* species Januario mense supra ligna caesa occurrit. Eodem mense supra plantas humiles inveniuntur: *C. testacea Fabr.*, *ruficrus Germ.*, *pallipes Dej.*, *viridipennis Dej.* etc.) *Doryphorae* speciebus Chrysomelas in Brasilia superant; lente supra folia ingrediuntur, et species majores tactae decidunt. Ore liquorem flavidum edunt. In Bonaria nulla observata. (Supra diversissimas plantas mense Januario reperiuntur: *D. ahena St.*, *cincta Germ.*, *axillaris Germ.* pluresque aliae. Ad sudes degunt eodem tempore: *D. tessellata Oliv.*, *histrio Oliv.*, *ahena St. D. metallica St.* mense dicto in Piperis fruticibus hospitatur.) *Chrysomelae* moribus cum europaeis consentiunt. Nonnullae gregatim vivunt; e. g. *lunifera Dej.*, *semi-marginata Fabr.*, *polyspila Germ.*, quae in Brasilia rarior, in Bonaria et Tucuman vulgatissima. (*Chr. leucomelaena* Januario in plantis lecta. Eodem mense in Solaneis leguntur: *Ch. polyspila Dej.*, *6-lineata Pty.*, *tetragramma Dej.* Ad sudes invenitur *Ch. xanthoptera Pty.*) *Eumolpi* Colaspidum mores offerunt, sed speciebus et individuis minus abundant. Inter majores *E. fulgidus Oliv.* reliquis frequentior, sub foliis fruticum gregatim affixus reperitur. *E. ignitus Fabr.* praecedente rarior. Inter minores *E. lineatus Germ.* copiose obvenit. Species hujus generis raro et tantum sub sole flagrante volant. Unica species hucusque in Bonaria observata est *E. nigritus Dej.* (Januario mense in plantis occurrunt: *E. ignitus Fabr.*, *erythropus Pty.* et alii.) Eandem habitationem et victum *Lamprosomata* offerunt. Lente supra folia ingrediuntur, aut interdiu in plantationibus volitant. Tacti mortem dissimulant, caput in prothoracis cavo abscondunt, antennas pedesque attrahunt. (Januario mense supra plantas inveniuntur: *L. aurichalceum Germ.*, *violaceum St.*) *Chlamydis* species numerosae omnes Americae propriae. Supra folia degunt, ibique sese affigunt, aut lente ingrediuntur; tacti, quasi mortuae essent, decidunt. Nunquam volantes observatae sunt. (Januario supra plantas repertae *Ch. bacca Kby.* et alia hujus generis species.) *Clythrae* Americae meridionalis nostrates magnitudine superant, moribus tamen conveniunt. *C. 4-pustulata Dej.* in Brasilia vulgatissima (Januario mense in plantis provenit.) *C. Lacordarii Dej.* Tucuman inhabitat. *Cryptocephali* species Americae meridionali pauciores, pleraeque minutiores, quam nostrates, iisdem moribus gaudent. *Erotyli*, generis haemisphaerio utrique communis, plurimas species America gignit meridionalis calidior; in terris frigidioribus Tucuman, Bonaria et Chili nulla observata est. Supra folia degunt, saepius interdiu in sylvis volitant. Nulla species sub corticibus hospitatur. Colores saepius fugaces, et post mortem mutabiles. Varietates aliquae observantur. Species omnes solitariae, si excipis *E. sphacelatum*, quem in agmina congregatum ad truncos decisos reperies. (Januario mense supra frutices degunt: *E. histrio*, *sphacelatus Fabr.*, *immaculatus Oliv.*, multique alii. *E. militaris Germ.* mense Martio in fungis hospitatur.) *Languriae* rarae supra folia occurrunt, aut in sylvis interdiu volant. Cl. Lacordaire species tantum duas invenit: *L. cuneiformem* et *brasiliensem Dej.* (*L. aenea Pty.* nro. spec. mense Januario sub corticibus lecta.)

TRIMERA.

Coccinellae genus tam specierum quam individuorum numero in Europa, quam in America meridionali opulentius, in utroque orbe moribus sibi constat. (Januario plures species supra plantas lectae. Una etiam totum per annum adest. *C. albicincta Germ.* et *fusco-marginata Pty.* Januario in ligno putrido inventae.) *Eumorphi* in ligno putrido, sub truncis decisis et corticibus humidis hospitantur. Helopibus nonnullis et moribus et odore similes sunt. (*E. marginellus Dej.* et *crux Pty.* Januario in fungis habitant.) *Lycoperdinae* sub arborum lichenibus et muscis habitant. Species plures in Brasilia, una in Bonaria repertae sunt.

DE ORTHOPTERORUM

Americae meridionalis victu, habitatione, distributione geographica paucissimae proh dolor! observationes exstant. Vastissima illa terrarum plaga hujus ordinis mirabilem copiam procreat, tam formis singularibus, quam colorum

splendore et magnitudine excellentem. Haec animalcula absque dubio proprios mores et peculiarem vivendi modum affectant, futuros tamen observatores exigunt, quos probe remunerabuntur. — Quoad individuorum multitudinem et devastationes *Acrydiota* in Americae meridionalis regionibus minus calidis habitantia cum illis haemisphaerii orientalis sunt comparanda. —*Phasma cornutum Lansd. Guild.* frequentissime habitat in Americae mediae insularumque objacentium dumetis, ubi ramulos emortuos aemulatur, hostesque sic decipit. Noctu folia avide consumit. Ambulat motu omnino vacillanti: dum quiescit, pedes anticos capiti applicat, antennasque teneras defendit. Vitae tenax. Imago occurrit per totum annum. Nuptias celebrant mensibus Majo, Junio. Ova numero 22 ponit foemina a mense Septembri usque in Novembrem. Quies ovi 79 — 100 dierum. Larva ovo excluditur mensibus Martio — Augusto (Lansdown Guilding in Linn. Trans. vol. 14. p. 138). Asseverante Stollio *Phasmatis* (quod *spectrum* nominat,) species herbis et foliis nutriuntur, ova in terram ponunt. Haec animalcula timida corporis apteri discolori structura et membrorum positione ramulos defoliatos quasi repraesentant, et hostes sic decipiunt. Interdiu immobiles remanent, noctu nutrimentum capiunt. Saepius verrucis, spinulis et gibberibus asperis instructa, inde ramis fiunt similiora. Species per totam Americam calidiorem sunt dispersae. — Cl. Pöppig in Peruvia orientali Indorum tuguria densissimis agminibus *Blattarum* inextricabilium impleta invenit, summae protervitatis et voracitatis. Species haec *Blattae* in India occidentali communis foetida (*Bl. americana?*) minor ab incolis *Chilicabra* vocatur. (Fror. Notiz. Vol. 31. p. 326.) *Blatta orientalis Linn.* observantibus cl. Spix et Martius in domibus Provinciae Sebastianopolitanae copiosa, multum detrimenti infert. Praesertim victualia infestat, imo etiam apices digitorum hominum noctu arrodit. (R. I. 172.) Citri aurantii radices rodunt, et plantationes perdunt (l. c. 171.) Lerius (Hist. navig. in Bras. 1586. p. 135) Blattas nomine *Arauers* memorare videtur, Rochefort (Hist. Antill. p. 255.) sub nomine *Piavets.* Ceterum diversis in regionibus diversas species provenire verosimile est, ita, teste Humboldtio (Observ. zool. p. 146. t. 15. f. 9.) in domibus urbis Mexicanae Vera Cruz *Blatta angustata Latr.* hospitatur. *Acrydiota* saepius plantationibus Gossypii obnoxii.(Mart. Reise II. 817.) *Locusta* in lingua Tupi *Tacura*, *Gryllus Tacujanda*, *Acrydia* magna colorata *Sandes*, vocantur. Arruda da Camara (in Memor. sobre a Cultura dos Algodoeiros) quatuor depinxit Locustae et unam Acrydii speciem, Gossypii plantationibus obnoxias.

NEUROPTERA

formas paucas complectuntur, atque in America meridionali non ita abundanter provenire videntur. *Ascalaphus Mac-Leayanus Lansd. Guild.* habitat solitarius, volatu diurno satis frequens in dumetis insulae St. Vincentii; in ramulis emortuis saepe quiescit, hostibusque colore suo fucum facit. Mensibus Majo, Januar. Febr. occurrit. (Lansd. Guild. Lin. Trans. vol. 14. pag. 140. tab. VII.) *Myrmeleonis* species etiam in America meridionali occurrunt. Cl. Azara in Paraquaria *Myrmeleonum* larvas invenit, vivendi modo nostris pares. (Voy. d. l'Am. mer. t. I. p. 213.) — Cl. Pöppig in Provincia Maynas immensam *Libellularum* multitudinem observavit, sine intermissione per duos dies transmigrantium. (Froriep. Notiz. Vol. 33. p. 99.) — In omnibus regionibus intra circulos tropicos sitis *Termites* multitudine et voracitate insignes detrimentum quam maximum inferunt. Si vitrum et metalla excipias, omnia corpora mortua devastare possunt. Quod est in causa, ut, cl. Humboldt asseverante, in omnibus Americae mediae regionibus calidis, ubi *Termites* aliaque insecta devastantia copiose proveniunt, rarissime libri aut manuscripta inveniantur, quae aetate quinquaginta aut sexaginta annis majora sint. (Polit. Ess. on new Sp. IV. p. 135. Cfr. de his hist. natur. et moral. des îles Antill. par Rochefort. p. 254. ubi Pous de Bois dicuntur; Azara Voyag. d. l'Amer. merid. Vol. I. p. 190. sub cupiy.) Quod *Termites* brasilienses attinet, non tanta cura de iis peregrinatores egerunt, quam Smeathmann de africanis. Memoratu digniora, nonnulla, viris clarissimis Pohl et Kollar (Brasil. vorz. laestige Ins. Wien 1832) atque Spix et Martius in descriptione itineris debemus. Priores auctores duas species, *T. devastantem Koll.* l. c. pag. 13. f. 8. et *T. cumulantem Koll.* ibid. f. 9. descripserunt, additis de eorum victu et habitatione observationibus. *T. devastantis* larva in Brasilia aedes infestat, mordacissima, omnia aggrediens; *T. cumulantis* larva plantationes infestans aggeres exstruit, Indis brasiliensibus *Sururujé* vocatos; caeterum omne Termitum genus lingua Tupinamba *Copi* seu *Cupim* appelatur, voce de eorum habitationibus quoque usitata. Dictae species praesertim in aedibus et in terra glebosa habitant, sed Spixio et Martio testibus Termitum habitacula ex arborum ramis pendentia huc illuc occurrunt. (R. I. p. 139.) Alio loco memorant, hos Termites solum vastissimo tractu movere atque moliri aedes diversae formae, (l. c. p. 163.) alias conicas, alias aggeriformes. In diversam altitudinem duorum ad sex pedum haec aedificia eminent. De horum insectorum peste conferas Spix

et Martius Reise Vol. I. p. 172. Vol. 3. p. 950. Aedificia in quibus magna eorum cohors habitat, constant cavitatibus diversae magnitudinis atque canalibus daedaleis; inde exeunt alii canales, tenuiores, saepe per longum spatium rectâ via perducti, quibus apertis comperitur, duo vel tria animalcula solum unum juxta alterum viam ibi facere posse. Exstruunt canales e terra argillosa ope muci cujusdam, quem praeparant, subacti et compacti; temporis spatio massa adurescit, attamen tantam duritiem nunquam adquirit, ut non digito triturari possit. Mucus animalis ex hoc caemento extractus in Brasilia optimum contra strumam remedium habetur. (R. vol. I. pag. 211.)

HYMENOPTERA

Licet haec magna insectorum classis animi dotibus, aut si rectius velis instinctu, omnibus aliis antecellat, tamen quod ad eorum vitae rationem et mores attinet, de iis generibus solummodo scriptores hucusque sategerunt, quae aut numero, aut utilitate, aut quod inferunt, detrimento observatorum attentionem prae omnibus excitarent. Non mirum igitur, plurimas quidem formas innotuisse, sed praeterea nihil. — Teste Lozieres, (Americ. Phil. Trans. tom. 5. p. 325) certa Ichneumonidis species sericum opus fabricat, et colore et nitore excellens. Haec Ichneumonides species in larvam Tineae cujusdam saevit, quae in insulis Antillanis in Indigoferae plantae, et in Iatropha Manihot victitat. — Alia Hymenoptera, more Cynipum nostratium, ictu in plantas vegetas, gallas excitant; ita Molina auctor est, in regno chilensi cellulas globosas observari, ictu Hymenopteri exortas, in planta e familia Labiatarum, ipsi Rosmarinus sylvestris dicta, quibus expressis oleum educitur.

Formicarum cohors in America meridionali et individuorum numero et formarum varietate ita excellit, ut quasi dicere possis, haec animalcula, quae rite summae diligentiae laude habemus dignissima, in novo orbe generis humani vices in se suscepisse, ibidem inertis, mollitiei et inanibus studiis magis quam iis, quae hominem decent et ornant dediti. Pariter provinciam habent aliorum animalium, in Europa habitantium, e. g. Carabicorum et Necrophagorum ibi multo rarius occurrentium. Formicae igitur ab optima matre natura in America tropica quasi eo munere constitutae videntur, ut materiae ab alia in aliam conditionem mutandae vicissitudini inserviant. Quum igitur insecta carnivora aliorum ordinum in novo orbi tropico rarius occurrant, horum omnium vices formicarum innumerabiles gentes in se susceperunt. Rarius haec animalcula generi humano quasi amica et instinctuum affinitate juncta videntur, ita ut vel contra alios hostes in auxilium vocentur, e. g. contra Termites, quos in aedes ingressos, urbium incolae ope formicarum oppugnant. Hoc scopo ut inserviant, natura formicarum diversa genera undiquaque disseminavit, ita ut aliae in terra, aliae in graminetis, in sylvis, super frondes vegetas, vel in partibus lignosis, aliae demum in hominum domiciliis laboris quidem improbi, sui studiosi, atque devastantis effigiem exhiberent. Illis in plagis per totum annum alacres laborant, neque, ut in Europa, hyeme torpent. In America meridionali Formicae petiolo binodi (*Myrmica*, *Eciton*, *Daceton Pty.*, *Atta*, *Cryptocerus*) et individuis et speciebus longe copiosissimae. In agmina numerosissima collecta itinera et magnas migrationes instituunt. Plerumque etiam carnivorae in domibus vegetabilia fere nunquam infestant. Illa phaenomena in Formicis petiolo nodo unico instructis non observantur. Inter has (*Formica*, *Ponera*, *Polyergus*, *Odontomachus*) formicae propriae sic dictae longe creberrimae. Omnes fere eosdem mores offerunt, nidos sub lapidibus, ad arbores aut cumulis propriis exstructis aedificant. *Ponerae* agmina individuis paupera; huic generi vero species maximae, mordacissimae adscribendae. *Polyergus* in America meridionali hucusque non repertus. Azara auctor est, in Paraquaria atque in Provinciis flumen la Plata adjacentibus formicas per totum annum continuo laborantes observari, et addidit, eorum aedificia multoties et magnitudine et gentium inhabitantium numero superare ea, que per Europam obveniunt. In tanta individuorum copia haud mirum, illorum aedificia nonnunquam in tantam altitudinem et latidudinem evehi, ut quasi hominum industria exstructos aggeres praeseferant. In colonia Surinam Stedman acervos visitavit, 6′ altos, atque in plusquam centum pedum circuitum effusos. (Reise I. p. 169.) Imo Malouett in Guyanae sylvis formicarum aggeres 20 pedes altos pyramidis in formam, vertice detruncatae, diametro 40 pedum observasse Huber refert. (Recherch. sur les Moeurs des Fourm. p. 168.) Prope urbem Pará hortum plurium jugerum extentione formicarum infesto studio eversum observasse Martius nobis autor est. Lepidam de formicarum devastationibus narrationem exhibet Oviedo (Histor. de las Ind. Lib. 15. Cap. 1.) Urbem scilicet in Haytina Insula St. Dominici formicarum examinibus ita fuisse afflictam, ut quum humana industria nihil contra eas efficeret, Sanctorum auxilium imploratum esset, et S. Saturninum contra formicarum pestem patronum fuisse electum. Horum animalculorum incursus tam repente et inopinate interdum habitationes infestant, ut Azara teste saepius noctu incolae relictis vestimentis

e lecto effugere cogerentur. (Voy. d'Am. merid. tom. I. p. 185.) Peruvia quoque hac formicarum peste ita laborat, ut nec aedibus, nec segeti parcant, et peregrinantes atrocissimo morsu et ictu vexent. Observante Bredemeyer, Martio et Pöppigio rami fistulosi certarum arborum, Triplaridis Cecropiae atque Ocotearum et Caricae saepius denso replentur agmine Cryptoceri cujusdam fusci, qui fracto ramo decidit, et homines obvios pruriente morsu exercet. Multo periculosius aliud hujus familiae insectum nigrum, nitidum, crabonis magnitudine, quod semper solitarium in sylvis vagat. Ejus ictus febrem et dolores imo in partibus a vulnere longe remotis concitant, quam ob rem ab Indis valde timetur. (Pöppig in Fror. Notiz. für Nat. u. Heilk. tom. 32. p. 6.*) Formicae etiam in Provincia Maynas, observante cl. Pöppig tormentum maximum inferunt. Species grandes pungentes, ad arborum truncos degentes, vulnera causant, majoribus doloribus, quam vulnera Vesparum, comitata. (l. c. t. 33. p. 103.) — *Atta cephalolotes Fabr.* brevi tempore arbores omnino sanas defoliat. Cl. Lund (Mém. sur les Fourm. du Brés. Annal. d. Scienc. nat. t. 23. p. 118. sq.) observavit in singulo petiolo sedentem singulam formicam, quae morsu eum auffere conabatur atque brevi temporis spatio tam dextre egit, ut quasi de arbore foliis plueret. Haec delapsa ad arboris radicem ab aliis formicis morsu in frustula divisa in nidum delata sunt, ita ut in solo migrantium magnum agmen idque continuum, lineae viridis ad instar moveretur, visu mirabile. Intra horae spatium tota arbor defoliabatur. Fruticibus densis folio insident, unacum eo decidunt. Foliis his utuntur ad nidos construendos subterraneos, qui supra foramina, tenui vallo circumdata offerunt. Phänomenon illud etiam a cl. Azara observatum, qui memorat, speciem hanc nidum suum multa sagacitate hominum oculos subducere. (Azara, l. c. p. 200.) Et aliis peregrinatoribus, e. g. cl. Spix et Martius (Reise III. p. 891.) hae formicae folia ferentes occurrebant. Formicae bruneae Citris aurantiis, eorum corticem derodentes, saepe valde obnoxiae. (Spix et Mart. R. I. p. 171.) Ut inde arceantur, jam mos est, plantatis juvenilibus arborum truncis ad radicem magnam ollam cicumjicere, quasi annularem, quae aqua repleta adscensum impediret. Species aliae hortos olitorios laete virentes paucis interdum horis devastant. (Iidem, l. c. II. p. 655.) *F. saccharivora Linn.* Saccharo officinarum maxime perniciosa est, quum enim sub culmorum radice nidos construit, his mortem saepius infert. Saeculo praeterito in Granada insula tam incredibili copia augebantur, ut omnes plantationes devastarent et aedibus, quoquoversus iis repletis, magnum inferrent detrimentum. Licet diverso remedio, igne et aqua, hominum industria in eas saevisset, omnia tamen irrita fuerunt, dum demum imbribus per longum tempus durantibus abolitae sunt. (Castle, Philos. Transact. vol. XXX. pag. 346.) Formicarum pestem per Paraquariam grassantem eleganter descripsit bonus Dobrizhofer, (de Abiponibus II. p. 375.) cujus pagellam, quum liber paucis innotuerit, libenter in nota transscribo. — **) *F. sacchari-*

---

*) Verosimiliter hic *Ponera* quaedam grandis, forsan *P. gigantea Pty.* intelligenda est.

**) Imbecilles, et si cum plerisque aliis insectis conferas, exiles sunt singulae; verum numero, labore ac concordia formidabiles evaserunt, seque ipsis fortiores. Vidimus per campos, maxime, quos Paraná flumen alluit, formicarum tumulos pyramidi saxeae simillimos, ternas pluresve ulmas altas, basi latissima, materia, quae duritie lapidem aequat, persolida. Hi domus annonariae, hi formicarum turres sunt, e quarum culmine subitas eluviones despiciunt, ac fluitantia segnium bestiarum cadavera tutae speculantur. Vidimus alibi immensam planitiem formicariis tumulis humilioribus ita consitam, ut spatium, ubi equus citra cespitationis periculum pedes figat, nusquam inveniat. Latissima saepe formicarum semita in campo cernitur; Xerxis legiones illac transisse, jurares. Tumulos illos pyramidales prius solerter cavatos Hispani pro furno ad coquendum panem adhibent aliquando; nonnunquam eos commolunt, ac in pulveres redigunt, qui aqua rite subacti ad parimentandas domos egregie valent. Ejusmodi pavimenta lapidem referunt, lapidis instar durant, et pulicum aliorumque insectorum procreationem impedire dicuntur. Sed formicarum quas rei domesticae inferunt, strages accipe. Longissimo, cujus finem frusta exspectaveris, ac denso agmine ad saccos tritico refertos accurrunt, et continuato diebus noctibusque, si illunes non sint, itinere, modios aliquos sensim asportant.. Fructiferas arbores, ni earum stipitem cauda vaccina circumplices, ut adscensum impedias, foliis nudant omnibus. Segetes quascunque attondent, crederes falce demessas. Vinum permodicum, quod ad altaris usum vix sufficiat, cur per quadragintarum leucarum spatium chilensi e regno in Paraquariam advehendum? Formicae innumerabiles vites vineasque, caeterum laetissimas, depascunt. — Ut vineis, sic hortis exitiales esse solent formicae varii generis. Quidquid oleris aut leguminis severis, ad radicem usque depascuntur. Plantam teneram hodie terrae mandas, cras incassum quaeres. Piperi tamen, quia acrioris saporis, parcunt. Carnem seu crudam seu assam, si in cubiculo relinquas, mox formicarum gregibus nigrescentem invenies. Quidquid quisquiliarum est, mandunt, ipsa scarabaeorum, bufonum, anguium cadavera. Aviculam caveae inclusam, cui caro pro pabulo fuit, a formicis devo-

vorax Linn. forsan cl. Azara designavit, dicens: Formica quaedam minuta nigricans in regionibus profunde sitis, saepius inundatis degit, ibique parvos tumulos conicos, approximatos construit, altitudinis fere trium pedum. Diluvii tempore hae formicae in examina se formant. Cl. Azara hanc speciem pro nutrimento praecipuo mammalis *Narumy* aut *Tamanduá* dicti (*Myrmecophagae tamanduae Cuv. M. tetradactylae* et *tridactylae Lin.*) habet. (l. c. I. 188.) Habitatio et victus formicae *Tahyré* quae „foetida" vocatur, quia obtrita odorem foetidissimum exhalat, ab auctore non traditur. Semper iter faciens observata. In Paraguaria, fere semper noctu progreditur, duas dies ante coeli mutationem in domos penetrat, homines saepe in fugam conjicit, mures, araneas, insecta omnia devorat, sed papyro accenso expellitur. Cujus quidem speciei, quae nigro est et mediocri corpore, cl. Azara vidit solummodo individua aptera (l. c. p. 184.) *Formica destructor Fabr.* species minuta, nigra per totam Americam meridionalem diffusa, in humo cavitates et canales construit vastissimo tractu expansos et innumerabili cohorte habitatos. (Mart. R. III. 952.) Specierum quam plurium morsus dolores concitat, imo nonnullarum venenatus videtur. Optimus Piso, qui nostratium omnium primus (De Ind. occ. re nat. med. edit. 1658. p. 291.) de formicis Brasiliae egit, quas ob perpetuam, quam exercent, tyranniden, a Lusitanis illius terrae Regem appellari tradidit, auctor est, earum morsum ruborem, tumorem, pruritum, deinde acrem dolorem et ardorem inferre, qui emplastro ex ipsis formicis praeparato, partique dolenti applicato sanetur, ita ut haec animalcula, pariter ac scorpiones, cum malo medelam offerant. Jam ille optimus observator de quibusdam formicis narrat, quae in ipsa maris vicinia, super Rhizophorarum (Mangle) arboribus habitant. (Cfr. Mart. Reise l. c.) De formica valde molli, quae semper in vitibus degeret, uvas quidem non arrodens, sed faecibus eas conspurcans, alia certe, quam cujus Dobrizhofer sermonem fecit, cl. Azara nonnulla habet. (l. c. p. 286.) Alia species, Araraá dicta, in Brasilia et Paraguaria vulgatissima. Haec major, obscure brunnea, penora non colligit, cumulos non construit, itinera non instituit. (l. c. p. 180.. Conf. de hac specie etiam Noticia do Brazil, c. 90. p. 211. An Termitibus adscribenda?) Araraá in aedificiorum parietibus hospitatur. — Species quaedam e minimis in domibus etiam urbium magnarum vivit. Itinera instituunt, si excubitor aliquis carnis, sacchari aut alius cibi penus indicaverit, inque impetrando victu magna agunt solertia et sagacitate. (Azar. l. c. p. 182.) Multi viatores de formicarum migrationibus tradiderunt, quas nonnullae species in amplissima agmina congregatae statis temporibus instituunt. Tunc quae sibi vincenda offerunt insecta et alia parva animalia omnia interimunt et cadavera secum portant. Longus procedentium ordo per dies et noctes plures movetur. Cl. Lund (l. c.) has peregrinationes tantum Junio, Julio, Augusto mensibus illius regionis hyeme observavit, et causam esse nutrimenti inopiam, deficientibus illo tempore multis insectis, opinatur. Nostris regionibus earum peregrinationes non necessariae sunt, quia formicae hyeme torpent. Avium cohortes illa agmina comitant, et individua innumerabilia devorant. Praesertim *Drymophila domicella Licht.* (Lanius) exclusive iis nutritur, et jam e longinquo voce tristi et unisona appropinquationem earum anuntiat. Praeter hanc avis speciem *Dendrocolaptes* majores et *Tanagra auricapilla Neuw.* in illas saeviunt. — Cl. Lund asseverante Formicae haemisphaerii novi, pariter ac nostratium plures, singulares specierum quarundam relationes mutuas, nec minus memorabiles invicem offerunt.

---

ratam ad cubiculum rediens inveni. Neque dormientium corporibus abstinent. Te noctu in utramque aurem dormitante, nocte concubia, jam ex pariete, jam ex pavimento prodibit formicarum exercitus, in lectum eluctabitur, teque, ni fugias ocius, omni ex parte compunget. Id Quaraniorum in colonia perfrequens; hinc ardens tota nocte candela, nam papyri folia accensa, formicarumque adventantium agmini injecta unicum ad eas arcendas remedium putantur. Lusitani recepto dudum adagio formicas Brasiliae reginas dictitant. Nos easdem Paraquariae dominas sumus experti, Nicolao illo, quem Paraquariensium regem finxerunt, utique potentiores. Quidquid industriarum astutiarumque excogitatum adhuc ad illas fugandas tantisper, non ad eliminandas valuit. Conductis hunc in finem ingenti sumptu operis disturbatae formicarum cavernae jam injecto igne, jam egestis earum ovulis: postridie novae detectae alibi eodem in horto. Fimo suillo, calce, lotio, vel origano earum antris immisso recedunt quidem, sed in propinquo novas sibi fodiunt specus. Sulfur ceteris remediis praeferendum. — Verum injurius sim formicis, si, postquam earum noxas minutius, quam cogitaveram, exposui, beneficia, quae praestant, reticerem. Aliquae majoris molis in posteriore corporis parte globulum gestant pinguedine candidissima refertum, quam e multis collectam, et igne eliquatam, butyri instar et Hispani et Indi cum voluptate edunt. Aliae minusculae in arbustis, quae fructus Quabyramirim (i. e. Psidium minus) fragrantissimus commendat, ceram deponunt natura candidissimam. Constat e micis minutis, quae colliguntur, et liquefactae candelis parandis adhibentur. Cera haec accensa odorem exhalat quovis thure suaviorem; quia vero mollior, cito liquescit, et quavis alia citius consumitur. Non desunt formicae, quae resinae fragrantis particulas ad sua receptacula convehunt, thuris loco servituras.

Ita illustris ille peregrinator quum termitum cumulum dirueret, in ejus parte numerosam cohortem invenit *Myrmicae*, quam ipse *paleatam* dixit. Hae summo impetu *Termitum* larvas aggressae, eas trucidarunt, qua in pugna auxilium ferentes alius speciei, *(Myrmicae erythrothoracis Lund)* greges adventarunt, quae Termitum cadavera in communem nidum asportarunt. Aliae igitur belligerae, aliae quibus etiam domi constructio tradita videtur, commeatus curam in se suscipientes foedere junguntur. Cl. Lund individua *Ancylognathi lugubris Latr.* generis novi mandibulis inflexis distincti larvis et nymphis aliarum formicarum onusta vidit denso agmine proficiscentia. Omnes fere pedes mutilatos ostendebant, quare cl. Lund. existimavit eas tunc e bello reversas esse. Diversae formicae ejusdem speciei conditiones, quas cl. Huber in nostris observavit, ibi etiam obtinere videntur. In *Atta cephalote Fabr.*, sicuti in speciebus nonnullis nostratibus singularem neutrorum genus observavit cl. Lundius. Horum corpora majora, caput crassius. Dum vero neutra reliqua minora et capite tenuiore instructa sunt copiosissima, atque operariorum vel militum gregariorum munus in se suscipiunt, tunc contra illa, corpore jam insignia ducum ad instar onere non gravata, quâ via tenenda provident, pigros impellunt, omnia custodiunt, imperant, pugnant et debiliores defendunt. (Conf. singul. observat. cl. Lund. l. c. p. 122. sq.). Eximius ille formicarum brasiliensium observator Aphides, quae in Europa formicis saepe victum praebent, in Brasiliae mediterraneis non invenit, paucas tantum e hemisphaerio orientali introductas in Sebastianopoleos hortis observavit. Eorum locum in illo orbe Cicadellarum, praesertim Cercopidis et Membracis larvae obtinent, quae vitae ratione cum Aphidibus quam plurimum conveniunt. Ex ano guttulas liquoris clari dulcis emittunt, quas formicae cupide appetunt, ideoque, pariter ac in Europa Aphidibus, ibidem Cicadellarum consortium affectant. Unica vero „Formicarum species", *F. attelaboides Fabr.* Cicadellas in usum vocat, atque ex hac solummodo fonte hauriens, quam maximam curam in illa animalcula impendet. *) Memoratu dignissimum, formicas brasilienses Aphidum illuc ex Europa transportatarum mores et naturam jam cognoscere, et pariter ac nostrates iis uti. — *Myrmica typhlops L.* proprium sane genus constitutura, quia visus organis destituta, totius vivendi modi singularem offert rationem, cl. Lundio phaenomenon valde mirabile exhibuit. In earum agmine scilicet iter faciente nonnullae observabantur incessu tardo et facie summopere lata insignes. Hae enim singulae oniscum singulum sub ventre secum portabant, qui abdomine contra Myrmicae abdomen verso, ad eam se applicabat. Cl. Latreillius jam in Formicae flavae nidis oniscos observavit. Verosimiliter onisci, in earum republica quasi pecorum vices agunt. Simile quid de Clavigero jam literis traditum est, et in *Lomechusis* ipse observavi. **) — Substantiam quandam a formicis praeparatam pro fome ab incolis Americae tropicae adhiberi, jam dudum notum est. Cl. Humboldt in „Yesca de hormigas" ad Oronoco flumen reperta *F. spinicollem Latr.* (Humb. Observat. Zoolog. vol. II.) invenit. Haec species affinis est *F. fungosae Fabr.* quae Surinami nidum e Bombacis pilis construit. Ubique ad haemorrhogias sistendas in usum venit haec substantia, quae πίλημα subtilissimum refert. (Latr. Hist. nat. d. Fourm. 48. p. 134.) Cl. Martius fomem formicarium in regione japurensi inventum sub microscopio inquisivit, nosque docuit, ejus capillos de planta e Melastomacearum familia arborescente, *Miconia holosericea* desumtos esse. (Spix et Mart. R. III. pag. 1283.) — Valde memorabilis oeconomia specierum nonnullarum, alias Melastomaceas inhabitantium. Folia plantae *Marietae* vesica oblonga uniloculari instructa, et *Tococae* petioli, in cavitatem inflati, numerosa agmina Formicae cujusdam minutae, rufae, dolenter mordentis (*F. molestantis Latr. nanae* De Geer) excipiunt, quae nidos suos parvos globosas aut ellipticos e subtilissimis plantae pilis construunt. (Spix et Mart. R. III. p. 1283.) *F. merdicola Lund* aedes singulari modo molitur. Excrementis scilicet siccis equorum aut mulorum tantum utens nidum construit locis paludosis, arundine obtectis, supra terram elevatum intra arundinis culmos, et culmorum interstitia, quo solidiores fiant, materia, qua nidus construitur, explet. *Formica elata* Lund. 2 — 3‴ longa, nigra, antennis fuscis, corpore pilis parvis albidis obsito, nidum e terra cum foliis supra arborum truncos aedificans, abdomen incurvat, ut ejus apex antrorsum rectum fere appareat. Nodulus petioli squamiformis. *Odontomachi* spec. nidum in truncis arborum demortuis construunt, eosque quoquoversus perforant. Societates eorum paucis individuis constant. Cl. Lund genus

---

*) Ex hac specie cl. Lund. proprium genus constituit, *Dolichoderum*. Hyeme, quo aliae migrationes instituunt, tota evanescit, verosimiliter quod Cicadellae illo anni tempore non adsint. Forsan in nido se abscondit, qui vero hucusque non observatus est.

**) *L. strumosa, emarginata, paradoxa Grav.* supra ad marginem cujusvis abdominis segmenti fasciculum e pilis rigidis gerit, pariter ac fere in Clavigero cernitur. Sine dubio his e fasciculis succus quidam, Formicis amoenus secernitur. (Conf. cl. Mülleri observationes de Clavigero in Germ. Mag. t. 3. p. 92. sq.)


novum *Ponerae* proximum observavit, ei abdominis segmento secundo coarctato et quem gerit aculeo affine, sed proprias notas memorabiles exhibens. Genus hujus novi „*Condylodon*" dicti unicam speciem, *C. Audouini* tantum semel invenit supra folia currentem. Genus illius *Crematogaster* divisioni secundae nodulo duplici instructae adscribendum est, et notas distinctivas valde memorabiles offert. Abdomine est conico-acuminato, supra plano aut concavo, subtus valde convexo et petiolo in superficiei suae superioris medio inserto. Specierum minutarum individua pauca sibi contubernalia in arborum truncis degunt, ibique nidum e tribus aut quatuor foliis construunt, quae, quod valde singulare, telis araneaceis continentur. — *Attae* species plurimae, caput, thoracem et abdominis nodulos spinosas ostendunt, et duas formas neutrorum offerunt. Typus eorum *A. cephalotes Fabr.* Omnes hae species folia scindunt. *Cryptoceri* formis praecipuis excellentes, cl. Lundii observatione, moribus ab omnibus reliquis differunt. Solitarii degunt, et omnino inertes nullo modo industriae huic genti propriae indulgent. Totum per diem supra folia sedent, et insecta fortuito illuc venientia exspectant. In folii medio considentes, cujus vel levissimum motum sentiunt, tamquam rete eo utuntur, pedes attrahunt, immobiles persistunt; turbati *Thomisi*, Aranearum generis more a latere currunt, et sub folio se abscondunt. His moribus hoc genus Formicas et Araneas tam longo intervallo separatas conjungit. Talis vero vivendi modus plurimorum individuorum societatem excludit; verosimiliter hoc in genere neutra individua non existunt, et posteritatis cura feminis solis relicta. — Cl. Lund in Brasilia Hymenopterorum genus hucusque omnino incognitum observavit, Formicarum tribui adscribendum. Tantum neutra invenit, quae notas divisionis secundae offerunt, ab omnibus vero generibus oculis maximis elongatis, magnam capitis partem occupantibus distincta sunt. Solitaria supra folia et ad arborum truncos degunt, rapide et ex intervallo progrediuntur, perpetuo antennas vibrant, et dolenter pungunt. Species 5 — 6 observatae, quibus cl. Latreille nomen *Pseudomyrmae* imposuit. — Cl. Pohl et Kollar in commentario suo jam citato quam species praecipue obnoxias et fatales enumerant: *F. (Attam) cephalotem Fabr.* (l. c. p. 14. f. 10) cujus feminae ab Indis comeduntur; *(F. Myrmicam) omnivoram Lin.* (l. c. p. 16. f. 11) quae praesertim saccharum in domibus consumit, et *F. (Cryptocerum) causticam Koll.* (l. c. p. 17. f. 12) quae in *Böhmeriarum* fruticibus degit, et liquore pruriente in epidermidem insperso exanthema post paucis horis evanescens concitat. — Cl. Stedmann formicam in Surinami regionibus quibusdam vulgatissimam memorat, quae morsu venenato talem dolorem affert, qualis a stricturis epidermidem tangentibus causatur. (l. c. II. 94.) Cl. Spix et Martius testes (Reis. III. 1320.) nobis sunt, Indos e genere Mundrucú puerorum constantiam atque in tolerando dolore fortitudinem eo probare, quod magnas formicas, quas *Tocanteira* s. *Tucanquibura* (i. e. formica Ramphastos) dicunt, intra manicas illorum immittunt, quarum atrocissimo morsu vel febris concitari potest. — Iidem viatores enarrant, inter inundationes fluminis Rio St. Francisci dicti formicarum colonias in arbores fugere, ibique in examina densa se convolvere (R. II. 536). Verosimiliter diversis arborum speciebus variae formicarum species propriae sunt. Bonus Oviedo asseverat, speciem quamlibet Formicarum territorium proprium sibi vindicare, et dum plures adsint, sibi vicissim decedere. (Histor. de las Ind. L. 15. c. 1.) — Constat, plures formicarum species ab Indis etiamque Europaeis comedi. Inter testes bonus Dobrizhofer jam supra citatur. Cl. Azaras speciem grandem, rufam memorat, cujus agmina numerosissima ubique solum perfodiunt. Incolae urbis St. Fé dictae individua alata colligunt, quorum abdomen pinguissimum frigitur, aut in syrupum dejectum bellariorum loco comeditur. (l. c. p. 198.) Indos praesertim gentis Mauhé vocatae formicis cibo uti, cl. Spixius et Martius enarrant. (R. III. 1319.) Cl. Humboldt refert, Indos insulae Dapae et loci Mandavacae prope flumen Cassiquiare situm anni certo spatio formicis magnis valde aestimatis nutriri. (R. IV. 365.) *Vachacos* nominatae sunt, et earum abdomen glomo e pingue confecto simile. Torrefactae et fumo infuscatae farina e radicibus Jatrophae Manihot praeparata miscuntur. (l. c. p. 314.) — Barrére (Ess. sur l'hist. nat. de la France équinox. p. 197. sq.) quatuordecim formicarum species memorat, quae vero non omnes extricandae sunt. „*Formica, castanei coloris seu Cupia Brasiliensium Marcg.*" et „*F. minima, rubra, omnivora, proboscide dura, acutissima*" quae omnia, argento cuproque exceptis devorat, sine dubio Termitibus adscribendae sunt. „*F. major, rubra, peregrinans, animalivora*" rite pro *Attae cephalotis* neutro habetur. Sub „*F. majore, volante, eduli*" *Atta cephalotes* ♀ intelligenda. Autor enarrat, hanc speciem temporis pluviosi initio copia maxima apparere, ejusque abdomen sacco parvo simile, seminum ciceris magnitudine, succo dulci (verosimiliter ovis) impletum ab Aethiopibus et Europaeis in America natis comedi.

Barrére (l. c. p. 193) „*Crabronem majorem, nigrum, venenatum, Mouche sans raison*" dictum memorat, et specialiter indicat, illum secundum Johnston ad Crabronis non ad Vespae genus pertinere. Nidum molitur sub

terra aut supra arbores, et tam bono auditu instructus est, ut minimo strepitu proveniat, et transeuntes pungat. Ictus valde dolorificus et acerbus febrem concitat, et homines ita affictat, ut malum saepius per plures dies sentiatur, quod Barrère ipse expertus est. Alia *Crabonis* species nigra, minuta, venenata, *Mouche à Tatou* vocatur, quia nidus quasi figuram animalis *Tatou* dicti (Dasypi) refert. Ejus ictus valde acerbus saepius febrem causat. (Barr. l. c. p. 191.) —

Vesparum nomen generale in Brasilia usitatum *Marimbondos*. Hoc verbum derivatur a *Marú* aus *Merú* quod in lingua Tupinamba in genere Vespam significat. *Teringoá* et *Anisagoá* quaedam Vesparum species. Priores nidos suos, qui pauca tantum individua amplectuntur, ad arborum conterminos ponunt, eosque rete aranearum nonnullarum modo obtexunt. Vespa *Anisagoá* dicta nidum magnitudine juglandis unico exitu angusto instructum ad rupes murosque molitur. Vespae, quae nidos nostratibus similes construunt, *Inxú* et minores *Inxú-y* vocantur, et mel bonum praeparant. (Communicav. cl. Martius.) Cl. Spix et Martius multis locis vespetorum saepius pedem unum longorum, ex arboribus pendentium mirabiles formas memorant. (R. I. 139. 163. 324.) Vespae grandes (*Marimbondos*, verosimiliter e *Sphegidarum* tribu) cumulos arena exstruunt, eosque perforant. In canalibus et cavis subterraneis hospitantur; earum examina paucis tantum individuis constant. Ictus inflammationem, tumores, imoque maniam causat. (l. c. II. 425). Species Vesparum grandis *Moruçoca* dicta, pagos ad fluminis Amazonum ripam borealem, jam Culicibus maxime afflictatos valde infestat. In loco Villa nova Vistoza da Madre de Deos nidos suos ubicunque in domibus affigit, nullumque trepidationis signum exhibet, et jam multos colonos expulit. (Spix et Mart. R. III. 1005.) — Vespae (*Abispas*) in insula Haytina Gryllos confringunt, eorumque membra in cavis subterraneis abscondunt, quae pedibus anticis fodiunt. Praesertim tempore anni sicco apparent. (Oviedo, l. c. lib. 15 c. 3.) Barrère sub nomine *Mouche grise* vespam parvam, sericeam innocuam memorat, quae vespeta valde eleganta ex substantia papyro simili construit. Nidi saepius pedem et dimidium longi, subovati, plerumque turbinati. Species alia, *mouche a drâgues* vocata, nostratibus duplo major, acute pungens, nidos nostris similes construit. (l. c. p. 208.) — Cl. Azara undecim vesparum species enumerat. Cl. Latreille (Mem. sur les Abeill. in Humb. Obs. zool. p. 273. seq.) affirmavit, plerasque Apiariis adscribendas esse, quod nullum exemplum cognitum sit, Vespas mel praeparasse, sicuti cl. Azara de pluribus a sese observatis tradidit. Experientia vero recentiore nos edocti sumus, cl. Azaram rite et vere observasse, quamvis plures species, ab illo inter Vespas enumeratae *Meliponis*, *Trigonis* et *Sphegidibus* adjungendae sint. Scrutator ille eximius unicum vespetum (aut potius alvearium) vidit, in ramo suspensum, fere globosum, duos pedes per diametrum offerens, passim crusta argillacea, fere lapidea, quatuor pollices crassa obtectum. Spatium interius favos cereos, melle bono repletos continuit. Vespa incola est nigrescens, europaeis magis quadrata, earumque fere magnitudine, sed rarius pungit. Cl. Azara putat, eandem examinibus propagari. Cl. Walkenaer hoc insectum *Trigonam Amaltheam Oliv.* etc. putat. Species maxima a cl. Azara observata est aurantiaca et moribus *Poliste gallico* convenit. Fructus succulentos devorat, nunquam vermibus aut araneis nutritur. Species alia, minor, nidum suum praecedentis more e ligno putrido sub tectorum prominentiis, et si non impeditur, ad cubiculorum lacunaria molitur. Species tertia vespetum in rupium cavis eadem materia aedificat. Species quarta uvas valde appetit. Duae species, *Chiguana* et *Cumuaty* vocatae a cl. Azara commemoratae, *Polistis* generi adnumerandae, mel, non vero ceram praeparant. Aculeum gerunt, nidosque construunt mitraeformes. Utraque fertilissima; favi saepius pedem diametro magni abundantiam mellis optimi continent, quod densius est, quam mel ab Apibus illius plagae praeparatum. Vespa *Cumuaty* dicta nidum construit ad quemquam stramenti fasciculum in campis demessis. Superficies hujus nidi tota laevis apparet. Vespa *Lecheguana* aut *Chiguana* nidum suum, qui iniquitates singulares offert, ramis minimis fruticum nonnullorum ad sylvarum marginem crescentium suspendit. Cl. Geoffroy de St. Hilaire efficaciam valde virulentam, quam exercet mel hujus speciei certo anni tempore ad ripam fluminis Uruguay dicti ipse expertus est. Duo cochlearia hujus mellis recepta dolores maximos et debilitatem fere lethalem concitarunt. Viri duo, cum comitantes delirio furioso comprehensi tandem horis viginti quatuor elapsis vomitoriis et aqua fervida copiosa sumtis sanari potuerunt. Mel illud rubri coloris, e nido vespae „*Lécheguana de mel vermelho*" (Polistes Lecheguana Latr. Mem. d. Mus. d'hist. nat. vol. 11. pag. 313. seq.) desumtum tantum florentibus quibusdam plantis, praesertim *Solanaceis* et *Sapindaceis* nonnullis et *Paullinia australi* venenatum, aliis vero temporibus sapidissimum et sanum. Observante cl. Lassaigne (Mem. du Mus. d'hist. nat. tom. 11. pag. 319.) in spiritu vini totum dissolvitur, qua proprietate a melle ab apibus nostratibus praeparato distinguitur, quod in alcohol dissolutum saccharum solidum crystallizans relinquit. — Cl. Azara

7



a reliquis quatuor separavit species solitarias in domibus degentes. Aliqua, quae nidos tantum in cubilibus molitur, coloris nigri, maculis laete flavis ornata, verosimiliter *Pelopoeis* adscribenda est. E glomis mortario confectis tubos plures construit, et unicuique ovum araneasque nonnullas prius necatas imponit, ut pullo excluso nutrimento inserviant. Usque dum cellula ultima confecta sit, larva primam inhabitans fere ad exlusionem parata est, qua forsan matre adjuvatur. Species altera solitaria a cl. Latreillio pro *Chlorione ichneumoneo Fabr.* aut *Pepsidis* specie habetur, dum tertia et quarta generi *Eumenis* adjungendae sunt.

Bombi in lingua Tupi dicta cum vespis *Marú* aut *Marimbondos* vocantur. Species vero praesertim zonae temperatae hemisphaerii orientalis propriae sunt, earumque locum in America meridionali, ubi rariores occurrunt, *Xylocopae* obtinent. *X. Teredo Lansd. Guild.* (X. morio? Fabr. Apis Brasilianorum Lin.) habitat in Americae aequinoctialis insularumque oppositarum truncis exsiccatis, quos perforat, longitudinaliter excavat, ibique plures nidos (saepe numero vix separatos, at nunquam, quod mirum confusos), singulos annulis ligneis mira arte confectos, distinctos, a fundo incipiens polline herbarum melle mixto replet, et unicuique ovum concredit. *Horia maculata Fabr.* infestatur familiae, quam obviam saepe crudeliter trucidat apis parens. Die stridore magno flores petit, mellisuga. Nidos amissos, quos odor gratissimus monstrat, sedule quaerit. Capite ademto diu vacillat vitae tenax. Per totum annum occurrit imago. Larva pupaque mensibus Febr. Octobr. observantur. (Lansdown Guilding in Linn. Transact. vol. 14. p. 314. tab. VIII.)

Apes Americanae secundum cl. Latreillei inquisitionem ad *Meliponae* et *Trigonae* genera pertinent, et proprietates aliquas in constructione sua et vitae genere offerunt, quibus Bombis propius accedunt. Alvi earum verosimiliter pariter ac nostratum constructi sunt. Societates sine dubio nostrarum more e tribus individuorum speciebus constant, attamen de moribus, societatum ratione, individuorum numero, oeconomia, habitatione, alveorum diversa constructione in diversis speciebus paucissima tantum cognovimus. Viatores multi et fiducia dignissimi enarrant multas species Apum in America habitantium aculeo destitutas esse, sed cl. Walkenaer (Azar. Voy. I. p. 160. not.) et Latreille (Humb. Obs. Zool. v. I. p. 262.) hanc opinionem erraneam putantes affirmant, aculeum illarum ob nimiam exiguitatem animadversioni elapsum esse. Observationes accuratiores necessariae. Etsi Meliponae et Trigonae trophorum structura parum a Bombo et Ape recedunt, tamen quoad mandibularum structuram parvam inter se differentiam exhibent. In Trigona mandibulae denticulatae, in Melipona edentatae inveniuntur. Perinde morum ratione differunt, dum alterae alvearia in arborum rupium, murorum cavis moliuntur, alterae nidos suos sub dio arborum ramis suspendunt. — Prius quam auctores percenseamus, qui de speciebus, moribus et oeconomia Apum numerosarum in America meridionali habitantium tractarunt, species paucas hucusque scientiae methodo rite distinctas indicamus. Cl. Latreille (Memoire sur les Abeilles in Humb. Obs. Zool. vol. I. pag. 289. seq.) sequentes descripsit: 1) *Meliponam favosam Illig. Fabr.* (Apis) Jur. (Trigona) Latr. Annal. d. Mus. d'hist. nat. vol. V. p. 175. t. 13. f. 12. neutr. in Cayenna habitantem. 2) *M. scutellarem Latr.* quae in Brasilia hospitatur. 3) *M. fasciatam Latr. Humb.* Observ. Zool. p. 173. t. 16. f. 13. in sylvis prope urbem Verae Crucis observatam. 4) *M. interruptam Latr.* in Cayenna degentem. 5) *M. posticam Illig.* brasiliensem. *Trigonae* etiam quinque enumerantur: 1) *T. ruficrus* Jur. Melipona citriperda Illig. Centris spinipes? Fabr. Brasil. 2) *T. pallida Latr.* Annal. d. Mus. d'hist. nat. vol. V. p. 177. t. 13. f. 14. Euglossa pallens? Fabr. Cayenna. 3) *T. Amalthea Jur. Latr.* Annal. d. Mus. l. c. p. 175. t. 13. f. 13. Fabr. Oliv. in Cayenna et colonia Surinam habitans. 4) *compressa Latr.* Centris pilipes? Fabr. Brasilia. 5) *angustula Latr.* Melip. angustata Illig. Centris pediculana? Fabr. Brasilia. Cl. Illiger (Arch. für Ent. Vol. 6. p. 158.) *Meliponam pullam* memorat, in Sumatra habitantem, unde appareat, si patria rite determinata esset, Meliponae aut Trigonae genus etiam in hemisphaerio orientali procreari. — Piso (De Ind. utr. re nat. et med. Lib. 4. p. 112. seq.) tredecim Apum species distinxit, quibus Brasiliae incolae nomen generale *eiruba* imposuere. Ea, quam *eiricu* vocant, inter omnes maxima est, non pungit, nidum in arborum cavis molitur, et mel bonum praeparat. Species duae *eixu* et *copii* (Trigona Amalthea? Jur. Latr.) vocatae minores, nigricantes, nidos e favis pluribus artificiose confectos ad arborem cortices affigunt, ceram et propolem albam, mel bonum, paucum praeparant et compungunt. Illa, quam *munbucu* (Trigona pallida Latr.) vocant, parva est et flavida, et nidos saepius in arboribus altissimis molitur. Mel eximium valde sanum quo pollet insula Maránhon, praesertim medicamenti ad instar adhibetur. Inter flores in quibus colligunt, unus observatur, solitarie in arbore Tapurriba crescens, qui mel singulariter amarum reddit; cera quamvis nigra europaeae praeferenda est. In Brasilia interiore plures adhuc species proveniunt, quorum mel igne et fumo

occupatur. — Marcgrav (De Ins. lib. 7. p. 259.) sex species Apum sylvestrium, mel praeparantium memorat. Quatuor aculeo instructae sunt. Duae nidos sub terra conficiunt. Mel earum *heubig* et *Kitshagk* vocatum fumo et igne occupatur. Duae sub dio habitant, quorum una nidum, dimidium ulnae longum et e massa papyracea confectum ad arbuscula adfigit; mel *Kitshaara* vocatum valde bonum. Favi alterius nigri nidorum avium ad instar ex arboribus dependent; melle *atshoy* vocato igne potiuntur. Species quinta et sexta aculeo destitutae sunt. Illa, quam *ehenhe* vocant, nidum globosum molitur eumque arborum truncis affigit; favi e cera constantes mellis, quod continent causa confringuntur. Species *Benatshy* dicta in truncis arborum habitans, ceram et mel valde sanum et sapidum conficit. — Prope urbem Verae Crucis Mexicanae multae Apum species proveniunt, quorum plures non compungunt. Nonnullae mel praeparant, quod hominum mentem perturbat. (*torna el seso à los hombres.*) Species alia, minuta mel subacidum praebet. Nulla species favos (*Panal*) construit, sed omnes mel suum in terra, arborum truncis aut radicibus abscondunt. (Herrera, hist. de las Ind. occ. Dec. 4. Lib. 10. Cap. 13.) In regione *Cumana* dicta duae Apum species reperiuntur, quarum una favos facit, altera mel sine cera in arboribus suppeditat. (Herr. l. c. Dec. III. Lib. 4. cap. 10.) Pedro de Cieca (Chronica del Peru, edit. de Anvers, cap. 25. p. 62.) memorat, in Peruvia tres Apum species progigni. Prima alba aditum ad favos (*Panal*) tubulosum construit, et mel crassiusculum, subacidum praeparat. Altera favos e materie quadam construunt, quae fere lapidis duritiem adipiscitur. Tertia Apem europaeam magnitudine superat. Omnes aculeo destitutae non pungunt; si vero quisquis arborem quam incolant detruncare conatur, illum aggrediuntur, totumque ejus vultum obtegunt. — Barrère (l. c. p. 190.) Apem memorat, *Ouano* vocatam, (Melipona Amalthea? Oliv. Latr.) nigri coloris, aculeo destitutam, summopere quatuor aut quinque lineas longam, quae mel et ceram praeparat. Nidos in murorum fissuris, aedium trabibus, arboribus molitur, et apertura angusta aditum claudit. Mel album, liquidum, aquae instar pellucidum, mox fit acidum; cera nigricans, mollis nunquam adurescit. — Rochefort (Hist. nat. et mor. d. Antill. p. 145.) enarrat, Apes, quae in insulis Antillanis reperiuntur, parum ab iis recedere, quae in America meridionali habitant, pariter ac eas europaeis minores esse. Griseas, fuscas et coeruleas memorat, quarum ultimae ceram copiosiorem et mel sapidius praeparent. Omnes in rupium fissuris et arborum cavis habitare dicit. Ceram mollem nigram insolari non potest, at contra mel europaeo dulcius, clarius, magis album sine periculo occupandum est, quia paene omnes aculeo destitutae sunt. Cl. Latreille Apem coeruleam hic memoratam, pro Euglossae specie habet. (Humb. Obs. p. 271.) — *Fermin* (Descript. gen. hist. d. l. colon. d. Surin. vol. 2. p. 300.) inter Apes Surinamenses quandam describit, nigram et summopere quinque aut sex lineas longam. In arboribus cavis nidificat, et si nidus cavo minor sit, spatium vacuum formice quodam e cera confecto implet. Cera illa nigra, valde mollis nunquam alba aut flavida fit, et cava format, quibus mel continetur, semper liquidum, ambari ad instar griseum, dulcissimum, sed perbrevi temporis spatio coacescens. A pharmacopolis mellis europaei loco adhibetur, et copiam multo major adipisci possint, si apes illas in alveariis continerent. Favos vero non construunt. — De Apibus Brasiliensibus in Noticia do Brazil. cap. 91. traditur: Species quaedam in Bahia occurrens ab Indis *vehú* vocata, magna fusca, nidum sub dio Parorum quorundam more angues metuentes molitur. Mel eorum bonum album ab Indis igne occupatur, quem apes illae vehementer pungentes statim vitant. Alia species *Tapiuca* dicta, magna, nidos tenuissimos ex argilla confectos ad ramos arborum terminales molitur. Praecedentium instar vehementer compungit; mel igne extorquetur. Species quaedam nigra ape europaea major, *taturama* nominata, nidos longe inter se remotos ex argilla supra arbores altas aedificat. Favos construit, eosque melle implet. Alia flavescens cui nomen *cabece* imponitur, dolenter pungit, supra arbores nidum molitur, et mel bonum album praeparat. Quas *caapoam* dicunt, quamvis minutae, vehementem ictum inferunt, nidum rotundum cum canalibus communicantibus (*serventias*) in solo moliuntur, et mel pejus praebent. Species *Cabatan* vocata minuta, vehementer compungit, et nidos, melle bono repletos filis arborum ramis suspendit. Illae minutae quas *saracoma* nuncupant, nidum paucis loculamentis (Juntas) instructum e foliis construunt, quae aranearum more conjungunt. Favi earum mel optimum album continent. Vehementer pungunt. Species *Caboobajuba* dicta, flava, supra arbores habitans, inter omnes deterrima, dum *Copueroçú* maxima sit, et nidos magnitudine patellae majoris ex argilla supra arbores altas construit. Mel igne extorquent Indi et larvas pupasque comedunt. — Padre Cazal (Corografia brazilica I. p. 75.) de apibus sequentia exhibet: nulla species Apum in Brasilia habitantium, quoad utilitatem quam praebet, cum europaea comparari potest. Species copiosissima *uruçú* nominata, fusci coloris, nidos e ligno confectos locis siccis, prope aquas sitis suspendit. Introitus tantum pro unico individuo patet. Semper apis una, capite extrorsum

verso ad portam excubias agit, aliisque insectis aditum prohibet. Excubitor hic semper via decedere debet, si aliud individuum nidum relinquit aut eum petit. *Mumbucú* *) apis nigra, *Mandassáya* brevis et nigra quaedam vocatur. Species praecedentes magnitudine europaeam aequant. Quas *Tubim* et *Theuba* vocant, minores sunt. *Cupineira* dicta in formicarum acervis desertis nidificans mel sapidum suppeditat. *Getahy* tantum Simulii (Mosquito) magnitudine mel sapidissimum liquidum praebet. Aditus nidi tubaeformis e cera confectus. *Caruára* praecedente paullo major. *Preguiçoza*, ἡ pigra, mel insipidum praeparat. Quam *Mosquitinho* vocant, minutissima, nigra in solo hospitatur. *Tatahyra* et *Saranhó* aculeo munitae, dum praecedentes muticae. Nulla ex omnibus Apis nostratis more favos construit. Nidi rotundi cellulis inaequalibus, vesicaeformibus, symmetria nulla dispositis. Cera plus minusve viscosa, exalbida. In omnium alveariis individua semper multo pauciora inveniuntur, quam in alveariis Apis mellificae nostratis. — Cl. Azara enarrante (l. c. p. 159. seq.) in Paraquaria fere septem Apum species inveniuntur, quorum maxima Apem hispanicam (aut mellificam Lin.) magnitudine duplo superat, minima *Musca domestica L.* plus quadruplo minor est. Omnes muticae sunt, et ceram et mel praebent, plerumque sapidum et sanum. Mel vero speciei *cabatatú* vocatae ebrietatem et cephalalgiam vehementem causat. Alia species mel suppeditat, quod convulsiones et dolores acerbissimos excitat, qui horis triginta elapsis evanescunt. Incolae utramque cognoscunt, et mel, quamvis coloris et saporis non insoliti sit, non comedunt. Mel specierum aliarum ab Indis in sylvis degentibus inter alimenta maximi momenti enumerantur. Dum illud in aqua fermentant, potum inebriantem parant. Cera, quam cl. Azara vidit, flavida sed multo obscurior et mollior est, quam cera ab ape europaea praeparata. Sed cera, quam species grandis in arboribus Chaco habitans praeparat, ubi incolae urbis St. Jago del Estero dictae per annum circiter quadraginta millium pondera colligunt, magis albescit et adurescit. Cera albissima et solidissima vero tantum in ramis fruticis *Guabirámy* dicti invenitur, ibi quasi margaritas numerosas agglomeratas referens. Frutex sic dictus duos aut tres pedes altus optima fructu illius plagae se induit. — Lindley, per Brasiliam iter faciens, Apis speciem memorat, ad marginem sylvarum virginearum, prope locum Tapagippa dictum occurrentem, quae alveis in arboribus propius appositis naturalem quasi apiarium referunt. E testa densa gravi terrea constant, paene forma nidi hirundinis; multi unacum conjuncti sunt, et massam ovalem duos pedes densam supra arbores altas efformant, quae fracta favos cereos mel copiosum continentes offert. (Kirby, Introd. to Ent. Vers germ. vol. 1. p. 547.) — Renard unicus observationes nonnullas accuratiores de Trigonae Amaltheae vivendi modo communicavit. Haec species societatibus numerosissimis degens in fastigio arborum altiorum nidum fere utriculi figura molitur, quoad incolarum numerum plus minusve majorem plerumque 18 — 20″ longum et 8 — 10″ in diametro. Quasi pro gleba arbori affixa haberi possunt hi nidi et vix nuncupandi sunt, si non arborem ipsam caedere velis. Intus cellulas continent, quae ratione in insecti magnitudinem habita pergrandes sunt, unciam unam longitudine et 6 — 7‴ latitudine ostendentes. Haec cellulae mel dulcissimum, gratissimum, valde limpidum, rubidum, opaciusculum amplectuntur, quod mox fermentat, et liquorem spirituosum praebet, quem Indi magni aestimant, ob ejus saporem valde amoenum, si non vetustum est. Ut melius conservetur, illud coquunt, quo aqua nimia removetur, et mel syrupi spissitudinem adipiscitur. Mel copiosum et cera quamvis obscure fusca, non insolanda, incolis magno usui sunt, et commoda multo majora praeberent, si apes illas mansuefacere et propagare possent. (Latr. in Humb. Observ. tom. I. p. 272.) — Regio Provinciae Minarum Sertão dicta pervarias Apiariorum species procreat. Cera cruda, quam pleraeque praebent, nigrescit, et odorem aromaticum spargit. Mellis species qualitate et quantitate valde variant; aliquid virulentum est, sicuti mel viride drasticum, quod species *Munbahinha* dicta praeparat. Mel speciei unius et ejusdem mox venenatum, mox innocuum, temporis respectu, quo haec et illae plantae floreant. (Spix et Mart. Reise II. 523. seq.) De speciebus numerosis confer illius operis p. 542. ubi nomina lusitanica in illa regione usitata indicantur. Ictus, quem species *Caca-fogo* dicta infert, vesicas et inflamationem periculosam excitat; illa, quam *Sete-Portas* vocant, nidum valde artificiosum molitur; *Abelha do Cupim* ceram roseam praebet. Apis mellifica Europaeorum illic incognita est. — Dom. Van den Heuvel de apibus in Demerara habitantibus indicium nobis affert, et undetriginta species enumerat. Haec species et earum nomina, a gente Arrovaucana, quae res naturales maxima diligentia observat illis imposita, a Germano quodam, Dr. Schmidt, qui multos jam annos ibi versatur, ei communicata sunt. Apis sensu amplissimo ab illa gente *Ambáni* vocatur, et species quaelibet nomine altero, illi apposito, a colore, proprietate quadam aut comparatione cum rebus

*) Hoc nomine jam bonus Piso utitur, speciem vero omnino distinctam eo significat.

aliis desumto designatur. Ita dicunt: *Kurewaka-Ambáni*, nam Kurewaka Psittaci species parva vocatur, qui colore api huic similis est. *Maba* mel vocatur, et melli cuilibet nomen apis adnectitur, quae illud praeparat. *Yawáhu* ab illis diabolus nominatur, et *Yawáhu-Ambáni* apis species, cujus mel febrem excitat. Apum nomina indicamus, quae omnes asseverante Dr. Schmidt mel praebent: 1) *Hilimi-Ambáni*, quod significat apem cadaverosam, ob mellis saporem; 2) *Siwiriri-A.* Apis minuta; 3) *Mabúria*, Apis valde parva; 4) *Honno-Honuri* Apis magna; 5) *Honno-honno*, Apis praegrandis; 6) *Tuturúlu*, Apis nigra magna; 7) *Hikki-A.* Apis ignea, ob dolorem, quem excitat ictus; 8) *Wakára-A.* 9) *Wirukutúri-A.* Avis flava. 10) *Kuyára-A.* animal magnum; 11) *Puteréra-A.* valde molesta; 12) *Kuriwiri-A.* apis, quae sanguinem extrahit; 13) *Kana-A.*, vacca fera; 14) *Haw-A.* vocabulum, quod significat pigretudinem. 15) *Hituri-A.* Simia nigra; 16) *Kuriwáka-A.* Psittaci species; 17) *Sarámma-A.* species maxima Psittacorum; 18) *Warumúri*, Formica nigra elongata; 19) *Pariéddi-A.* Formica lata alba; 20) *Léndi-Gúbi-A.* fructus Cucurbitae lagenariae; 21) *Baráddi-A.* avis rostrum. 22) *Waráddi-A.* Apis valde rara; 23) *Kuribíru-A.* Anguis; 24) *Warakábba-A.* pomi spec. quaedam. 25) *Yawáhu-A.* Apis diabolus; 26) *Sibéru-A.* Apis rana. 27) *Súli-Súli-A.* Psittacus parvus niger; 28) *Aláso-A.* columba parva; 29) *Hyáo*, s. Hyá-Hyá (Tabernaemontana utilis Arnott.) arbor quaedam, succum lacteum exsudans. (Silliman, Amer. Journ. vol. 3. p. 79. seq.)

Clar. Vanden Heuvel demonstrare conatur (l. c. pag. 82. seq.) apem mellificam non ex Europa in Americam transportatam fuisse, sicuti affirmat cl. Raynal et omnes, qui eum secuti sunt, sed ibi indigenam esse. Varios allegat auctores, quibus constat, immensam mellis et cerae copiam in variis Americae terris ab apibus praeparatam fuisse, vel prioribus temporibus, ante Americam detectam, immo apes ab incolis cultas; tali modo Ferdinandus de Soto, jam anno 1539 in Floridam penetrans, magnam mellis copiam impetrasse. Immo, addit, si ea apis species nunc Americam borealem incolans huic regioni indigena non esset, id quod vero negandum, jure meliore credi posse, illam e meridionalibus Americae provinciis transmigrasse, quam ex Europa allatam fuisse. — Haec vero rationes mea quidem opinione vanae evadunt, cum accuratior specierum inquisitio et comparatio, cui soli ejus thesis rite inniteretur, a Dom. Vanden Heuvel non exhibeatur. Nemo hucusque negavit, Americam multas Apum species procreare, mel et ceram praeparantium; sed omnes eo consentiunt, maximam longe copiam ab *Ape mellifica* europaea contribui. Bonus Oviedo memorat, in insula Haytina apes nullas inveniri. (Hist. de las Ind. Lib. XV. cap. 3.) In regno Peruviano tempore Incae Garcilaço apes mansuefactae non exstiterunt, sed ferae in arborum et rupium cavis, quae in regionibus frigidis parvam mellis copiam amari saporis, et ceram nigram praeparare dicuntur. In provinciis calidis aut temperatis mel sapidum et ceram albam aromaticam exhibere memoratur. Mel illud, si in regiones frigidiores transportatur, spissescit, et faciem sacchari exhibet. (Inca Garcil. Comment. real. Lib. VIII. cap. 20.) Apis vera mellifica e Cuba in Floridam apiariis parvis anno 1764. transportata est. (Ramon de la Sagra, Hist. econom. politic. estadist. de la Isla de Cuba. Habana 1831. 4. p. 80.) Annis 1781 — 82. apes ex insula Martinica in insulam St. Dominici delatae sunt. (Moreau de St. Mery, descript. d. St. Domingue. vol. II. pag. 112. pag. 809.) De magna cerae quantitate, qua insula Cuba pollet, et quae quotannis in regnum Mexicanum transfertur, conf. cl. Humboldti Essai polit. sur la Nouv. Esp. vol. II. pag. 455. Longe maxima copia ab *Ape mellifica* praeparatur; minor a *Trigonae* speciebus sylvestribus, quae in truncis Cedrelae odoratae hospitantur.

LEPIDOPTERA

in America meridionali fastuosissima ac numerosissima procreantur. Regionum illarum peregrinatores spectaculum jucundum et admirabile saepe depinxerunt, quod exhibent Lepidoptera hinc inde copiosissima, coloribus splendidissimis ornata, species europaeas magnitudine longe superantia. (Conf. inter alios Spix et Martius R. I. 163.) Cl. Poeppig enarrat, insecta ordinum superiorum in regni peruviani parte orientali pauca tantum occurrere, si Lepidoptera excipias, quae numero et colorum splendore speciebus guyanensibus et brasiliensibus antecellant. E maximorum numero quatuor species apparent, omnes plus minusve azureo coloratae, quarum una alis extensis fere spithamam lata est. (Fror. Notiz. vol. 31. p. 326.). — *Tineae* et *Phalaenae* in lingua Tupinamba *Mariposa* et *Sarara* vocantur; vocabulo *Panama* vero Papiliones nominantur. — *Noctua strix Linn.*, gigas in genere suo, praesertim noctu coelo humido vel pluvio apparet et cum *Saturnia Atlante* vespere in domus penetrat. Eruca speciei posterioris viridis verrucis splendide igneis obsita in Citris aurantiis degit. Amictus earum sericum validum nitens praebent, quae forsan usui accomodari posset. (Spix et Martius R. III. 920.) Sine dubio a pluribus Bombycis speciebus in America habitantibus sericum impetrari possit. (Conf. de hac materia Phil. Transact. 1759. pag.

54. Humb. Ess. polit. sur nouv. Esp. II. p. 454.) Incolae teste Pisone (l. c. p. 316.) Bombyces indigenas *Içocu*, sericum vero *Içocurenimbo* vocant. — Browne et Merian affirmant, erucam *Papilionis Cupidinis Linn.* supra Gossypii plantas vivere. — Cl. Molina enarrat, magnam resinae copiam prope urbem Coquimbo regni chilensis in Origani specie quadam colligi, quae ab eruca *Phalaenae cerariae Mol.* aut prognigitur, aut e plantae illius gemmis, quas arrodit, secernitur. Eruca illa vere multitudine immensa in ramis plantae *Chila* dicta apparet, ibique cellulas, in quibus metamorphosin subit, e cera aut resina illa alba molli conficit, quae prius alba tunc flava, denique fusca fit, et autumno colligitur. (Mol. I. 174.) Cl. Azara lepidopteron magnum fuscum memorat, cui mos est, ova muco involuta cuti hominum imponere, qui denudati dormiunt. Larvae exclusae sub cutem repunt, et tumorem parvum prurientem excitant; membrum tumescit, et dolor acutus sentitur. Incolae statim morbum cognoscunt; folia herbae nicotianae masticant, in vulnus spuunt, idque vehementer comprimunt, unde vermiculi quinque aut sex pilosi, fusci, dimidiam unciae longi prodeunt. (l. c. p. 217) Haec res maxime singularis apparet, quod hucusque lepidopteron nullum cognitum sit, quod ova corporibus organisatis imponeret. Cl. Kirby (Introd. to Ent. Vers. germ. I. p. 147.) animalcula illa larvas *Oestri hominis Fabr.* aut speciei affinis putat. Conf. etiam Humb. Ess. sur la Geogr. d. Plant. p. 136.

Americam meridionalem erucas valde memorabiles procreare notum est. (Conf. Mer. Ins. surin. et supplément à Papil. exot. de Cramer par Stoll.) Erucas tales verosimiliter cl. Azara descripsit. Vidit scilicet in Paraquaria vermem magnum, paene uncias duas longum, capite noctu carbonem cardentem referentem, qui in utroque corporis latere ad longitudinem seriem foraminum ocellis similium ostendebat, e quibus lumen exiguum, flavidum prolucebat. Corpus speciei alius totum obsitum est fasciculis aut plantulis quibusdam, qui satis elevati, nigri, cuti perpendiculariter implantati fuerunt. Fasciculus quilibet in ramos divisus apparuit, et ramus quivis foliola, aut potius pilos seu setulas tulit. (Az. l. c. p. 214. seq.) Sub nomine *Tataurána* et *Ambuá* Piso (l. c. p. 286. seq.) erucas duas memorat, quae urunt instar ignis, si cutem humanam attingunt. Omnes denique erucae, inquit, urendi vim habent, cutique deglubendae et vesicis excitandis aptam. Oniscus, quem descripsit bonus Dobrizhofer, erucam praecedentem quadrat. Verbis sequentibus eum memorat: „Scolopendram cum Onisco cave confundas. Hunc Quaranii *Ambuá* dicunt. Vermis est fuscus, rotundus, digitos duos longus, pluma, qua scribitur, anseris vix crassior. Corpus pilis asperis, sed eleganter flavis vestitur. In capite maculae candidae hinc et illinc duplici serie eminent. Octo pedibus curtis, sed crassis graditur. Quam corporis partem attigerit, inflammat vehementer, ut adeo veneni expers putari haud possit.“ Etiam in Europa plures erucas tali pilorum qualitate praeditas inveniri constat, e. g. *Bombycem processioneam*, *pithyocampam* etc.

HEMIPTERIS

numerosis et singularibus praesertim e Homopterorum divisione, America meridionalis abundat. *Cimex lectularius* noster, per totam Europaeam meridionalem vulgatissimus, Indis clariss. Azara affirmante haud cognitus fuit; Hispanis illius terrarum plagae, immo urbis capitalis Paraquariae ille modo anno 1759 innotuit, quo animalculum pessimum et invisum in praefectus cujusdam suppellectilibus introductum fuisse dicitur. Hominem in sylvis degentem non infestat, sed tantum eum aggreditur, qui more europaeo civis factus aedes habitat; quare cl. Azara putat, cimices longe post hominem creatos fuisse, quod secula plura praeteriissent, usque dum homines in rei publicae statum inque urbana negotia pervenissent. (l. c. p. 207.) — Cimices abunde in Hispanorum coloniis invenit Dobrizhofer; per Indorum oppida nullum conspexit unquam. Ab Abiponibus *Pata* dicuntur. (l. c. p. 369.) — Nomine *Binchucca* aut *Vincucha* variae Hemipterorum species in America meridionalis regionibus quibusdam habitantes et homines infestantes ab autoribus describuntur. Dobrizhofer narrat: „Cordubae, alibique per Tucumaniam cimices volantes, quos *Binchuccas* vocant, passim oberrant. Interdiu sub tectorum, arcarumque rimis quieti delitescunt, noctu coelo sudo ac tranquillo turmatim advolant, bellum cruentum moturi dormientibus, e quibus tantum sanguinis exsugunt, ut nemini dormire, ejaculare omnibus libeat. Parti, cui insident, ardorem imprimunt intolerabilem, et cremare potius corpus, quam mordere videntur. Maculas purpureas, tolerati doloris indices, instrumento caustico inductas jurares. Tam vehementer homines in domibus persequuntur, ut illis dormiendi causa campus petendus sit. Id in illo terrae tractu more receptum, necessariumque. Negant enim aestuosis noctibus sub tecto cimibus scatente somnum capi posse. Felices Abipones, Quaraniique, qui volucres has hi-

rudines ignorant. (l. c. pag. 369. seq.) Cl. Azara enarrat: „Insectum *Vincucha* nominatum eos valde molestat, qui ab urbe Mendoza in Bonariam proficiscuntur, sed in ripa boreali fluminis la Plata non occurrit. Scarabaeus est, corporis ovalis, valde deplanati, sanguine hausto saepius in acini magnitudine inflati, qui si concoctus est, vomitu iterum egeritur et in linteis maculas inexstirpabiles causat.“ (l. c. p. 208.) Autor hic Ixodes et Reduvios confundere videtur. Cl. Pöppig commemorat: Inimicus hominis capitalis in vallibus Andium regni Chilensis est *Reduvii* species quaedam nigra, grandis, longipes, quam *Vincucha* nominant. Semper semperque per dies et noctes hominem persequitur, imo passus aliquot extra domum eum comitat, copiosa apparet, et in tectis ex arundine confectis sese abscondit. In Provinciis versus orientem a Cordilleris sitis usque ad pagum San Luis de la Punta vulgatissima occurrit, et tempore recentissimo supra montes transportata est. In urbe Santa Rosa raro invenitur, etiamque regni chilensis conditio illi non placere videtur, sed in tuguriis inter pontem de Vizcochas et fluvium Rio Colorado dictum millia individuorum exstant. (Fror. Not. vol. 23. p. 292.) — *Reduvius serratus Fabr.* Americae meridionalis terrarum calidiorum et insularum Indiae occidentalis indigena, affirmante Davie, ictubus electricis perfundere potest. (Kirby l. c. vol. I. p. 117.) — Cimex quidam quem dicunt rufum, in Croocked Island saepius Gossypii plantationes devastat. (Kby. l. c. p. 203.) Forsan haec *Lygaei* aut *Corei* species, et eadem, quam Arruda da Camara inter insecta Gossypio obnoxia depinxit. (Sobre a cultura do Algodão tab. f. 6). —

America meridionalis, inque ea praesertim Brasilia, prae aliis orbis terrarum regionibus, numerosissimas aeque ac maxime memorabiles *Cicadarias* progignit. Mens humana formas effingere vix valeret tam singulares et, ut ita dicam, mirificas, quam quas alma mater natura exhibuit, dum quum *Centrotos* crearet, *Membracides*, *Darnides* et *Bocydia* illa monstrosa nunc processubus maximis instructa, nunc globulos, nunc hastas aut serras ferentia; alia corporis totius structuram mirifice variegatam, alia diversarum partium diversissimam et proportionem et situm offerentia. *) — *Fulgoras* et *Flatas* magnas cl. Spix et Martius tantum sub aequatore invenerunt, reliquas plerasque in sylvis aeternis Provinciae Minarum et Bahiae. In nullo *F. laternariae* individuo phosphorescentiam observaverunt, quam bona Merian prima descripsit. (Reise III. p. 1132.) Etiam coloni cayennenses, cl. Richard et Hoffmannsegg testibus, *Fulgorae* phosphorescentiam omnino non tribuunt. *Fulgora laternaria* ab Indis *Jacarénamboya* (Crocodilus - anguis) vocata venenatissima habetur ob ictus quos inferre dicitur. Celer volatu, circulos magnos circumscribit, praecipue vespertino tempore supra insulas arenosas fluminis Amazonum apparet. (R. III. pag. 1115.) Strepitus vehemens quem edit *Cicada tibicen*, species generis sui permagna, apparatu proprio ad abdominis basin sito, sono comparari potest, quem liberi tubis parvis e ligno confectis efficiunt. Animalcula illa saepius super virgulta congregata stridore penetranto unisono aures obtundunt. (Reise II. 600. 689.) — Cl. Humboldt memorat, *Membracem lanceolatam Fabr.* in regione caraccasana supra plantas vivere, ibique in agmina congregatam massas omnino immobiles efformare. (Observ. Zool. p. 170.) — In *Saccharo officinarum* propria Aphidis species degit, saepius plantationes devastans (Brown. Hist. of Jam. pag. 430. Magaz. of nat. hist. Jun. 1832. p. 469.) — Cera supra memorata, quae in ramis fruticis *Guabirámy* invenitur, a *Cocco* quodam progignitur. (Azara l. c. p. 164.) — In quibusdam Cacti plantis sponte per Paraquariam nascentibus insecta inveniri, quae colliguntur, quia color ruber ex iis impetrari potest, cl. Azara asserit (l. c. p. 215). Vix vero distingui potest, an autor verum *Coccum cacti* designet. Multa eaque egregia de hoc insecto tanti apud nos momenti communicaverunt: Thiery de Ménonville in opere suo: Traité de la culture de Nopal et de l'education de la Cochenille, et cl. Humboldt, Ess. polit. sur la nouv. Esp. tom. II. pag. 456. seq. Quod pertinet ad

DIPTERA

in America meridionali habitantia, praesertim ea innotuerunt, quae homines vexant. Species nonnullae interdum tanta multitudine ingruunt tantamque molestiam inferunt, ut illarum regionum incolae eas deserere coacti sint. Quamvis vero de hac terrarum tropicarum peste plurimi peregrinatores verba fecissent, accuratiorem tamen specierum numerosarum per totam Americam meridionalem dispersarum historiam hucusque desideramus. — Hispani, qui

*) In Delectu Cicadaria tantum pauca praecipue memorabilia ex iis descripsi et depinxi, quae cl. Spix et Martius e Brasilia secum portarunt. Fasciculos ultimos commentariorum qui dicuntur: Archiv für Entomologie, herausgegeben von Dr. Thon, in quibus cl. Germar tam multas Cicadariorum species descripsit, hucusque comparare non potui. Loco alio species reliquas in museo monacensi exstantes describam.

primi Americam intrarunt, ubique culices *(Mosquitos)* invenerunt, eorumque agminibus ita sunt excruciati, ut minima animalcula quasi defendendae terrae provinciam in se suscepisse viderentur. Pizarri milites in terra continente prope *Ilha del Gallo* illorum examinibus, crudeli ictu persequentibus hoc solum modo sese subducere potuerunt, ut corpora infoderent. (Herr. Hist. de las Ind. occid. Dec. III. Lib. 10. cap. 2.). Indi, ad litus boreale mexicanum habitantes, placentas *(Empanados)* e simuliis (Mosquitos) conficere consueverunt; non mirum, quod Indi fere omnia devorant. (Herrera l. c. Dec. IV. Lib. 9. cap. 8.) Immensa *Simuliorum* et *Pulicis penetrantis* copia praeter fluvii inundationes causa fuit, colonis, qui ad rupem et in pago *Curiquima* secundum *Oronoci* flumen hospitarunt, in alias terras migrandi. (Humb. Voy. Edit. franc. tom. II. pag. 232.) — Piso (l. c. p. 288. seq.) varias Culicum et Simuliorum species enumerat, quae dicuntur: *Mariguí*, *Rhatiu*, *Mberobi*, *Caúa*, *Taturána*, *Jetinga*, *Pinu*. Brasilianos „parvis Cicindelis splendidissimis" non solum ad noctis tenebras illuminandas, sed ad fugandum quoque molestissimum culicum genus uti enarrat. — Barrère (l. c. p. 191.) tres species Dipterorum hominem vexantium memorat: 1) *Culicem magnum*, longipedem, omnium molestissimum. Ictus pruritum pustulis et tumore comitatum causat. Copiosissimus in Insulis Indiae occidentalis occurrit. 2) *C. minorem* vulgatissimum *Maragoin* dictum. 3) *C. omnium minimum*, *Moustique* vocatum, Simulii generi adscribendum. — Culices Hispani *Mosquitos*, Quaranii *Merú* aliosque *Natiú*, Abipones *Ayte*, vel *Apatáye* vocant. Utroque vocabulo culicum frequentiam denotant. Vox *ayte* equidem *multos* significat. *Apataye* a *Lapatá* derivatur, quod stoream, quae pro tecto adhibetur, significat. Sane Culicibus, qui Paraquariam vexant, denumerandis ut nulla par arithmetica, sic tolerandis quantacunque patientia impar esse videtur. Culices alii ab Abiponibus *Yehit*, ab Hispanis *Jejennes* dicti, fors nomine a *Gehenna* derivato, veluti e Styge oriundi, prioribus multo graciliores sunt, sed insolentiores. Quamvis enim molesto vocis clangore careant, per os, per aures, per nares turmatim irrepunt, acerrimeque, quam insederint corporis partem compungunt. (Dobrizhofer l. c. II. p. 360.) — Quam plurimum ad nostram cognitionem Dipterorum illorum homines infestantium cl. Humboldtii egregiae observationes contribuerunt, quarum nonnullas tantum maximi momenti inserendas suscipio. Interdiu vexant *Simulia (Mosquitos)* et Culicis species *Jèjen* dicta, noctu *Zancudos*, culices quidam magni, formidabiles, longipedes. Diptera illa praesertim in infimo aëris strato, immediate supra terram posito, usque in altitudinem 12 — 15 pedum elevato hospitantur, idque quasi vapore venenato implent. Copia animalculorum innumerabili magni terrae tractus fere deserti redduntur. Tormentum, quod inferunt, *plaga de las mosquas*, semper semperque in ore omnium est incolarum, ad flumina magna Americae meridionalis habitantium. Distributio eorum geographica non solum a regionis calore, humiditate aut sylvarum densitate sed a momentis topicis, ardue extricandis dependere videtur. In planitiebus herbidis montium, supra quatuor centum orgyas elevatis, aeque ac in planitiebus aridis, e. g. ad Cumana et Calobozo, culices copia non majore proveniunt, quam in regionibus europaeis maxime habitatis. In medio fluminum rariores occurrunt quam ad ripas. Innumerabiles procreantur prope urbem Nueva Barcellona et regione versus occidentem sita. Prope portum parvum Higuerote et ad ostium fluvii Unare dicti incolae tantum capite libero, in arenam sese infodiunt, ut eorum ictus evitent. Enormi multitudine occurrunt ad flumina magna, praesertim in superiore parte *Orinoci*, *Japura*, *Madeira*. Ab aquis sic dictis nigris *(Atabapo*, *Temi*, *Tuamini*, *Rio negro)* Simulia abhorrent; e contra *Culices* aut *Zancudos* ibi copiosi, qui in fluviis nonnullis aquae albidae rarius occurrunt, alios tamen, uti fluvium Amazonum, ubique infestant. Species variae Dipterorum pungentium non contemporaneae, sed successione determinata proveniunt. A hora sexta matutina usque ad quintam vespertinam *Simulia* aut *Mosquitos* adsunt. Hora ultima ante solis occasum Culices *tempraneros* dicti molestant. Intra horam sextam et septimam aliud Culicum genus longipes, *Zancudos* dictum apparet, quod per noctem torquet. Culices *Zancudos* dicti proboscidem tam longam possident, ut eo vestimenta densissima perfodiant. Omnes e speciebus pervariis constant, et tantum inter *Zancudos* fluminis *St. Magdalenae* et *Gujaquil* cl. Humboldt species 5 distinxit: *Culicem cyanopennem*, *lineatum*, *ferocem*, *chloropterum*, *maculatum*. Pariter ac in Europa solummodo feminae pungunt. Flumen fere quodvis species proprias possidere videtur, quari si flumine adverso naviges, et novam speciem observes, ratiocinari libet, fluvium secundarium introisse. Diptera illa *Maringuins* et *Mosquitos* dicta ad Andium intertropicarum declivitatem in zonam temperatam non sese elevant. Omnes hominis varietates compungunt; ictus vero europaeis, qui nuperrime advenerunt, dolores majores et tenaciores concitant, quam Indis indigenis, quia in illis cutis sensibilitas tenuior sit. — Plures horum insectorum species migrationes instituunt. Temporis pluvii incremento in regionibus quibusdam species apparent, prius ignotae. Loco *Simiti* dicto prope *Rio de la Magdalena* sito quondam

Culex solus adfuit, qui *Jejen* aut *Xexen* vocatur, et interdiu solummodo vexat. Ex anno 1807 *Culex cyanopterus* accessit, qui incolas miseros per noctem torquet. In vicinia urbis *Cartagena la nueva* dictae Dipterum quoddam albidum minutissimum, *Cufasi* vocatum, invenitur, quod tumores valde dolorosos concitat. — Varietates exiguae victus et climatis in speciebus iisdem *Culicum* et *Simuliorum* veneni, quo scatent, indolem mutare videntur, ita ut ferociores et periculosiores ictus infligunt in his regionibus, mitiores in illis, causâ nondum extricatâ. Cl. Humboldt conjicit, immensam Dipterorum venenatorum copiam in aëre miasmata progignere posse. — Ictus numerosi certo organorum capacitatem augent, miasmata concipiendi, functiones organismi perturbantur, et causae aliae pathogenicae majorem efficaciam obtinent. (Humb. R. edit. germ. vol. 4. cap. 20. p. 77. 228.) Cl. Spix et Martius in Amazonum flumine a culicibus *Zancudos* dictis crudeliter afflicti sunt. Indi lingua Tupinamba culicem hunc longipedem *Carapanâ* vocant. Tempestate aut pluvio imminentibus et aëre tranquillo vivaciores et molestiores fiunt. Cl. Martius affirmat, nonnullas arbores ad ripam crescentes eorum malignitatem augere, et tumorem, quem causant, majorem et magis dolorosum evadere, si frutices *Sapii aucuparii* aut arbores *Oassacú* (Hurae) in vicinitate crescunt, quia insecta partem succi virulenti Euphorbiacearum in cutem transportant, quae cito in sanguinem recipitur. (R. III. p. 1004.) In regione circa Obydos ad Amazonum flumen peregrinatores illi clarissimi teribiliter a Simulii? specie cruciati sunt, quae *Pium* vocatur, capite magno, proboscide brevi valida praedita. Ictus ejus numerosissimi nonnunquam exanthema causant, quod *Piéra* dicitur, immoque, homines eo periisse enarrant. Haec species ad Amazonum et Madeira flumina invenienda, etiam *Cabeçudo* vocata, tantum interdiu volat. Alia, quam *Maruim*, *Mariuim*, *Moruim* s. *Meruim* vocant, Culicum generi vix adscribenda est, *Carapanâ* fere triplo minor, nec minus maligna quamvis pariter non molesta volatu nec susurri clangore. Post solis occasum apparet, noctu sese in sylvas abscondit, et locum *Carapanae* relinquit. Haec species forsan muscis *tempraneros* cl. Humboldtii respondet, cum *Carapanâ* in *Zancudos*, *Pium* in *Mosquito* ad Oronoci flumen quadrent. *Carapanâ* ad Amazonum flumen habitans, *Culex amazonicus Mart.* a speciebus videtur differre, quas cl. Humboldt descripsit: thoracem offert cinerascenti-viridem et pedes nigro-alboque annulatos. (Spix et Mart. R. III. p. 1056.) Dipterum minutum, non pungens, sed turmatim in os et oculos volans *Nitinga* vocatur, et ovula sua libenter in vulnera ponit. Species Simulii alia *Muru-anja* aut *Maru-anja* nominata canes persequitur, eosque in aures compungit, in vulnera ovula ponit. Culicum genus in *Linguà geral* dicitur *Inhá*. Duae species distinguuntur: *Inhá-bruasú* et *Inhá-tuim*, quae posterior praesertim ad maris litus et flumina occurrit. Dipterum quoddam plerumque ante pluvium vexans *Mutuca* aut *Mutiqua* dicitur. (Communic. cl. Martius.) — Etiam in regno peruviano, referente cl. Pöppig, (Fror. Not. f. Nat. u. Heilk. vol. 32. p. 3.) *Mosquitos* summo sunt tormento. Indi peruviani pedes et manus fructu nigro tingente, qui in Cartagena Agua s. Caruto audit, *(Genipa Caruto)* fricant, et faciem pulvere coccineo vegetabili colliniunt, quo contra ictus sese nonnihil defendant. Aliis regionibus, e. g. infra oppidum Plaga chica dictum culicum quoque accedit tormentum innumerabilium, per noctem vexantium. Oppidum Tocache dictum prope fluvium Huallaga hac peste patitur. Saepius celeriter in una nocte abeunt, ut vel in sylvis per duos aut tres dies non conspiciantur. Indi rite affirmant, Culices luna crescente numero majore apparere, et fumo ignium potius allici, quam depelli. *Zancudos* in regni peruviani parte orientali rarissimi inveniuntur, et noctes non perturbant; sed saepius *Simulii (?)* species minutissima albido-conspersa agminibus innumerabilibus noctu apparet, quae vero transmigrat. Haec species forsan *Cufasi* cl. Humboldt respondet. Interdiu molestia *Culicibus* et *Simuliis* causata, quorum facile septem species discernuntur, vix toleranda. (l. c. v. 31. p. 326.) *Culices* etiam in Provincia Maynas tam in domibus quam in sylvis innumerabiles et molestissimi. (l. c. vol. 32. p. 230.) Tempore sicco imminente culex magnus enormi copia apparet, ab Indis *Virote Zancudo* vocatus, vestimenta densissima proboscide longa perfodiens, in os et nares penetrans. Duplo major est vulgari Culicum specie, *chalybeo-grisea*: coerulescens, thoracis linea laterali utrinque stramineo-flavida, tarsis albis. Mensibus binis vel tribus elapsis abit. Indi affirmant, pomis sylvestribus maturescentibus, inprimis arboris *Lucuma (Achras)* dictae allici, quorum succo nutriuntur. Imo feras et bestias mansas excruciant, et simias ad emigrationes impellunt. (l. c. vol. 33. p. 97.) Mosquitos in regni chilensis regionibus littoralibus rarissimi, in Andium vallibus clausis copiosiores; ibique etiam Culicum species duae magnae hora secunda usque ad sextam post meridiem copia maxima proveniunt (l. c. vol. 23. p. 292). — Cl. Pohl et Kollar duas species Dipterorum molestantium in Brasilia habitantium descripserunt: *Culicem molestum Koll.* l. c. p. 18. f. 13. et *Simulium pertinax Koll.* l. c. p. 19. f. 14. quod ab incolis *Borrachudo*, potator, vocatur.

Musca domestica Linn. cum Europaeis in insulas antillanas venit, ibique sicuti in tota America meridionali quaquaversum dispersa est. Priusquam Oviedo advenerit, rarissime in insula St. Dominici reperta, mox vero valde aucta est. — *Sarcophagae* spec. pullos vivos enitens in Paraquaria copiosissima belluas mansuefactas, immo canes valde infestat. Vulnus levissimum persentiscit, et pullos in eo deponit, qui saepius in cerebrum penetrant, et dolores acerbissimos concitant. Sauciis tantum loco obscuro dormire licet, quia tenebris repelluntur. (Az. Voy. vol. 1. p. 215. seq.) De animalculis illis enarrat Dobrizhofer l. c. vol. 2. p. 353.: „Muscarum ejusmodi agmina passim circumvolitant. Domi forisque famelicis his te bestiis abrui videbis. Centies repulsae centies redeunt. Dormientibus per aures ad interiora capitis penetrant, lendes mox excernunt innumeras, vermium innumerarum seminarium futuras. Hi utrinque acuti, rubrique, caeterum corpus candidi, in horas augescunt numero, et quidquid carnis, succique in capite erodunt; deliramentum denique ac mortem, ni medearis, certissimam sensim accersunt.“ Dipterum, quod Dobrizhofer alio loco memorat, verosimiliter *Stomoxydis* generi adscribendum est. „In quibusdam Paraquariae locis, in Tarumensi imprimis territorio alia muscarum species grassatur. Figura et mole corporis a muscis nostris vulgaribus vix differunt, praeter quam quod albo sint colore, aculeoque valeant formidabili, quem ut primum vel homini, vel bestiae infixerint, uno ictu sanguinem eliciunt copiosum. In aedibus vix memini, eas vidisse; vias potissimum insident, ubi equo iter facientibus molestias vix tolerabiles facessunt. (l. c. p. 358.)

Cl. Pöppig fere in summitate Vulcani *Antuco* in regno chilensi immensam *Tabanorum* multitudinem invenit. (Fror. Not. vol. 31. pag. 34.) et Martium innumera muscae cujusdam examina e montis Cupatí, fluvio Japurá adjacentis, cacumine profligarunt. In Provincia Maynas cl. Pöppig *Oestros* reperit, qui ovula sub hominum cute deponunt. (l. c. vol. 33. p. 103.) De *Tabanis* paraquariensibus refert Dobrizhofer l. c. p. 358. „*Tabanorum* per campos sylvae adjacentes maxima varietas est et frequentia. Solas tamen bestias acumine compungunt suo, humani sanguinis contemptores. Nil miror, cecinisse poetas, Jo puellam tabano a Junone immisso in furorem incidisse. Equos certe, mulosque semper alias morigeros, dum a Tabanis hirudinum instar sibi inhaerentibus torquentur, et sui impotes et sessoris immemores, in rabiem efferari toties vidimus.“

Vix extricandum est, quodnam Dipterorum genus et speciem Barrère designare velit, cum refert: „*Musca* major, diu noctuque instar gemmae splendens. Insectum instar fuci Marcg., *Grande mouche luisante.* Insectum hoc muscarum generi adscribendum erit; valde differt ab eo, quod in illa regione *mouche luisante* dicitur, et quod Coleopteris adnumeravi.“ (l. c. p. 201.)

APHANIPTERA.

Ordo hucusque unicum genus paucasque species complectens quoad animalium illuc referendorum numerum absque dubio valde augebitur, dummodo *Pulices* in diversis mammalibus et avibus hospitantes rite discernentur. America meridionalis speciem possidet propriam, valde memorabilem, maxime molestam et obnoxiam, proprium forsan genus constituturam. Haec licet ubique fere locorum numerosissima, atque jam primis de Americae historia naturali autoribus cognita, vel novissimis studiis nondum ita est explorata ut metamorphoseos ratio, sexuum discrimen atque vitae modus, cui larvae indulgent, plane perspiciantur. Jam primi, qui Americam intrarunt scriptores *Pulicem penetrantem*, diverso *Chigue*, *Chigoe*, *Nigue*, *Pigue*, *Tunga*, *Pungua* nomine memorant. Lerius Burgundus cum *Ton* nominat, ejusque identitatem cum *Nigua* autorum, qui de India occidentali tractant, intelligit. (Hist. navig. in Bras. edit. 1586. p. 136.) Piso eum sub nomine brasiliano *Tunga*, lusitano *Bicho* memorat (l. c. pag. 289.) Barrère auctor est: „Pulicem minutissimum, nigricantem *Xique* dictum, *Tunga* Marcgr., microscopio inquisitum sane Pulici adscribendum et in insulis americanis plus aequo cognitum esse. „Cl. Swartz animalculum Chique dictum *Pulicibus*, non vero *Acaris*, adnumerandum esse observavit. Cl. Ulloa et Jos. Jussieu species duas sub hoc insecto comprehendi putant. Egregie phaenomena, quae exhibet, et accurate prae omnibus descripsit bonus Dobrizhofer (l. c. p. 361.), quare ejus observationes majoris momenti si licitum est e libro suo rariore transscribo. „Utraque America, inquit, quae aestuoso coelo torretur magis, vermiculum gignit, naturae monstrum, multorum quotidie gemituum, non paucarum mortium occasiunculam. *Pulicis* tenuissimi speciem refert, cumque subsiliendo imitatur; hinc a Quaraniis *Tû* vel *Tûngay*, pulex malus, dicitur. Ab Hispanis *Pique*, a Lusitanis *Bicho dos pes*, (insectum pedum), a Mexicanis *Nigua*, ab Abiponibus *Aagrani*, mordax, vocatur. Tam exilis est, ut vel ab oculatissimo, nisi clarissima luce, percipi haud possit, tam aculeato rostro armatus, ut calceos, ocreas, cothurnos, quaslibet vestes pertundat. Extimae cuti inhaeret tantisper, mordacissimo mox cum pruritu ipsam carnem pene-

trat. Illic veluti sub cuniculo latens, sphaerica albescenteque vesicula se circummunit, quam ovulis, seu minutissimis lendibus implet. Haec vesicula si plures dies sub carne toleratur, ad magnitudinem pisi nostri grandescit. Quo diutius haec vermiculi vesica humano corpori inhaeserit, eo magis in dies doloris sensus obtunditur, ac hebetatur. Ad hunc hostem sua e statione exturbandum pueri sane aptissimi. Hi enim eximia, qua pollent, oculorum acie punctulum rubens, vermiculi carnem ingressi vestigium, deprehendunt illico. Illius punctulis ambitum, seu peripheriam acicula fodicant, cutem carnemque sensim aperiunt, et vesicam illam cum vermiculo suas intra lendes sepulto integram denique exsculpunt. Si haec candelae ardenti admoveatur, nitrati pulveris instar cum crepitu dissilit. Quod si puer acu carnem fodiens vesicam carni adhuc inhaerentem disrumpat, res malo sunt loco; humor enim inde effusus, novi doloris, lendes dissipatae novorum eodem in loco vermiculorum erunt origo. Americanum hunc pulicem venenata turgere materia, ex eo fit palam, quod ipsa caverna, e qua fuerat expunctus suis cum posteris, inflammari, tumescere, ac ni prompte medearis, gangraena corripi soleat non rara. Ungues in pedum digitis, quas invadunt maxime, tabescunt ac decidunt semper, quin et ipsos pedum digitos ad vitam servandam resecare oportuit quandoque. Qui in loco his insectis obnoxio versantur, quovis minimum biduo pedes puero cuipiam inspiciendos porrigant. Saepe hi pulices cuti necdum perterebratae insidentes citra molestiam intercipiuntur. Si recens carnem ingressi videantur, non illico acu expungendi; timendum equidem ne tenue pulicis corpusculum acu rumpatur, ejusque caput validissime infixum carni inhaereat, quod dolores incredibiles, pus et ulcus certissimum adferret. Rerum peritiores diem integrum exspectant, dum vermiculus vesica sua clausus tuto, totusque erui subinde queat. Digitis plerisque et unguibus perforatis, plantis laceris aegre gressum figes, pedibus pure manantibus tui neglectum, inspectionis dilationem tute accusabis, diuque lues. Novi complures multis hebdomatibus idcirco lecto affixos. Vidi pedum usu omnino destitutos omni prorsus remedio caruisse. Tanta tantillae bestiae pestis! — Alienis docti periculis, qui sibi cautum volunt, aedium suarum munditiae impense student. Dicti enim vermiculi e pulveribus, e faecibus, e qualicunque lotio ortum ducunt ardentiore sub coelo. Septa, in quibus oves, muli, equi interdum custodiuntur, etsi sub dio sint, et absque tecto, hac scatent colluvie. — In illis Paraquariae tractibus, qui austro imminent magis, auraque gaudent non calidissima, infaustum hoc insecti genus omnino nescitur. Nunquam illud seu in territoriis Boni aeris seu Cordubae Tucumanorum visum. — Haud inficior, hos vermiculos pedibus potissimum insidiari. Saepe alias tamen per caeterum corpus majore cum periculo serpunt, jam in brachio, jam in genibus et ubi non? nidum sibi parant. — Canibus plus negotii facessunt haec insecta. Sues, simias domesticas, feles, capras ovesque insolenter vexant, haud tamen equos, mulos, asinos, boves. — Illud Americanis curandum maximopere, ut cavernam, quam pulicis excerpti vesicula occupaverat, vel pulveribus tabaci hispalensis, cinere, smegmate, oleo oppleant diligenter. Periculosum est ejusmodi industrias negligere. — Experientia certum est, alios prae aliis frequentius ab hoc insecto vexari, difficilius consanari: in vario sanguinis humorumque temperamento discriminis hujus ratio fundatur." — Cl. Azara *Pulicem penetrantem* non ultra gradum 29 latit. austr. inveniri refert. Autor ille hoc insectum neque in suibus feris, quos Tayaçú nuncupant, neque in bestiis mansuefactis, quas domi vexant, dum foris versantur, obvenire observat, attamen illico ibi in quisquiliis ramentisque lignorum apparere, ubi homines domicilia capesserint, immo longius solum temporis, lignorum caedendorum causa, in sylvis vel desertis et remotissimis, morati essent; quam ob causam *Pulicem penetrantem* non normali generatione, sed, proprio modo, homini postnatum esse ratiocinatur (l. c. p. 208.) — Cl. Humboldt observat zonae torridae indigenas cubiculo eodem pedibus denudatis sine periculo versari, quo *P. penetrans* europaeum aggreditur, qui nuperrime advenerit. Insectum igitur europaei carnem et sanguinem ab americani, immo dum alba uterque sit cute, discernit, id quod analysi chemica diligentissima hucusque non perfici potuit. (R. edit. germ. vol. 4. p. 90.) — Cl. Spix et Martius enarrant, *P. penetrantem* neglectum, tumores sympathicos glandularum inguinalium, immo sphacelum inducere posse. (R. vol. 1. p. 172.) Praeterea conf. de hoc insecto cl. Pohl et Kollar commentarium citatum, p. 8. seq. *P. penetrans* ibi cum ovulis depictus est fig. 5. a — g. Animal in carnem sese infodiens, ut ibi repraesentatur, capite altius penetrat, ano extrorsum spectat. Omnia individua a viris claris inquisita formam eandem, abdomen plus minusve in vesicam extensam exhibuerunt, quo demonstratur, feminas solummodo post coitum in animalium cutem penetrare, ibidem pro ovis evolvendis aptum nutrimentum inventuras. Larvae in pedum vulneribus nunquam repertae sunt. Abdomen in vesicam maximam albidam tumescit, et cute tenuissima indutum est, qua aperta massam ovulorum innumerabilium albescentium, transparentium, immobilium, cylindricorum offert, quae omnia parenchymate tenui inclusa funiculis continentur. Ovula, cloacae propius sita, ergo maturi-

era, reliquis majora et fusciora sunt. Cl. Pohl et Kollar *P. penetrantem*, pariter ac *P.* nostratem irritantem, ovula in terram, aut quisquilias deponere existimant, ubi larvae exclusae reliqua efformationis et metamorphoseos stadia subeant. — His, quae attulimus, comparatis patet, *P. penetrantem* vitae ratione ad Acarorum quorundam, inprimis *Sarcoptis* generis, indolem accedere, et paulo etiam cum *Pupiparis* inter Diptera convenire, eo tamen discrimine, quod Pupiparorum larvae per omne larvarum stadium in matris utero versantur, cum e contra ovula *P. penetrantis* modo efformationem et evolutionem perfectiorem ibi adipiscantur. — *P. irritans Linn.* a Brasilianis *Tunga-açu*, *Pulex magnus*, vocatur. „Pulices vulgares, inquit Dobrizhofer (l. c. p. 368.), in Paraquaria non adolescunt tantum, sed velut nativo in solo impotentissime d°minantur. Cum a canibus copiosissimi soleant procreari, *Neteguink Loapakatè*, pediculi canis, ab Abiponibus dicuntur. Illud singulare, quod alicubi ipse campus herbis undique vestitus affluat pulicibus. Per Paraquayum flumen navigantes, si quando in littus meridiaturi, pernoctaturive excendunt, quamvis in nitido cubent cespite, ubi nullum aut hominis, aut canis vestigium usquam fuit, pulicibus nigrescentes singuli ad navim redeunt aliquando. Idem a me in campis ad amnem Inespin alibique observatum." Cl. Humboldt eandem observationem quoad *Simulia* et *Culices (Mosquitos* et *Zancudos)* fecit, qua probatur, insectis illis originitus hominem non assignatum esse, in quem saevirent, eaque absque homine et existere et se nutrire, sed instinctu impulsa hominem aggredi, sanguinis sugendi causa, dum in eorum vicinia moretur. Larvae tam Pulicum quam Dipterorum illorum primitus substantiis inorganicis nutriuntur; sine dubio vero evolutionem et incrementum luxuriosius capiunt, si matres sanguinem hauserint. — Cl. Azara affirmat, hieme modo *Pulices* in Paraquaria inveniri, quo pateat, aestum majorem huic insecto obnoxium esse; attamen cl. Martius nobis auctor fuit, se per omnem Brasiliam omni anni tempore immundam illam pestem in locis habitatis (nunquam vero in herba vegeta) invenisse. In Bonaria totum per annum copiosi, attamen aestate rariores. (Az. l. c. p. 207). Cl. Pöppig in regno chilensi incredibilem *Pulicum* copiam reperit. (Fror. Notiz. vol. 23. p. 274.) Martio teste *Pulices* nigritarum sudorem affectant et nullibi copiosiores adsunt, quam iis in locis siccis atque quisquiliarum plenis, in quibus aethiopes pernoctaverant.

MALLOPHAGA.

Oviedo et autores posteriores multi observaverunt, *Pediculos* hominem habitantes evanescere in iis, qui trans insulas azoricas in Americam proficiscuntur, et in redientibus, cum in illam latitudinem pervenerint, rursum apparere. Cl. Martius narrat, simias mansuefactas, quas secum in Europam transportavit, citra Azores *Pediculis* quasi riguisse, nonnullos iis periisse. Observatores alii vero serio referunt, in regnis mexicano et peruviano vectigal exactum fuisse pediculis solvendum (Kby. Intr. to Ent. Vers. Germ. vol. I. p. 90), quo e contra confirmaretur, insecta illa odiosa illas in terras non ex Europa transportata fuisse. Id tamen constat praesertim ex ignoti auctoris libro anno 1589. conscripto (Noticia do Brazil. cap. 121.) pediculos europaeos a primis peregrinatoribus in Brasilia paucissimos fuisse repertos, aliosque, qui *Pediculo pubis* comparantur, paucos tantum in Indorum lectulis pensilibus provenire. Cl. Martius hanc immunditiem inter Indos rusticos raro obtinere nobis auctor est; colonos vero europaeae originis eos tamquam pigritiae et sobolem et pignus secum traxisse, et ita quasi excolere, ut haud raro mater unam filiarum aegrius a se dimitteret in matrimonium eo consilio, ne senescenti deesset, quae pediculos legendo luderet. Species caeterum *Mallophagorum* (cl. Nitzschii) tam homines quam bestias in America meridionali habitantes hucusque omnino non expositae sunt.

ARACHNIDA.

Hemisphaerii occidentalis pars tropica horum animalculorum multa procreat tam magnitudine quam formarum monstresitate aut morum ferocitate maxime memorabilia. Pleraeque species *Mygales* easque maximae ibi hospitantur, quarum nonnullae jam primis peregrinatoribus innotuerunt. Araneae in lingua brasilica in genere *Nhamdù* aut *Nhandù* vocantur. Araneae grandes hirsutae, *Mygales* generis, *Nhamdù-guaçu*, id est *Araneae magnae*, dicuntur. Piso quod ad *M. Blondii Latr.* attinet, speciem vulgatissimam et per totam Amer. mer. calidiorem dispersam, memorat: „Aversis clunibus copulatur, et venerem absolvit. Ova sub ventre portat. Pili venenosi cutem humanam, sicut Erucae pili urunt. Irritatus venenatum aculeum infigit, ita tenuem, ut vix conspici possit. Hinc tumor lividus, non sine cruciatu multoque dolore exsurgit. Nonnunquam ratione partis percussae et symptomatum supervenientium malum adeo exasperatur, ut incurabile reddatur, omnibusque remediis

applicatis prorsus refragetur. (l. c. p. 284.) Eandem speciem Barrère indicat, eam in rupium fissuris degere, saepiusque pedibus extensis pollices 7 — 8 metiri dicit. Morsus, inquit, lethargiam aut lipothymiam immo mortem affert, nisi citissime remedia adhibeantur; membrum vulneratum rigescit, livescit, intumescit. (l. c. p. 192.) Cl. Spix et Martius in homine a *Mygale Blondii* morso nec dolores nec aliud morbi symptoma observavere, quamvis illa ubique veneni causa diffamata sit. Sine dubio et animalculi hominisque conditio et anni vicissitudo veneni vim et morbi naturam mutant. (R. vol. I. pag. 192.) Cl. Pohl et Kollar testibus inflammatio febri complicata, morsu venenato *Mygales Blondii* concitata oleo inuncto sanatur. Speciem hanc sub lapidibus, ligno putrido vivere et cubilia peregrinatorum sub dio libenter frequentare dicunt (l. c. p. 4. f. 1.). Multa singularia, quae observatores prisciores de Mygales speciebus grandibus enarrant, frequenter recentiores confirmant. De illarum vitae ratione et mira ferocitate conf. Mem. du Mus. d'hist. nat. vol. 8. p. 456. *(Mygale avicularia)* et Dict. class. d'hist. nat. voce *Mygale*. Cl. Langsdorff mea opinione perperam negat, *M. avicularem* aves parvas apprehendere, et devorare, addens, eam insectis solummodo victitare. (Reise um d. Welt I. 63.) Observatores recentissimi, prisciorem indicia repetentes, non tantum avibus, sed etiam reptilibus minoribus, praesertim Sauriis ex Anolis genere, nutriri asserunt. — *Araneus secundus* Pisonis (l. c. p. 285.) verosimiliter *Thomiso* aut *Micrommatae* adscribendus est. Haec species, inquit, magnitudine nostrates longe superat, sed praecedente *(M. Blondii)* multo minor est. Cum in aedibus frequenter reperiatur, multoque veneno turgeat, sedulo a venenato illo liquore cavendum, cum non multo minora symptomata adferat, quam prioris magni. Species tertia, quam depinxit, *Epeiram mammatam Fabr.* refert. — De Araneis commemorat Dobrizhofer: „Araneorum (Quaraniis *Nandù*, Abiponibus *Aualinì*) species figuraeque variae ubique locorum se offerunt. Per parietes passim repentes videas, qui corpus tabulae instar complanatum habent, et a Quaraniis *Nandupè*, ab Hispanis *Arannas chatas* appellantur. (An *Senelopis* spec.?) Abundant veneno. Cane pejus et angue fugiendi aranei praegrandes, quos Hispani *Arannas peludas*, id est *hirsutas*, Quaranii *Nanduguazu*, *grandes* appellant. Crura pedum manuumque officio funguntur. Irritati mordent obvios. Aranei virus, humanis corporibus ingestum, non periculosum modo, sed et lethale experti sumus. Remedia ad serpentinum vulnus persanandum opportuna pluribus ab araneo grandi ictis vix demum vitam servarunt. (l. c. p. 338.) — Cl. Azara in Paraquaria ultra gradum 32 lat. aust. araneam observavit, quae indumenta sphaerica pollicem diametro metientia aurantiaca conficit, quae nentur et colorem conservant. Netrices negotio illo indulgentes lacrymas effundunt. Cl. Walkenaer hanc speciem *Epeirae* adscribendam putat. — Species altera noctu ad labia dormientium se figens sanguinem sugit, pustulam relinquit. — Alia per Paraquariam in societates congregata degit, quod in his animalibus rarissimum. Corpore magnitudine ciceris nigrescit. Nidum pilei magnitudine arbori aut tegulis affigit, ab inferiore latere apertum, sursum vero tectum. E nido quaquaversus fila nectit 50 aut 60 pedes longa, alba, crassiuscula, se transversim decussantia. Individuum quodvis in rete communi omnia capit, quod arripere potest. Autumno perit, sed ovula in nido relinquit, quae vere proximo excluduntur. Cl. Walkenaer hanc speciem pro *Theridione* habet. (Az. Voy. vol. I. p. 212. seq). — Cl. Pöppig in Peruvia orientali araneam quandam venenatissimam observavit, copiose in tuguriis sese abscondentem, sed tela non construentem. Pariter ac serpens venenatus *Flamon* dictus timetur, et pueris ictu fere mortem affert. Pro remediis Tagetis quadam specie et sublimato corrosivo inungendo utuntur. Magnitudine *Mygalem Blondii* aequat, sed glabra est. (Fror. Notiz. vol. 31. p. 328. Verosimiliter *Phoneutriae*, quod constitui, generi adnumeranda.) — *Acrosomata* eleganter ornata et *Phalangia* formarum mira varietate praesertim in regione deserta Prov. Minarum hospitantur, ibique supra frutices, corticem truncorum et muros desertos occurrunt. (Spix et Mart. R. II. 523.) Multa *Phalangia*, mirificam formarum varietatem exhibentia in Delectu e parte depicta in opacis et frigidiusculis fornicibus aquaeductus prope Sebastianopolin reperta sunt. (ibid. I. 139.)

Quod ad *Scorpiones* attinet, hanc terrificam pestem et America meridionalis nutrit, attamen in illa plaga nec tantae molis sunt, nec tam venenati quam in hemisphaerii orientalis terris calidioribus. Barrère duas species memorat *Scorpionem cinereum* et *vulgarem (americanum Linn.)* et *S. nigricantem*, qui praecedente veneno magis turget, et ictu dolorem acutum, febri comitatum causat. (l. c. p. 207.) Dobrizhofer narrat, „*Scorpios*, Hispanis *Alacranes*, Quaraniis *Yapeuza* (quod nomen et Scolopendrae), Abiponibus *Kapalka itailatè*, Scolopendrae matres, ab europaeis figura nil differe, veneno tamen esse mitiori, faciliorique curatu dicunt. In Paraquaria Scorpios rarissimos existere opinor, cum plerisque provinciae angulis peragratis per duo decennia nullum usquam viderim, neminem unquam ab illis laesum, intellexerim.“ — *S. americanus Linn.* testibus Pohl et Kollar a Brasilianis *Jaaciaüra* vocatur, et sub corticibus, lapidibus, ligno putrido, saepius in domibus degit. In museo imperiali Vin-

dobonensi tres species conservari dicunt, Americae meridionali indigenas. (l. c. p. 6. f. 3.) Cl. Spix et Martius observant, haud rarissime Scorpionis ictum mortem intulisse, praecipue in regione Provinciae Minarum Sertão dicta, qua omnia animalia, etiam scolopendrae et araneae, subtiliore veneno turgeant. (R. II. 524.) Item, in diversis regionibus eadem animalia veneno pollere nunc mitiore nunc acutiore, cl. de Humboldt auctor est, tradens *Scorpionem* quendam, prope Cumanam occurrentem, ardue distinguendum esse ab illo, qui insulas St. Trinitatis, Jamaicam et terram continentem prope Guayaquil et Cartagena la nueva habitat; attamen priorem *S. europaeo* vix esse terribiliorem, alterum vero periculosissimum, veneni effectu *S. (Butho) occitano* comparandum. Si in urbibus Cartagena la nueva et Guayaquil quisquis a scorpione compungitur, statim vox deficit, rigorque linguae saepius per horas 12 aut 15 observatur. (R. edit. germ. vol. 4. p. 97.) De *Thelyphono proscorpione Latr.* cl. Pohl et Kollar memorant, cl. Natterer in Brasilia unicum exemplum in regione Sertão de Cuyabá dicta invenisse. Orificia veneno educendo accomodata nec palpis, nec mandibulis instructa inventa esse. (l. c. p. 6. f. 2.) — *Thelyphoni* pariter ac *Phryni* ab colonis et aethiopibus veneni causa valde timentur.

Inter molestissima peregrinatoribus animalcula *Ixodes* referendi qui maxima copia passim apparent et tormentum maximum inferunt. (Horum Barrère mentionem fecit l. c. p. 201., Piso l. c. p. 289, nomine *Jatebucú*. Perniciosa, inquit Dobrizhofer l. c. p. 370. seq., inter insecta haud infimum locum meretur bestiola, quae ab Hispanis *Garrapata*, a Quaraniis *Yatebú*, ab Abiponibus *Coërél* appellatur. Garrapata (seu ricinus) paraquariensis lentem magnitudine aequat, interdum superat. — Dum ex quacunque corporis regione sanguem rostro sorbet, pruriginem ciet, ardoremque permolestum, quem tumor sequitur, ac sanies quatriduum saepe, saepe diutius manatura. Ulcus vero vix duas intra hebdomades persanabitur. Campi et prae campis sylvae ab hoc et homini et bestiis infesto insecto insidentur. — Tormentum, quod *Carabatos* inferunt, cl. Spix et Martius locis pluribus describunt. Per millia supra frutices et graminum culmos subaridos agglomerati motu levissimo in hominem transeunt, et citissime per vestimenta in omne corpus diffusi, pruritum intolerabilem, inflammationes, immo glandularum, praesertim inguinalium, tumores et nervorum ad systema genitale pertinentium morbosum erethismum causant. Fumigationibus et lotionibus cum lixivia, decocto herbae Nicotianae et spiritu vini delentur. (R. I. 173. 296. II. 457. 458. III. 950.) In Brasilia, nobis auctore cl. Martio, prae aliis terris mediterraneae Provinciae: Minas Geraës, Bahia, Goyaz, Pernambuco hac invisa peste laborant; S. Pauli provincia, praesertim quà Austrum spectat, ea immunis est; in provinciis septentrionalibus Ixodis locum saepe tenet alia bestiola incolis *Mucuim* dicta, de quo loco nobis sermo erit. — Cl. Pöppig in Provincia Maynas tres Ixodes species, *Garrapatas* seu *pedes ungulatos* ibi dictas observavit. (Fror. Not. vol. 33. p. 103.) Eo teste in Peruvia et prope Egam in Brasilia tormentum fere intolerabile afferunt. Regnum chilense et Andium peruviensium regiones maxime elevatae felix sunt Americae tractus, in quo *Garrapatas* aut omnino desunt, aut eae solummodo species occurrunt, quae ab homine abhorrent ovibusque tantum insident. Insulae Indiae occidentalis, et Bonaria ab illis valde infestantur. (l. c. vol. 35. p. 119.) — Cl. Pohl et Kollar duas hujus generis species descripserunt et iconibus illustrarunt: *I. americanum Linn.* l. c. p. 10. f. 6. et *I. crenatum Koll.* pag. 11. f. 7. —

Erythraei aut *Trombidii* species quaedam, *Mucuim* vocata, in graminibus vegetis degens, cupide cutem petit, qua punctulum fere inconspicuum coccineum refert. Rostrum longum infigit, et pruritum intolerabilem concitat. Lotionibus spiritus vini deletur. (Spix et Mart. R. III. 950. 1005.) Praesertim in regione paraënsi copiosa, in Brasilia australi rarior occurrit, et ibi ori et palpebris mulorum sese adfigit. — Eandem speciem, prope Egam copiosissimam et imprimis hominem aggredientem memorat cl. Pöppig. In Provincia Maynas *Isanco* vocatur. (l. c. vol. 35. pag. 119.) Species affinis aut eadem in sinu hondurensi provenit, et in litore, quod a *Mosquitos* nomen gerit, ibique *Doctor* nominatur. In insula Martinica animalculum praecedentibus affine progignitur, quod *Bête rouge* dicitur, et ulcera saepius tam periculosa causat, ut membra amputare necesse sit. (Kby l. c. vol. 1. p. 113.) Animalcula ab Hispanis *Aradores* dicta, quae cl. Humboldt memorat, (R. edit. germ. vol. 1. p. 212.) sine dubio praecedentibus affinia, certo Acaridibus adscribenda. Molestissima sunt, dum praecipue digitorum articulis et manus dorso sese infigunt. Ea infuso foliorum fruticis cujusdam *Uzao* dicti, verosimiliter Siliquosarum familiae adscribendi, delere Indorum mos est. — In Paraquaria homines nonnunquam morbo laborant, quasi scabiei simili, dum cutis singula pustula insectum albidum pulicis magnitudine procreat, quo, feminarum industria acu extracto aeger convalescit. Cl. Azara, qui hujus rei nobis auctor est, notat, insectum non coitu propagari, sed e humorum morbosa mixtione procreari videri. (l. c. p. 217. seq.) — Ulloa refert, Acarum coccineum in regione Popayan

tumores magnos immo mortem causare, si in cute obteritur. Indi aegrum primo morbi signo supra ignem ventillant, e stramento aut gramine factum. (Kby l. c. vol. 1. pag. 143. Conf. Hist. gener. des voy. Par. vol. XIII. 1756. pag. 374. de hoc Acaro, *Coya* aut *Coyaba* dicto.) — *Trombidium tinctorium Linn.* Surinami ad tingendum adhiberi dicitur. (Kby. l. c. p. 358.)

MYRIAPODA.

Scolopendras et *Julos* Piso nomine *Yapuruca* comprehendit, memorans, priores summopere esse venenatos (l. c. p. 286.) „*Scolopendra*, inquit Dobrizhofer, Hispanis *Cientopies*, Quaraniis *Yapeuzá*, Abiponibus *Kapalkatai*, corpus habet teres ac cylindricum, spithamam longum, geminum viri pollicem latum, cortice duriusculo, qui ad cartilagineum accedit, cinerei coloris tegitur, a capite ad caudam pedibus scatet. (Bonus vir hic *Julum maximum Linn.* describit, dum sequentia in Scolopendrae speciem magnam quadrant.) Virus serpentino propemodum par alit, morsuque suo ut doloris, sic periculi multum creat. Post annos 18 jam in Paraquaria exactos vidi denique et sensi solo mihi nomine prius notam bestiam. Indi hanc pestem per domos, per campos, ac fluminum ripas a se saepe videri, semper ob veneni perniciem reformidari uno omnes ore fatebantur.“ *Scolopendra morsitans Linn.*, testibus Pohl et Kollar, Lusitanis *Craja*, Brasiliensibus *Japuruca*, (*Lithobii* nostri instar,) in terra, sub corticibus, ligno putrido, saepius in domibus occurrit, et a gentibus quibusdam barbaris comeditur. Si mordet, e rimula ad marginem mandibularum superiorem venenum effluit, quod ictus Scorpionis instar inflammationem vehementem et dolores acerbos concitat; vulnus iisdem remediis ac Scorpionum, nempe oleo inunguendo et cataplasmatibus e luto humido confectis sanatur. (l. c. p. 7. f. 4.). — In Peruvia occidentali Scorpiones et Scolopendrae non cognosci cl. Pöppig asserit. (l. c. vol. 31. pag. 328.)

CRUSTACEA.

Cl. Spix et Martius in sylvulis coenosis *Rhizophorae Mangles* ad ostium fluminum praeter *Cancrum Uçam* et alios etiam Cancrum marinum, quem *Camarão* dicunt, (*Palaemonem Guaricurú Fabr.*) invenerunt, qui ab incolis ob saporem amoenum crebro comeditur. (R. II. 689.) — Piso nomine *Guiamaiaçu* pisces plures venenatos memorat, quorum tutum antidotum Cancri nonnulli, *Grapsi* generi adscribendi, *Aratú* Brasiliensibus dicti praebent. Illi ad fluviorum ostia limosa, in arborum truncis latitant, ubi Ostreis et Mytilis insidiantur. Ex his unus contusus, et e vino citra moram assumto veneno, nam ante horas quinque aut sex lethum saepe infert, propinatus, per vomitum virus exturbat. (l. c. p. 299.) Idem autor varias species comestibiles memorat copia maxima ad litora occurrentes, quae usui quotidiano omnibus maris accolis sunt; e. g. *Guáia-Guaçú*, *Guáia-Apará*, *Cirí*, *Uça-Una*, *Cunurú*, *Maracoani*, *Guanhúmi*, *Potiquiquiya*. (l. c. p. 75. seq.) *Cancer Uça*, ruricola, comestibilis, in agmina numerosa congregatus prope Sebastianopolin et alibi in maritimis degit. Arenae vadorum foveolas infodit, indeque, dum maris recessu litora siccescunt, exit, victus quaerendi causa. (Spix et Mart. R. I. 138.) Reliqua, quae autores de Crustaceorum americanorum vitae ratione et moribus tradiderunt heic omittimus et ad Herbstii libros benevolum lectorem amandamus.

CURAE POSTERIORES.

Plagulis praecedentibus jam typis expressis commentarios accepimus, qui dicuntur: Nouvelles Annales du muséum d'histoire naturelle, tom. II. Livr. I. Juin 1833. Paris. ibique invenimus (p. 35. seq.) novas cl. Lacordarii observationes, in insecta Guyanae gallicae, quarum nonnullas prae ceteris memorabiles eligimus, quae cum aliis vel iterato studio e diversis autoribus depromtis vel antea oblitis uncis inclusis addere instituti nostri ratio suadere, immo postulare videbatur. Guyana franco-gallica, teste cl. Lacordario, tam insectorum numero et splendore quam individuorum multitudine a Brasilia longe superatur. Diligens ille autor ibidem tres *Megacephalae* species observavit, omnes in terra degentes. *M. chalybea Lac.* in canalibus ab Ateuchis et Copridibus excavatis sese abscondit. (Multa insecta in provincia Maynas temporum anni vice in vitam excitata, agminibus innumerabilibus subito apparere cl. Pöppig auctor est. Species speciem sequitur et omnes brevissimo temporis spatio evanescunt. Vespere sereno in fluvii ripa densa examina *Megacephalae* aut *Cicindelae* cujusdam provenerunt, quae in plateis pagi subsidentia omnes herbas inanes et inexstirpabiles devorabant. *Solanum mammosum Lin.*, plantam virulentam, aliis praeferebant. *Solanum Balbisii H. B. K.* quod spinosissimum est, invite et tantum fame coactae

aggrediebantur. Cimex quidam minutus, eas persequens, sub abdominis segmentis rostrum infigebat, et tanta copia saepius iis adhaerebat, ut quominus volarent eas impediret. Hebdomadibus duobus elapsis, coleopteri illius nigri, unicoloris exemplum nullum inveniendum. Pöppig in Fror. Notiz. vol. 33. pag. 98. Observatio allegata, si omni dubio absoluta, tantum mirabilior, quod Coleopteron carnivorum plantis nutritum fuisse dicatur.) *Agra*, *Calleida*, *Lebia, Coptodera*, *Helluo*, *Brachinus* in Guyana speciebus e parte peculiaribus pollent; *Cymindes* pluribus superbit speciebus, dum in Brasilia hucusque nulla reperta sit. *Ctenodactyla Lacordarii* et *obscura Dej.* in societates congregatae supra plantam aquaticam e Pontederiarum familia hospitantur.*) *Scaritis* et *Clivinae* tantum paucae occurrunt; *Camptodontus* novam praebuit. *Ozaena granulata* et *Lacordarii Dej.* Brachinorum more crepitare solent. *Morionis* species duae ibidem observatae. *Calosoma alternans*, inde ab insulis antillanis usque ad Brasiliam australem proveniens etiam in Guyana occurrit. *Chlaenii*, generis per Brasiliam pluribus speciebus superbientis, tantum unica hucusque in Guyana reperta, *Ch. gibbosus Dej.* Praeter *Drimistoma laevigatum Dej.* et *Feroniam cayennensem Dej.* nulla species e Feroniarum tribu hucusque in Guyana inventa est; Brasilia vero non paucas huic tribui adnumerandas progignit; contra *Amblygnathi, Selenophori* et *Hypolithi* speciebus pluribus gaudent. *Tetragonoderi* hucusque tres reperti. E *Subulipalpium* tribu nonnulli *Lachnophori* et *Bembidia* inveniuntur, qui moribus europaeorum indulgent. Carabicorum numero, quod mirum sane, Cayenna tam Brasiliam quam regnum chilense et Tucuman longe superat, praesertim plurimis, quas progignit, *Cicindeletarum* et *Truncatipennium* speciebus, cujusquidem phaenomeni causa forsan in eo posita est, quod Cajenna fontibus fluviisque plurimis irrigua est vastissimisque saltubus frondescit; attamen *Hydrocanthari*, qui in tota America meridionali paucissimi et rari, in Guyana francogallica quoque tres solum species obtulerunt. *Staphylinii* speciebus pariter ac individuis pauperes. *St. variegatus Dej.*, *Paederus brasiliensis Dej.* Cayennae et Brasiliae communes. Cl. Lacordaire quatuor species *Zirophori*, generis structura et oeconomia quam maxime singularis, observavit, quarum una, *Z. longicornis Lac.*, cujus etiam larvam descripsit, *Piesti* generi mihi adscribenda videtur. *Osorii* genus Cayennae pariter ac Brasiliae indigenum. *Elateres* in Brasilia copiosissimi in Cayenna tam speciebus quam individuis rari videntur. Apparatus phosphoriferus *E. igniti*, *indistincti Dej.* et *phosphorei Fabr.* pariter ac in *E. noctiluco* constructus. (Haec structura, nec minus quam causa descrementi et incrementi lucis jam prius a cl. Spixio fere plane cognita est. Cfr. Reise II. p. 688. Elateres phosphoriferi, Lusitanis *Caca lume* seu *Lucerna*, Indis lingua tupinamba vero *Memoas* dicti, etiam ad Amazonum flumen copiosi, sed nulla regione tantus eorum numerus a cl. Spixio et Martio observatus est, quantus in sylvis regionis „Serra do Mar" in Provincia S. Pauli Novembri et Decembri mensibus, occurrebat. Ibi tanta copia provenire, ut splendore eorum fruticum et arborum figura cognosci posset. Reise III. p. 1115. Spectaculum, quod edunt, locis pluribus amoene descriptum est; conf. e. g. vol. III. pag. 1132. ubi autor de aliis quoque Brasiliae insectis luciferis tractat, praesertim Lampyrideis. — Elateres phosphoriferi maximi in Caraiborum lingua nominati fuerunt: *Cógouyou*, unde Hispani vocabulum *cucujo*, et Zoologi *Cucujus*, in insectum diversissimum inepte translatum, formarunt; medii *Alikétie*, minimi seu *Lampyrides Bíyé*. Vid. Breton, Diction. caraib. franc. pag. 59. 83. Indi in insula haitina habitantes ex insectis *Cógouyou* vocatis collaria confecerunt; duces iter facientes Cucujos in capite fixerunt, ut ab omnibus cerni possent; in choreis solemnibus nocturnis eorum materia lucente corpus illinivere. Conf. Oviedo Hist. de las Indias, lib. 11. cap. 8. Cucuji in insula illa praesertim tempore anni calidissimo pluvio apparent, et vix per dies octo vivi conservari possunt. — Piso Elateres lucentes et Lampyrides nomine *Memoá* memorat. (l. c. 291. seq.) Rochefort (Hist. des antilles cap. 14. art. 2. *Mouches lumineuses* appellat. Barrére Elateres phosphoriferos in Cayenna habitantes nomine *Poque*, *mouche à feu* memorat. Ess. sur l'hist. nat. de la Franc. équin. p. 207. Spectaculum quod praebent in Paraquaria, eleganter describit Dobrizhofer: „Quam multiplex Cicindelarum diversitas noctu stellarum instar passim collucentium! Aliae bruchi magnitudine alarum jactatione, aliae solis ex oculis lucem vibrant, quae libro legendo sufficiat. Quaedam solis natibus splendorem edunt. Vermes quidam majusculi toto corpore corruscant. Ligna, arundines, arborum folia, plantarum radices, postquam computruere, in territoriis maxime humidis adamantum, pyroporum, smaragdorum, chrysolithorum, rubinorum more lucem viridem, rubram, flavam, coeruleam noctu spargunt, mirumque in modum

---

*) Cl. Lacordaire existimat, has species unicas in Carabicorum familia esse, quae supra plantas degerent. *Lebia cyanocephala Fabr.* vero saepius eandem exhibet habitationem, et varietas insignis hujus speciei prope [illegible] supra *Hypericum perforatum Linn.* multis individuis proveniens observata est.

oculos oblectant. (l. c. p. 389.) — Cl. Azara in Paraquaria duas tantum species Coleopterorum lucentium observavit: unam minorem, locis humidis valde communem, verosimiliter Lampyridibus adscribendam; alteram multo rariorem, quam *Mud* (voce e *Memoá* contracta) vocant, qua quidem *Elater noctilucus* aut species affinis intelligenda. Conf. Voy. d. l'Am. mer. vol. 1. p. 211.) — Brasilia et Cayenna paene parem *Buprestidum* numerum offerunt, quamvis species grandes in regione superiore copiosiores; *B. gigantea Fabr.* vero utrique tractui communis. (Huic speciei sine dubio adscribendus est: „*Scarabaeus maximus*, *elegantissimus*, *splendens*" Barrère l. c. Indi brasilienses et guyanenses elytris hujus insecti se ornant; praesertim feminae collaria et crepitacula ex iis conficiunt, quibus diebus solemnibus et delectationi deditis superbiant.) Reliqua Serricornium genera, *Ptilodactylum* si excipias, in Cayenna magna e parte desunt, aut rarissima occurrunt. *Malacodermata* in Guyana et Brasilia speciebus fere paria, — sed individua in Brasilia tam numero, quam corporis statura excellunt. *Telephori* tantum quatuor species minutae in Guyana hucusque repertae sunt. E *Teredylium* tribu in Cayenna hospitantur *Hylecoetus*, cujus novam speciem *H. Bombacis* cl. Lacordaire tantum in *Bombace Ceiba* invenit, *Cleri* plures species, *Rhysodes* nov. spec., *Notoxus*. *Necrophaga* etiam in Cayenna rarissima et paucissima; pariter ac in reliquis Americae meridionalis partibus *Silpham*, *Catopem*, *Dermestem* in Guyana frustra quaeras. In floribus *Anacardii occidentalis* et *Hibisci populnei* sex species *Strongyli* generis degunt, dum *Scaphidium* 8-*punctatum Lac. nov. spec.* in ligno mortuo prope *Oyapock* hospitatur, ubi insectorum fauna brasiliensi valde similis extat. *Engis* species raro occurrentes in fungis vivunt, et metamorphoses ibi subeunt; tactae pedes attrahunt, et mortem simulant; odorem specialem exhalant, fere ac in Helope et Allecula observatur. *Tryponaei*, quibus Brasilia excellit, in Guyana non inventi. *Histeri* et *Hololeptae* ibidem occurrentes in arborum vulneribus, aut palmis, musis putridis, et sub earum cortice degunt. *Hydrophili* quinque species et omnes minoris staturae in Guyana obssrvatae sunt. *Sphaeridii* intra circulos tropicos antea non inventi species una in Cayenna a cl. Lacordaire observata, morum ratione ab europaeis differens, sub corticibus demortuis vivit, et in canalibus ab Enopliis, Apatibus aliisque insectis similis generis constructis se abscondit. — *Coprobios* Cayenna multos procreat, brasiliensium more in arborum vulneribus aut supra folia degentes, quamvis vero larvae omnes in animalium excrementis hospitantur. *Coprides* ibi plures novi et insignes observati sunt; in genere vero a brasiliensibus amplitudine superantur, dum contra Guyana *Phanaeos* maximos et splendidissimos progignit. Hi praesertim sylvas amant, et excrementa *Tapiri americani* reliquis praeferunt. Vulgatissimus ibi occurrit *Ph. mimas Fabr.*, qui prata potius quam sylvas frequentat. (Cl. Azara in Paraquaria nullos Scarabaeos pilulas conficientes invenit; olfactus vero eorum subtilis mentionem fecit, cujus ope excrementa et cadavera valde remota invenire possunt. Scarabaeum magnum, verosimiliter *Phanaei* speciem, observavit qui musculi cadaver inter domus lateres sepeliebat, illud capite prae se trudens, et sine dubio ova imponebat. (l. c. p. 210.) — Multi *Phanaei* et *Coprides* grandes, qui profunde in terra degunt, a cl. Spixio et Martio prope Ypanemam Prov. St. Pauli, in campis innumero pecudum grege depastis, inventi sunt. (Reise vol. I. p. 279.) *Onthophagi* quatuor, *Eurysterni* duo, *Aphodius* unicus in Guyana hucusque collecti. *Athyreus juvencus Dej.* in sabulosis regionis Macouriae hospitans, in excrementis habitat; *Globaria Dejeanii Lac.* sub cortice humida in sylvis prope Conanam inventa est. Hoc genus, quod cl. Latreille Hydrophiliis affine existimat, a cl. Lacordaire Lamellicornibus adscribitur. *Trox suberosus Fabr.*, unicus sui generis in Guyana observatus, fere per totam Americam meridionalem dispersus. *Scarabaeus Actaeon Fabr.* in Cayenna sat rarus supra terram in pratis ibi Savanas dictis currit, aut in primis sylvis noctu imminente tarde volat. *Sc. claviger* versus Surinami fines saepius invenitur. *Sc. Chorinaeus*, *Aloeus*, *bilobus* valde vulgares sunt; species minores, lumine attractae vespere in cubicula penetrant. Cl. Lacordaire putat, larvas omnium Scarabaeorum non in truncis, sed more Melolontharum, in terra ad arborum radices vivere, iisque vesci. Imago in canali se abscondit, e quo metamorphoseos stadio ultimo elapso provenerat, aut novum sibi cavat, ibique hospitatur. Saepius in societatem degunt numerosam congregati. *Lamellicornia phytophaga*, quibus Brasilia ubique pollet, in Guyana nec generibus, nec speciebus, nec individuis abundant, si nonnulla excipias, quae maxima saepe copia supra Mimosae cujusdam flores augusto et septembri mensibus hospitantur: e. g. *Rutela histrio*, *lineola*, *Macraspis chrysis*, *prasina*. Etiam *Lucanidibus* Brasilia longe praecellit. *Lucanus* et *Chalcimon* in Guyana hucusque non observati sunt. (*Chalcimon Spixii Pty.*, cujus patriam in Delectu non indicavi, a cl. Spixio et Martio prope vicum S. Roque dictum Prov. St. Pauli inventus est. (Reise vol. I. pag. 249.) *Passali* species fere omnes Guyanae et Brasiliae communes. *Melasomata* tantum paucissima Gujanae in sylvis profundis et magna anni parte inundatis inveniuntur. *Opa*-

trini, Blapstini et *Phylaces* nonnulli in Cayenna etiamque in insulis Antillanis inveniuntur. His generibus Brasilia omnino caret. *Cryptici* nonnulli novi in Guyana observati sunt; *Opatrum rotundatum Dej.* ad pratorum margines sabulosos prope Kourou vulgatissimum est. *Tenebriones* grandes, in Guyana habitantes, victu cultuque brasilienses omnino adaequant. *Upis Lacordarii Dej.* in sylvis prope Orapu Guyanae inventa, maxima sui generis hucusque cognita est. *Diaperidum* numero Guyana Brasiliam superat. Species gregatim in fungis siccis, friabilibus inveniuntur, et statura sicuti moribus duplicem seriem videntur constituere. *Ulomatis* et *Nilionis* species in Brasilia et Guyana quoad numerum et mores fere pares; dum contra *Prosteni*, *Alleculae*, *Campsiae*, *Helopes* et *Stenochiae* brasilienses colorum splendore, formarum varietate et specierum multitudine longe eos superant. *Oedemerae* in America meridionali ubique rarae cl. Lacordaire in Guyana quatuor species observavit. *Ripiphori* et *Mordellae* ibi nonnullae proveniunt. *Nemognathus* tantum unus inventus est, pariter ac *Cantharis lineolata*, quae solitaria degit, et odorem haud ita vehementem exhalat, unica sui generis Guyanae est indigena. *Horia maculata Fabr.* nidis *Xylocopae Teredinis* Lansd. Guild. nutritur. Forsan dum larva cibum apibus praeparatum avide consumit, hospes fame perit. Mox matura verosimiliter proprium nidum excavat, introitum claudit, et metamorphosin subit. Imago mensibus Jun. Jul. Dec. Febr. obvia, larva pupaque Mart. et Febr.; Lansdown Guilding in Linn. Transact. vol. 14. p. 316. tab. 8.) — Etiam Tetrameris, quae omnia vegetabilibus nutriuntur, Guyana quamvis luxuriosa vegetatione frondescat, a Brasilia superatur. *Bruchi* guyanenses, e. g. *grandis*, *priocerus* statura grandi insignes sunt. In cortice baccarum Theobromae Cacao species nova hujus generis observata. *Attelabus longimanus Dej.* structura singulari inter congeneres insignis, supra folia prope Kourou hospitatur. *Camarotus Schönh.*, in dispositione Curculionidum methodica non enumeratus, generi praecedenti affinis est, sed ab omnibus hujus familiae generibus corpore orbiculari convexiusculo, capite in thorace emarginato inserto, rostro brevi, obtuso differt. Cl. Lacordaire unam tantum speciem observavit, quae foliis se applicat, excrescentiam parvam in illis simulans, et efflorescentia copiosa obtegitur, quae detrita mox renovatur. *) *Anthribi* speciebus e parte magnis superbiunt, dum *Brenthorum*, qui in Brasilia copiosissimi, in Guyana tam specierum quam individuorum pauca tantum exstant. Species plures hujus generis illic supra flores versantur, dum brasilienses sub corticibus degunt. — *Taphroderis* species una, duae *Uloceri* in Guyana hucusque repertae sunt. *Rhinotia*, qua Brasilia gaudet, Guyana caret. *Rhigi* et *Cyphi*, in Brasilia speciebus plurimis pollentes, in Guyana valde rari. (Cl. Lacordaire *Entimi* genus tam insigne in Guyana non invenisse videtur. Cl. Spix et Martius memorant, *E. imperialem Fabr.* praeter alia loca copiosissime in regione Sertão dicta, Prov. Minar. inveniri. Reise II. p. 523. *Leptocerus capucinus Pty.* praeter locum in Delectu indicatum a celeberr. peregrinatoribus etiam in tractu, ubi adamantes inveniuntur, prope Tejuco in fruticibus semi-desiccatis magna copia lectus et *Aesopus thoracicus* vocatus est. Reise II. pag. 453.) *Heilipi* species multae ast individua pauca occurrunt, si excipias *H. apiatum*, qui in peninsula Cayenna frequens, resinam fragrantem *Vouapae bifoliae Aubl.* amat. Cl. Lacordaire *Erodiscum* Guyanae proprium existimat, sed ipse quidem speciem vidi, quae ad trabem ligneum domus urbis Sebastianopoleos lecta fuit. Rostrum hujus generis eximii enormis est longitudinis. Tres species in Guyana observatae sunt, supra plantas aquaticas degentes. *Cholides* et *Cryptorhynchides* quoad numerum et mores brasiliensibus conveniunt. *Calandracidae* speciebus uberrimae palmas inhabitant, et Maripá, quae olus in Cayenna prae aliarum palmarum gratum largitur, reliquis antehabent. (*Calandrae palmarum Linn.* larva et in genere omnibus coleopterorum grandium larvis Indi per totam Americam meridionalem vescuntur. Bona Merian Calandrae larvam depingens enarrat, frixam ab incolis Surinami in cupediis haberi. (Ins. Surin. 48.) In insulis Indiae occidentalis haec larva *Grugru* nominatur; sunt etiam Europaei, qui ejus saporem celebrant. Kby. Intr. to Ent. Vers. germ. I. p. 332. Pöppig illius moris, cui Indi chilen-

*) Species tres novi generis Curculionidum in mus. Leuchtenberg. observavi structurae et formae singularis, quod ad *Orthoceratorum* divisionem pertinet, et characteres essentiales sequentes exhibet: *Antennae* rostri longitudine, ad ejus basin insertae, rectae, moniliformes, 11-articulatae: articulis duobus ultimis capitulum efformantibus. *Rostrum* thorace parum brevius, subcylindricum, rectum, ad apicem vix angustatum, canaliculo antennali brevi, oculos attingente. *Thorax* abdominis latitudine, quadratus, antice excisus, angulis anticis porrectis, acutis. Pedes longitudinis et validitatis mediae, femoribus et tibiis muticis, tarsis omnibus distincte 4-articulatis, articulo tertio bilobo. *Scutellum* minutum, semicirculare. *Elytra* thorace duplo longiora, parum convexa, pygidium totum obtegentia. Huic generi eximio nomen *Eugonius* (ob thoracis angulos) impono. *E. rufus Pty.* decembri rarissime in fruticibus Piperaceis reperitur. *E. bicolor* et *minutus Pty.* februario in spathis plantae cujusdam ex Aroidearum familia hospitantur.

ses indulgent, mentionem fert in Fror. Notiz. f. Nat. u. Heilk. vol. 33. pag. 99. *Prioni damicornis Fabr.* larva, quae digitum crassitudine et longitudine adaequat, in colonia Surinam et per Indiam occidentalem tam ab Europaeis quam Africanis comeditur, qui eam exenterant, lavant et pro cupediis habent. Mer. Ins. Surin. 21. Dm. Hall cl. Kirby autor fuit, hanc larvam in Jamaica *Macauco* dictam in usum divitum et nobilium quaeri. *Prioni cervicornis* larva Linnaeo asseverante ejusdem pretii aestimatur. Kirby, l. c. p. 334.) *Prionus (Macrodontia) cervicornis* in Cayenna *mouche scieur de long* vocatur, ob singularem, quam offert consuetudinem. Fertur, insectum mandibulis suis longis et validis ramulum aliquem pollicis fere crassitudine arripere, eumque comprehensum tenens circumvolitare, dum perscissus sit. *Prioni* in genere rari in Guyana. *P. (Enoplocerus) armillatus*, qui a Fabricio et autoribus eum sequentibus Indiae orientalis indigena dicitur, cl. Lacordario affirmante Guyanam incolit. *Cossoni* guyanenes pariter ac reliqui sub corticibus degunt; species in illa regione duae novae repertae sunt, quae corpus maxime deplanatum Hololeptae offerunt. *Trogositae* in Brasilia valde communes, in Guyanae rarissimae exstant. *Camptoceri* generis singularis nova species ibi observata est, cl. Lacordario *C. terebrator* vocata. *Nemasomatis* intra circulos tropicos antea non inventi speciem unam eamque novam in Guyana cl. Lacordaire detexit. (Cl. Spix et Martius ad Amazonum flumen in oppidi Serpa vicinia *Bostrichorum* agmina observavere molestissima, quae exorto sole apparuerunt, postquam Culices *Carapanas* dicti se oculis subduxissent. Reise vol. 3. p. 1078.) *Cerambyx suturalis* prae omnibus elegans et vulgaris, *Mouche balata* dicitur, quia cupide succum ex arboro *Balata* emanantem quaerit; expeditus volatu, odorem rosarum vehementem spargit. *Cophonocerus barbicornis* succum *Hymenaeae Courbaril* praefert. *Acrocinus longimanus* in Guyana sat communis, ibique *Arlequin* seu *Mouche bagasse* vocatur, quia succum *Bagassae guyanensis Aubl.* prae aliis appetit. *Colobotheae* in Brasilia frequentes raro contra in Guyana occurrunt, *Lepturetae* omnino ibi desunt. *Megalopodes* ibi rarissimi solitarii, *Megascelides*, *Lemae*, *Cassidae*, *Gallerucae*, imprimis vero *Hispae* speciebus et individuis pollent. (*Himatidium 14-maculatum* Latr. Humb. Obs. Zool. p. 139. tab. 16. f. 6. et *H. semicirculare* Latr. ibidem pag. 141. tab. 15. f. 7. in Gramineis, praesertim *Andropogonis* speciebus, in campis prope Barcelonam vivunt.) *Halticae* guyanenses ab iis, quas Brasilia procreat, statura, numero et colorum splendore longe superantur. *Colaspides*, *Doryphorae*, *Chrysomelae*, *Chlamydes*, *Lamprosomata* in Brasilia excellunt, dum Cayenna *Erotylis* superbit. Nulla species hujus generis utrique regioni communis est inventa. Erotyli guyanenses omnibus vitae stadiis in fungis degunt, dum brasilienses frutices et folia amant. Eodem loco cl. Lacordaire larvam *E. surinamensis Fabr.* observavit. (*Erotylus zebra Fabr.* a cl. Humboldt supra gramina et flores compositos in valli Puembo prope Quito inventus est. (l. c. p. 168.) *Chlamys bolca Kby.* a cl. Spix et Martius prope Sebastianopolin inventa et nomine *Ch. crystallisatae* memorata est. Reise 1. p. 163. — Cl. Molina enarrante in regno chilensi collaria pulchra e Chrysomelinis et Curculionidibus aureo-splendidis conficiuntur. Similia ornamenta egregia cum arte Parisiis e Curculionidibus Brasiliae fabricata ipsi vidimus. *Chrysophora chrysochlora Latr.* Humb. Obs. Zool. p. 131. tab. 15. f. 1. Coleopteron eximium et splendidum in provincia Loxa regni Peruviensis supra novam arboream speciem *Buddlejae* generis, ubi in agmina congregata provenerat, collecta est. Insectum idem aut affine tempore recentiore e regno mexicano accepimus. *Languria nana Lac.* Guyanae propria videtur. *Coccinellae* quindecim, *Lycoperdinae* quatuor species inde tulit. Cl. Lacordaire novi *Pselaphiorum* generis inter omnia hucusque cognita magnitudine excellentis, *Chennio* proximi, duo exempla in sylva volantia collegit. In hemisphaerio occidentali haec tribus hucusque non reperta est.

De *Acrydiotis* seu Gryllis sequentes adhuc observationes cl. Azarae et Dobrizhofer annectimus. Eximius ille peregrinator enarrat, in Paraquaria multa Acrydiota inveniri; quoddam volans strepitum edere quasi tintinnabula parva pulsentur. Species quaedam devorat omnia, neque linteis, lana, pannis, serica, neque herbis et foliis parcit, si melones et aurantia excipias. Quod quidem insectum primis octobris diebus agminibus innumeralibus, quasi nubes referentibus, in Paraquaria advenit. Acrydiota transmigrantia non tantum damni inferunt, quantum, quae in regione ipsa gignuntur, si agmina congregata consederint. A locis ibi cultivatis paucis transmigrantes facile repelluntur. Si cohortes animalcul... alatorum regionem relinquunt, anno proximo Acrydiota nulla, aut modo pauca apparitura esse, coloni praesumunt, experientia edocti. Dum vero agmina illa in campo aprico subsidentes, ovipositore canales ibi excavant, et singulo ova quadraginta usque sexaginta imponunt; decembri mense Acrydia parva nigricantia, dense consociata excluduntur, quae incrementum capientia, in majorem campi superficiem diffusa, assidue herbam depascuntur, et exuviis mutatis, viridula, atro-maculata prodeunt. Ad februarii finem pelliculo iterum novo vestita clare brunnea apparent. Hoc vitae stadio, quo alae roborantur, saepius amplissimos terrae trac-

tus obtegunt, omnia comedunt, et tunc alis completis instructa in arbores adscendentes ibi per dies nonnullos immobilia permanent, cibumque nullum appetunt. Tandem nocte peregrinationi accomodata lucente luna agmen movent et omnia abeunt; incognitum tamen quorsum se vertant, regiones ad boream sitas petere verosimile est. Rarius Bonariam, frequenter Paraquariam infestant. Azar. l. c. p. 218. seq. — Frequentissima, dicit bonus Dobrizhofer, et propemodum annua Paraquariae calamitas sunt locustae (Abiponibus *Aorkai*) visu horridae, vastique corporis, nam medium digitum longitudine excedunt. Infinito earum agmine propinquante terrifica caligo ex ultimo horizonte erumpit, sol obnubitur, lux vel meridiana obscuratur, nubem atram, nimbo, turbine, fulminibus praegnantem imminere jurares. — Ubi consederint locustae, agros frugibus, arbores foliis, campum herbis, et quod inde consequitur, homines juxta ac bestias pabulo spoliant; soboles quam reliquunt, numerosissima stragem alterum in annum continuat, miseriasque auget. — Abipones malunt locustas vorare, quam demergere, vel cremare. Hinc illas advolantes, quotquot possunt, ex aëre humum deturbant virgulis longioribus, iisdem seu verubus affixas lento igne assant, vorantque eadem, quâ nos perdices, vel ficedulas aviditate, non promiscue tamen omnia, foemellas siquidem solas pro esca sibi deligunt, masculis rejectis. — Piso memorat (l. c. p. 285. seq.) magnam *Phasmatis*, ibi *Arumatiá* dicti speciem tremorem excitare in toto corpore, si hominem feriat aliquem, qui manibus eam premit. Dolorosus ille tremor sedatur facile radice *Rhizophorae Mangles* parti affectae applicata, tum quoque inunctione olei fructuum palmae *Urucurí* dictae. Illius Phasmatum proprietatis autorum recentiorum nullus mentionem facit, quare pro dubia habenda; forsan, e cl. Martii sententia, quae bonus Piso de insecti *Arumatiá* maligno ictu narrat ad Rajarum, piscium, historiam referenda sunt, oblivione autoris animalculo tributa, quod inter innocua nunc habetur. Bonus Piso multa fabulosa de Mantidis specie brasiliensi, *Guayara* dicta profert, quae eo affirmante in plantam ejusdem fere viriditatis et tenuitatis, duarum palmarum magnitudinis transformetur. (l. c. p. 316.) Jam Pigafettam, magno Magellani qui comes fuit, de folio quodam animato scripsisse constat, neque dubium Mantidem quandam esse intelligendam.

In provincia Maynas secundum fluvii Maragnon ripas sylvestres vel in solo paludoso multos *Termites* inveniri, aedificia maxima construentes, et animali *Pintumama* (Mymecophagae didactylae Linn., speciei sui generis minimae) nutrimento inservientes cl. Pöppig auctor est in Fror. Notiz. vol. 32. pag. 148. Piso (l. c. p. 291.) termites et formicas confundit. Alatas *Cupiá* apteras *Tapiai* nominari dicit. — De Termitibus Paraquariae conf. Dobrizhofer l. c. p. 373. seq. A Quaraniis *Izau* vocantur, non humanis corporibus, sed aedificiis, quae subruunt, formidandae. Sub templis, sub domibus quibusvis immani labore cuniculos agunt; per sinuosos maeandros terram altissime cavant, glebamque effossam, ut corpore viribusque valent, foras evehunt. Alis subinde succrescentibus, quoties nimbos densiores praesentiunt, quaquaversus turmatim avolant, sed eadem, qua Jcarus, olim infelicitate pereunt. Illa porro terrae spiramina, per quae commeare prius formicae consueverant, praecipitem ex aqua imbrem admittunt. Hac formicarum specus inundatur, terrae aedibus substans exeditur, pilae ligneae, queis murus, tectum trabesque sustentantur, labant primum, et nisi eas actutum fulcias, cum domo procumbunt denique. Non rarum hoc Paraquariensibus spectaculum.

De Paraquariae formicis adjungimus adhuc quae bonus Dobrizhofer l. c. p. 372. seq. memorat. „Formicarum tum repentium, tum volucrium ut plurimae sunt species, sic incredibilis per Paraquariam omnem multitudo. Strictim memorabo praecipua, mihique magis comperta. Formicae ab Abiponibus *Ochega*, a Quaraniis *Tahi* nuncupantur, quamvis earum species singulas singulari quoque vocabulo distinguant. Formiculae omnium minutissimae, rubri coloris sunt pessimae, mordacissimaeque. Ut magnes ferrum, sic illae saccharum, mel, et quidquid dulce appetunt, diripiuntque. Rerum ejusmodi penum adversus istas tueri ut queas, astu opus est ac saepe ingenio. Ex dulcium esu bilem augent suam, et veneno exquisito pollent. Cuti, ut primum insident, ictu acerbissimo pustulam imprimunt in plures dies cum dolore duraturam."

INSECTA BRASILIENSIA.

COLEOPTERA PENTAMERA.

FAMILIA: CICINDELETAE.

MEGACEPHALA MARTII. † Viridi-aut coeruleo-aureo-nitida, thorace convexiusculo, cylindrico; elytris apice macula oblonga marginali, ano, antennis pedibusque flavis.—Longitudo 8½‴. Latitudo humeralis 2⅔‴. Tab. I. f. 1.

Hab. prope Joazeiro, Prov. Bahiensis, secundum fluvium S. Francisci.

Magnitudine et statura Megacephalae carolinae, cui affinis. Caput et instrumenta cibaria hujus ratione habita minora. Labium superius et mandibulae testaceae, hae ad apicem nigricantes. Clypeus antice magis prolongatus, quam in M. carolina. Frons impressione brevi, striolisque aliquot subtilissimis ad oculos. Thorax cylindricus, fere immarginatus, nitidissimus, margine antico posticoque angustissimo fulvo. Impressio thoracis antica minus profunda, quam in specie citata; sulcus medius et impressio postica adsunt. Elytra multo fortius punctata, versus apicem sensim ac sensim laeviora: coerulea, aut viridi-coerulea, sutura paullo pallidiore; ad apicem macula marginali oblonga, antice a margine paullo distante, flava. Subtus, antennis pedibusque uti M. carolina. Anus fulvior. Hanc speciem vocavi in honorem celeberrimi *Dm. a Martius*, hujus operis editoris, qui multis insectis in itinere Brasiliensi memorabili collectis, heic exhibitis, scientiam locupletavit.

MEGACEPHALA FEMORALIS. † Coeruleo-viridis, aureo-nitida, antennis ad basin nigris, versus apicem lutescentibus, femoribus nigris, tibiis tarsisque fulvis. Lg. 8½—9‴. Lat. hum. 2½‴. Tab. I. f. 2.

Magnitudine fere praecedentis, paullulum vero longior, magis parallela. Subtus viridi-coerulea, polita, nitidissima, abdomine nigricante; supra coeruleo-viridis. Labium superius nigro-brunneum, antice quadripunctatum, punctis setigeris. Palpi flavi. Mandibulae flavo-brunneae, ad apicem nigricantes. Caput viridi-auratum, nitidum, glabrum, utrinque ad oculos stria impressa, striam inter et oculum striolis aliquot longitudinalibus. Oculi pallidi. Thorax capite paullo angustior, longior, et magis cylindricus, quam in speciebus confinibus; convexus, nitidus, lateribus rotundatis; sulco medio, antico posticoque profunde impressis, laevibus. Elytra immaculata, coeruleo-viridia, aurea, praelonge ovata, magis parallela, ad dorsum planiora, quam in M. Martii, imprimis ad basin punctis fortioribus, hic et illic confluentibus: versus apicem subtilissime limata, sensim ac sensim laeviora. Femora nigra, polita; trochanteres, tibiae, tarsique fulvi.

Tab. I. f. 3. MEGACEPHALA LAMINATA. † Flavo-brunnea, antennis pedibusque testaceis, elytris rugulosis: macula communi, versus basin attenuata, fusca. Lg. 5‴. Lat. hum. 1 3/4‴.

Affinis Megacephalae aequinoctiali Fabr. sed quadruplo fere minor. Flavo-brunnea, labium superius palpique pallidi. Mandibulae pellucidae, testaceae, ad apicem nigrae. Caput laeve, fronte obscuriore. Oculi pallidi, prominuli. Thorax latitudine et colore capitis, fere quadratus, subtiliter at non densissime punctulatus, impressionibus antica posticaque transversis obscurioribus, punctis profundioribus rugulosis. Elytra oculo nudo subtiliter rugulosa, sub lente limae instar incisa, denticulis retrorsum versis: brunneo-testacea, sutura ad basin obscuriore, nigredine pone medium dilatata, maculam ideo communem referente, quae vero elytrorum marginem non attingit.

FAMILIA: CARABICI.

Tab. I. f. 4. CASNONIA VARICORNIS. † Fusco-aenea, antennis variis, pedibus brunneis, femoribus ad basin pallidis, elytris striatis: macula postica pallida transversa. Lg. 4 1/2‴. Lat. hum. 1 1/2‴.

Affinis F. rugicolli Dej. Fusco-aenea, subtus paullo magis nitida. Caput postice valde elongatum, ante oculos impressionibus 2 transversalibus, nigrum, trophis concoloribus. Antennae capite thoraceque fere longiora, articulo 1° rufo-fusco, 2°, 3°, 4° rufis, 5° 6° 7° fuscis, 8°, 9° albis, 10° et 11° fuscis. Thorax cylindricus, postice incrassatus, pilosus, sub lente valde augente subtilissime transversim striatus, quasi annulatus. Elytra profunde striata, seu potius sulcata, sulcis 18 impunctatis; impressione antica communi; postice truncata, emarginata. Elytrum singulum macula pallida postica transversa, nec suturam, nec marginem attingente. Pedes brunnei, tibiis tarsisque paullo dilutioribus, femoribus ad basin luteo-albis. Tarsi filiformes, articulo penultimo minimo. Alata.

Tab. I. f. 5. ODACANTHA BASALIS. † Brunneo-testacea, capite elytrorumque macula communi basali obscuriore, olytris postice rotundatis striatis: striis punctatis. Lg. 4‴. Lat. hum. 1 3/4‴.

Affinis O. dorsali Fabr. Testaceo-rufescens, pedibus abdomineque pallidioribus. Caput thorace latius, corpore reliquo obscurius. Antennae articulis 7 ultimis subaequalibus, quam praecedentes flavi majoribus, fuscis. Thorax cylindricus, antice angustatus, laevis, sub lente marginulatus, linea media longitudinali, antica posticaque margini parallelis impressis. Elytra thorace minime triplo latiora, paullulum pallidiora, postice rotundata, striis 18 punctatis, punctis sub lente serratis. Secundam inter et tertiam striam puncta 3: quintam inter et sextam puncta 2 majora adsunt. Macula communis fusca elytrorum regionem basali-suturalem tegit, ideoque marginem non attingit. Pedes toti testacei.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Observatio. Etiam si e corde intimo celeberr. com. a Dejean verbis consentiam, „dans une „methode naturelle, ce n'est pas sur un seul caractère, mais bien sur l'ensemble de l'organisation,

„que l'on doit se régler pour etablir la classification" (Dej. Spec. Génér. tom. I. p. 167.), attamen mihi persuadeo, ex hac Odacanthae specie cum O. dorsali Fabr., elytrorum postice rotundatorum causa, genus singulare (notione et ambitu generum hodierno) constituendum esse; neque dubito quin his in speciebus, datis ad examinationem exemplaribus notas etiam alias distinctivas inveniri possent. Aberratio enim a formationis typo in una parte plerumque diversam aliarum partium structuram comitatur.

LEBIA SULCATA Roger. Ferruginea, elytris sulcatis, fasciis duabus undatis obliquis fuscis. Tab. I. f. 6.

Dejean Spec. Génér. des Coléopt. tom. I. pag. 269. 19.

Etiam in Brasilia inventa est.


LEBIA SIGNATIPENNIS. † Rufa, elytris striatis: dimidio antico flavo, macula communi basali nigra; dimidio postico nigro. Lg. 5'''. Lat. hum. 2 1/4'''. Tab. I. f. 7.

Habitat prope Tejuco Prov. Minarum et versus fluv. S. Francisci.

Inter majores. Affinis forsan Lebiae sellatae Dej., at distincta. Subtus cum pedibus tota rufa. Caput rufum, laeve, impressionibus tribus parvis triangulo positis inter oculos. Mandibulae nigricantes. Antennae articulis 3 primis rufis, reliquis fuscis. Thorax rufus, marginatus, antice rotundatus, linea media impressa: subtilissime transversim et undatim striolatus, angulis posticis acutis, margine postice elevatiore. Scutellum rufum. Elytra thorace fere duplo latiora, postice oblique truncata, paullum emarginata, profunde striata, striis (lente valde augente visis) subtiliter ac dense punctatis. Elytrorum dimidium anticum et *minus* luteum, macula basali nigra communi, transversa, elytri singuli latitudinem ad dimidium tegente; dimidium posticum et *majus* nigrum; terminus coloris utriusque undulatus.

LEBIA GRAMMICA. † Rufo-testacea, oculis nigris, elytris cyaneo-nigris: vitta abbreviata, introrsum fracta, margine externo apiceque testaceis. Long. 3'''. Lat. hum. 1 1/2'''. Tab. I. f. 8

Habitat prope Joazeiro, Prov. Bahiensis.



Magnitudine fere L. crucis minoris Fabr. paullo vero angustior. Subtus cum pedibus testaceo-rufescens, capite et thorace paullo saturatius coloratis. Frons plana, impressione satis obsoleta transversali inter oculos. Thorax margine elevato, pallidiore. Elytra ad apicem oblique truncata, profunde striata, striis laevibus; cyanescenti-nigra, vitta angusta abbreviata, et ante medium introrsum fracta, marginibus externis angustis, apiceque truncato testaceis.

PACHYTELES Perty.

Tab. I. f. 10.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae submoniliformes, versus apicem incrassatae. Labium superius subquadratum, transversum. Mandibulae breves, uncinatae, corneae. Elytra integra, ad apicem rotundata. Tarsi fere aequales; unguiculo intus mutico.

CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE capite et thorace vix longiores, 11-articulatae: articulo primo maximo, secundo sequentibus duobus minore, quinto, sexto, septimo, octavo et nono subglobosis, sensim paullum incrassatis, decimo cylindrico, brevi, ultimo ovato. LABIUM SUPERIUS subquadratum, transversum, e lateribus rotundatum, antice posticeque paullo emarginatum, antice ciliatum. MANDIBULAE corneae, breves, acute uncinatae; supra parum convexae, infra planae, parum excavatae: extus canaliculatae. MAXILLAE ratione aliarum partium valde minutae, membranaceo-corneae: mala angusta, uncinata, ciliata, stipite lineari, angusto. LABIUM INFERIUS (mentum Latr.) breve, transversum, trilobum. PALPI MAXILLARES EXTERNI triarticulati: articulo basali minimo, secundo paullum inflato et curvato, satis magno; tertio ovato-cylindrico, praecedente longiore. PALPI MAXILLARES INTERNI biarticulati, filiformes. PALPI LABIALES triarticulati: articulo primo minimo vix perspicuo, secundo depresso, tertio cylindrico, antice truncato. PEDES quoad longitudinem et firmitatem medii: tibiae anticae emarginatae, posteriores rectae, compressae; tarsi pedum omnium subaequales, articulis 4 primis approximatis, breviter obconicis, ultimo longiore: unguiculo intus non serrulato. ALAE completae, tenuiter membranaceae. CAPUT exsertum, satis magnum, clypeo fronte verticeque planis, collo distincto. CLYPEUS (nasus Kirbyi) a fronte per suturam distinctus. OCULI hemisphaerici, valde prominuli. THORAX cordatus, antice posticeque truncatus, marginatus. SCUTELLUM a prothorace obtectum, trigonum, solum apparet, si prothorax ab alaetrunco removetur. ELYTRA integra, parum convexa, ad apicem rotundata, parallela, valde oblonga, postice minime emarginata, epipleuris antice latioribus. CORPUS parvum, oblongum. COLORES luridi. Superficies laevis.

Observatio. Habitus animalculi proprius, non facile alii comparandus. Certissime genus hoc in systemate naturali ad *Carabicos* sic dictos *truncatipennes* collocandum est, ubi, item ac Odacantha dorsalis Fabr. basalis mihi, et Gen. Ctenodactyla Dej. ab hac fabrica abhorrens, nomini communi „truncatipennes“ contradicit. — Nomen datum ob antennas versus apicem incrassatas.

Tab. I. f. 9. PACHYTELES LAEVIS. † Piceo-brunneus, nitidus, thorace cordato, marginato, elytris substriatis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$.

Habitat prope Tejuco, Prov. Minarum.

Totus piceo-brunneus, capite paullo obscuriore, subtus cum pedibus dilutior. Striae elytrorum laevissimae, sub lente valde augente obsolete punctulatae. Coloris intensitate variat.

Tab. I. f. 11. PACHYTELES STRIOLA. † Brunneo-piceus, thorace subcordato, elytris striis elevatis, interstitiis rugulosis. Lg. $3'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{4}'''$.

Habitat inter Tejuco et S. Francisci flumen in Prov. Minarum.

Praecedente minor, piceus, pedibus brunneis, capite obscuriore. Interstitia inter elytrorum lineas elevatas rugulosa tantum sub lente apparent.

PACHYTELES TUBERCULATUS. † Piceo-brunneus, thorace, subtus et pedibus rufo-brunneis; elytris tuberculorum parvorum seriebus tribus. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$.

Statura fere P. striolae, paullo major. In elytris striae apparent elevatae valde obsoletae: extra has tubercula parva, seriebus tribus longitudinalibus posita, quarum extrema paullulum obsoleta est.

COPTODERA UNDULATA. † Subtus, pedibus antennisque brunnea; capite thorace et elytris viridi-aeneis: his fasciis duabus luteo-brunneis. Lg. $4\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{3}{4}'''$. Tab. I. f. 12.

Lebia cyanocephala Fbr major et satis latior. Subtus fusco-brunnea, nitore aeneo. Caput viridi-aeneum, impressionibus duabus inter oculos. Antennae et trophi brunnei. Thorax viridi-aeneus, postice attenuatus, marginatus; marginibus elevatis; linea media, marginali antica posticaque impressis. Elytra thorace duplo latiora, leviter striata, postice oblique truncata parum emarginata, angulis posticis externis rotundatis; aenea, fasciis duabus, e maculis undulatim positis obscure flavis, quarum antica nec marginem nec suturam attingit.

CALLEIDA CYANIPENNIS. † Subtus cum pedibus nigro-sanguinea; elytris cyaneis, capite, antennis, thorace elytrorumque marginibus obscure ferrugineis. Lg. $4\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$. Tab. I. f. 13.

Habitat in Serra do Caraça, Minarum generalium.

Caput thorace vix angustius. Antennae versus apicem fuscescentes, piliferae. Thorax linea media satis profunde impressa; versus margines laterales striolis parallelis transversalibus. Elytra marginata, profunde striata: striis laevibus.

GALERITA BRACHINOIDES. † Nigra; thorace, pectore palpisque fulvis, antennis pedibusque flavis, elytris costatis, inter costas bilineatis. Lg. $10'''$. Lat. hum. $3'''$. Tab. I. f. 14.

Affinis G. ruficolli Latr. (in Humboldt et Bonpland observations de Zoologie 2. Sect. pag. 120 tab. 40 fig. 10.) sed pedibus flavis, aliisque notis distincta. Caput nigrum, nitidulum, rugulosum, costula media interoculari, margine acetabuli antennarum superiore paullulum elevato. Antennae flavae, versus apicem pilis fuscescentes. Thorax cordatus, postice truncatus, antice parum emarginatus, angulis posticis prominentibus rotundatis; margine reflexo, impressione media longitudinali satis aperta: in impressione sub lente visa linea incisa; fulvus, minime pubescens, oculo armato punctis confluentibus alutaceus. Elytra nigra, ferreo-cyanescentia, sine pilis sericantia; ad basin attenuata, thorace vix duplo latiora, pone medium latissima, postice aliquantulum oblique truncata; singulum costulis novem longitudinalibus, laevibus; binas inter costas striis 2 longitudinalibus, geminis, ac inter strias seriebus punctorum elevatorum, oculo tantum bene armato vi-

sibilium. Pectus fulvum, regione, ubi pedes antici inseruntur, fusca. Abdomen fuscum, pilis flavescens. Pedes flavi, tarsis obscurioribus, genibus fuscis. Articuli tarsales tres primi pedum anticorum valde oblique dilatati.

Tab. I. f. 15.

BRACHINUS PACHYGASTER. † Rufo-ferrugineus, elytris cyaneis, thorace paene quadruplo latioribus, subcostatis; antennis, tibiis abdomineque fuscis. Lg. $4\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{3}{4}'''$.

Affinis Brachino fuscicorni Dej. Caput, thorax, pectus, ac femora rufo-ferruginea. Caput impressione duplici longitudinali utrinque ad oculos. Antennae articulo primo rufo, reliquis fuscis. Thorax capiti quoad latitudinem aequalis, angulis posticis acutis, linea media impressa. Elytra thorace plus quam triplo latiora, convexiuscula, postice oblique introrsum truncata, sulcis octo satis conspicuis, oculo etiam armato omnino impunctatis. Abdomen, tibiae tarsique fusca.

Tab. II. f. 2.

BRACHYGNATHUS Perty.

(CARABICI SIMPLICIPEDES: CYCHRII.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes. Labium superius minutum, subquadratum. Mandibulae et maxillae breves, labio semiobtectae. Palpi articulo ultimo securiformi seu subtrigono. Pedes tarsorum articulis subaequalibus.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae filiformes, undecim-articulatae: art. 1. paullulum incrassato, 2. minuto, 3. et 4. minimis obconicis, reliquis cylindricis. Labium superius minutum, membranaceum, subquadratum, transversum, antice parum rotundatum. Mandibulae breves, corneae, intus obsolete denticulatae, uncinatae, infra excavatae. Maxillae breves; stipite corneo, malae corneo-membranaceae, longitudine fere aequali; malae depressae, intus ciliatae, apice acute uncinato. Ligula squamosa, tripartita: partes laterales filiformes. Labium inferius (mentum) transversum, profunde emarginatum, corneum. Palpi maxillares externi 4-articulati: art. 1. minuto, secundo obconico-cylindrico, 3. praecedente satis breviore, subtrigono, 4. maximo, securiformi. Palpi maxillares interni biarticulati, depressi, minuti, maxillae adjacentes: artic. 1. elongato, obconico, 2. crassiore, aliquantulum breviore. Palpi labiales 3-articulati: art. 1. minuto, 2. inflato, 3. omnium maximo securiformi. Pedes tarsorum articulis subaequalibus, non dilatatis, primo quintoque quam reliqui paullo longioribus. Alae deficiunt. Caput thorace multo angustius, elongatum. Oculi prominuli, hemisphaerici. Thorax elytris angustior. Scutellum minutum, subtrigonum, e parte a thorace obtectum. Elytra brevi-ovata, convexa, sutura connata: epipleuris abdominis partem amplectentibus.

Habitus Cychri generumque affinium, Cychro tamen robustior, mandibulis maxillisque brevibus, abdomine ovato breviore. Colores metallici, splendidi, rutilantes.

Observatio. Secundum species et forsan pro sexu palporum forma parum variat, tum minus tum magis, nunquam vero tam insigniter securiformis, quam in Cychris. Articulus palporum securiformis compressus, non excavatus, uti in Cychris. Discrimen essentiale inter Brachygnathum et Cychrum facillime apparens offert labium superius: illi parvum, integrum, huic grande bicorne, aut furcatum.

BRACHYGNATHUS MUTICUS. † Niger, thorace rotundato, antice elongato, mutico; elytris aureo-viridibus, nitidis, sulcatis: sulcis impunctatis. Lg. $9\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $3\frac{3}{4}'''$. Tab. II. f. 1.

Hab. in deserto Prov. Minarum.

Longitudine fere Cychri rostrati, sed robustior, convexior, crassior. Totus niger, infra metallico-nitidulus. Antennae versus apicem fusco-pilosae. Caput inter antennas impressionibus 2 longitudinalibus. Thorax rotundatus, antice elongatus, attenuatus, postice truncatus, laevis: sulco medio, binisque impressionibus longitudinalibus posticis prae media evidentibus. Elytra convexa, thorace duplo latiora, aureo-seu cupreo-viridia, nitidissima, sulcata: carinis rotundatis, laevissimis, sulcis modo ad elytrorum apicem punctatis. Epipleura cyanea. Pedes nigri.

BRACHYGNATUS OXYGONUS. † Niger, capite thoraceque cyaneo: hoc trisulcato, e medio dilatato, angulis posticis acutissimis prominentibus; elytris aureis, sulcato-punctatis. Lg. $10'''$. Lat. hum. $4'''$. Tab. II. f. 3.

Habitat in mediterraneis versus fluv. S. Francisci, Prov. Minarum.

Magnitudine praecedentis. Infra niger, atrocyaneo-nitidulus. Caput inter oculos biimpressum, cyaneum. Antennae et instrumenta cibaria fusca. Thorax cyaneus, punctulatus, capite paene triplo latior, medio latissimus, antice angustatus, margine postice reflexo in angulos acutissimos prominente. Elytra cupreo-aurea, nitidissima, sulcato-punctata. Epipleura nigra, punctata. Pedes nigri, atro-cyaneo-nitiduli.

BRACHYGNATHUS MINUTUS. † Niger, capite thoraceque cyaneo-atro: hoc trisulcato, oxygono; elytris aureo-aeneis, sulcato-punctatis. Lg. $7\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{4}'''$.

Habitat in deserto versus flumen S. Francisci, Prov. Minarum.

B. oxygono affinis, notis vero pluribus diversus. Duplo minor, niger, capite thoraceque atro-cyanescentibus. Impressiones inter antennas multo profundiores, quam in praecedente. Thorax ratione illius habita elongatior, angustior, obsolete punctulatus; impressiones laterales postice dilatatae, profundiores, anguli postici prominentes acuti. Elytra magis aenea-, quam laete aurea, punctato-sulcata. Pedes nigri.

BRACHYGNATHUS INTERMEDIUS. † Niger, thorace rotundato, antice elongato, mutico; elytris aureis, sulcato-punctatis. Lg. $9\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $3\frac{3}{4}'''$.

Hab. in deserto Minarum.

Species mihi quodammodo dubia. Accuratissime medium tenet inter B. muticum et B. oxygonum. Caput et thorax nigra, quoad formationem et sculpturam omnino B. mutici; elytra cupreo-aurea, sulcato-punctata, uti B. oxygono.

Tab. II. f. 4.

SCARITES GLYPTICUS. † Niger, tibiis anticis tridentatis, bicalcaratis; thorace angulis posticis oblique truncatis, linea media impressa; elytris sulcatis, sulcis foveolatis. Lg. $16'''$ usque ad mandibularum apicem. Lat. hum. $4'''$.

Affinis Sc. excavato Kirby et Dejean.; distinctus vero corporis totius statura minore, depressiore, latiore. Magnitudine Sc. Pyracmonis, paullulum vero angustior, magis parallelus. Caput quadratum, impressionibus inter oculos postice convergentibus: antice striolatum, varie impressum. Labium superius tripunctatum. Mandibulae bisulcatae, ad medium angulo seu dente obsolete bilobo. Antennae articulis ultimis fuscis, flavo-pilosis. Thorax cordatus, latior, quam longus, marginulatus, linea media valde impressa marginem anticum non attingente; lineis marginalibus antica posticaque obsoletis, angulis posticis oblique truncatis, basi paullulum emarginatus. Scutellum disco rugulosum. Elytra thorace angustiora, deplanata, margine elevato, lineis elevatis 6, quarum suturae proxima valde obsoleta, tertia vero passim est interrupta: interstitiis latis, foveis seriatim positis, sulcis versus marginem profundius impressis. Tibiae anticae externe tridentatae, dente tertio minimo; intus bicalcaratae. Tarsi aequales, filiformes.

Tab. II. f. 5.

SCARITES MOLOPINUS. † Piceus, politus, elytris striatis: stria tertia sexpunctata; tibiis anticis externe subtridentatis, interne bicalcaratis. Lg. $8\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{4}'''$.

Magnitudine Scaritae subterranei, multo minus parallelus, convexior. Totus valde politus, piceus, subtus dilutior. Mandibulae quam in Sc. subterraneo latiores, longitudinaliter sulcatae. Antennae articulis 4 primis glabris, reliquis pallido-pilosis. Frons impressionibus 2 longitudinalibus: has inter et oculos striolis aliquot. Thorax elytrorum latitudine, tenuiter marginulatus postice paullulum emarginatus; linea longitudinali parum impressa, marginali antica obsoleta, postice utrinque foveola parva. Elytra ovata, convexiuscula, ad marginem apicemque pilis sparsim positis; singulum striis seu sulcis septem, ad marginem elevatum punctorum obsoletorum serie. Stria elytrorum tertia punctis sex: primo versus basin, secundo ad medium, 4 approximatis ad apicem. Pedes dilute picei, tibiae mediae bidentatae. Apterus.

Tab. II. f. 6.

SCARITES HETEROGRAMMUS. † Niger, subdepressus, parallelus, thorace transverso, postice rotundato; elytris leviter striatis: striis subinaequalibus; tibiis anticis tridentatis, bicalcaratis. Lg. $10'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{2}'''$.

Habitat in deserto secundum fluv. S. Francisci, Prov. Minarum.

Magnitudine Scaritem subterraneum paullo superat. Caput quadratum, laevigatum. Oculi satis prominuli. Antennae nigrae, ad apicem fuscescentes. Mandibulae obtuse dentatae, seu potius ad basin interne angulatae: supra carinula striolisque quibusdam. Palpi picei. Thorax latior, quam longus, antice fere recte truncatus, minime emarginatus, angulis posticis minime oblique truncatis, quare postice rotundatus apparet; tenuiter marginatus, linea antica paullulum retroflexa mediaque marginem anticum non attingente, impressis. Elytra thoracis latitudinem aequantia, parallela, disco paullulum convexo, striis seu sulcis planis laevibus, quoad distantiam et profunditatem inter se subaequalibus. Subtus cum pedibus concolor. Tibiae anticae externe tridentatae, sub lente adhuc bidenticulatae; intus bicalcaratae. Tibiae mediae extus bidentatae, intus bicalcaratae.

OXYSTOMUS GRANDIS. † Ater, laevissimus, cylindricus, mandibulis exsertis, decussatis, laevibus; tibiis anticis subquinquedentatis, elytris sulcatis. Lg. 16‴. Lat. hum. 3½‴. Tab. II. f. 7.

Certe O. cylindrico Latr. affinis, sed multo major, ac verosimiliter distinctus. Corpus cylindricum, elongatum, parallelum, nigerrimum, nitidum. Mandibulae planae, depressae. Antennae articulis septem ultimis flavescentibus. Thorax linea longitudinali postice magis impressa. Linea margini antico parallela obsoleta. Elytra profunde sulcata, sulcis 8: carinis intermediis laevibus rotundatis; sulca marginali serie circellorum elevatorum. Subtus concolor, nitidus. Tibiae anticae extra dentibus 3 robustis, infra dente obsoleto et calcari longo; tibiae mediae dentibus 3, et calcaribus 2; tibiae posticae dente uno, denticulo obsoleto, spinaque brevi.

CAMPTODONTUS CAYENNENSIS Dej. Nigro-piceus; mandibulis exsertis, capite punctato, thorace sublunato, quinquesulcato; elytris sulcatis, sulcis profunde punctatis. Tab. II. f. 8.

Dejean, *Species general des Coléoptères de ma collection tom. II. pag.* 477.

Coleopteron hoc singulare, proprium genus constituens, a celeberr. comite a. Dejean e Cajenna acceptum, inter Brasiliae aequatorialis insecta inveni.

CALOSOMA LATERALE Kirby. *Calosoma granulatum.* Tab. nostr. Long. 11—13‴. Lat. hum. 4—4½‴. Tab. II. f. 9.

Hab. in Tejuco et versus St. Francisci fluvium.

Hanc speciem prius a Cal. laterali Kirbyi et Dejeani diversam habitam, nunc pro eadem agnosco. Magnitudine et colore differt, elytris nunc cupreis, nunc viridi-nitentibus.

ANCHOMENUS HAEMORRHOUS. † Piceo-ater, nitidulus, thorace quadrato, postice utrinque impresso; elytris antice punctato-striatis, apice rufescente. Lg. 4½‴. Lat. hum. 1½‴. Tab. II. f. 10.

Hab. ad fluvium S. Francisci in Prov. Minarum.

Generis mihi dato tantum unico exemplari non satis distincti; sed Anchomeno proximus. Caput thorace angustius, laeve. Trophi picei. Antennae ad basin piceae, caeterum fusco-pilosae.

Thorax quadratus, angulis anticis rotundatis, posticis acutis; linea margini anteriori parallela, media tenuissima, postice utrinque fovea et punctorum serie transversa inter foveas impressis. Elytra thorace satis latiora, antice striato-punctata, punctis versus apicem obsoletis, postice minime emarginata, apice rufescente. Ad marginem postice puncta aliquot irregularia. Pedes picei, tarsis dilutioribus.

Tab. II. f. 11. POECILUS CROCIPES. † Infra metallico-fuscus, nitidus; capite thoraceque cupreo-micantibus; elytris striatis obscure-viridibus, pedibus ferrugineo-rufis. Lg. $4^3/_4'''$. Lat. hum $1^1/_2'''$.

Habitat rarius in Brasilia aequatoriali.

Caput cupreo-aeneum, impressionibus 2 inter oculos profundis. Palpi picei. Antennarum articuli primi rufi, reliqui piceo-fusci. Thorax cupreo-aeneus, nitidus, antice angustatus, lineola media striolaque utrinque postica impressis. Elytra obscure-viridia, profunde striata, ad apicem emarginata, ad dorsum deplanata. Pedes toti dilute ferruginei.

Tab. II. f. 12. POECILUS PARALLELUS. † Parallelus, paene triplo longior, quam latior, infra niger, supra metallico-viridis, nitidus; antennis piceis, articulis basalibus dilutioribus. Lg. $9'''$. Lat. hum. $2^1/_2'''$.

Poecilo lepido satis major, valde parallelus. Subtus nigerrimus, nitidissimus, pedibus concoloribus: tarsis piceis, anticis infra ferrugineo-tomentosis. Antennae nigro-piceae, articulis 2 basalibus piceis. Supra totus aeneo-viridis, valde politus. Caput planum striolis 2 utrinque ad oculos, pluribus minutioribus in vertice impressis. Thorax capite duplo latior, paene quadratus, lateribus antice parum rotundatis: linea media striolisque 2 lateralibus posticis impressis, margine reflexo. Elytra thorace vix latiora, duplo longiora, parallela, postice rotundata, paullum emarginata, profunde striata: striis impunctatis.

Tab. II. f. 13. POECILUS THALASSOCHROMA. † Parallelus, triplo longior, quam latior; infra niger, supra obsure metallico-viridis; antennis nigris. Lg. $8^1/_2'''$ Lat. hum. $2^1/_4'''$

Habitat ad fluvium S. Francisci.

Magnitudine et statura fere Poecili paralleli, sed angustior. Subtus nigerrimus, nitidus, pedibus concoloribus: tarsis ferrugineo-hispidis. Antennae fuscae, sparsim piligerae. Supra totus obscure viridis, metallicus, parum nitidus, laevis. Caput planum, utrinque impressione longitudinali duplici ad internum oculorum marginem. Thorax capite duplo latior, subquadratus, antice lateribus rotundatis paullum angustatus; linea media striolisque 2 posticis impressis, marginulo reflexo. Elytra thoracis latitudinem aequantia, longitudinem duplo superantia, parallela, profunde striata: striis impunctatis.

Tab. II. f. 14. POECILUS ELEGANS. † Infra niger, supra coerulescenti-cupreus; thorace quadrato, subtrisulcato; elytris latioribus, ovalibus, laeviter striatis. Lg. $8'''$. Lat. hum. $2^1/_2'''$.

Habitat in deserto Provinc. Minarum, ad Tejuco rel.

Magnitudine Poecili dimidiati majoris. Infra niger, pedibus concoloribus, tarsis piceis. Antennae et trophi picei. Caput planum, politum, cupreum, striola utrinque ad internum oculorum marginem foveolisque 2 in fronte impressis. Thorax cupreus, nitidus, quadratus, antice minime angustatus, postice recte truncatus, sulco medio integro, duobusque dimidiatis lateralibus postice impressis. Scutellum laevissimum. Elytra thorace satis latiora, ovalia, cyanescenti-cuprea parum convexa, postice minime emarginata, profunde laeviter striata, epipleuris subbicanaliculatis.

POECILUS PLANODISCUS. † Nigro-aeneus, subnitidus; antennis pedibusque piceis; elytrorum disco elevato, deplanato. Lg. 7'''. Lat. hum. 2'''. Tab. II. f. 15.

Totus nigro-aeneus, nitidulus. Caput laeve, impressionibus duabus inter oculos. Antennae articulis primis piceis, reliquis piloso-fuscis. Thorax antice angustatus, laevissimus, marginulatus, linea media, et striola postica utrinque impressis. Elytra thorace minime latiora, opaciora, parallela, striata: disco elevato complanato, margine praesertim postice depresso. In stria secunda (a sutura numerata) sub lente puncta duo in posteriore elytri dimidio, in stria tertia antice punctum unum, ad marginem punctorum series irregularium apparent. Pedes, imprimis antici, picei.

PLATYSMA LICINOIDES. † Nigrum, ovatum; thorace postice utrinque impresso; elytris latiusculis, sulcatis, sulcis tenuiter crenato-punctatis. Long. 10'''. Lat. hum. 3¾'''. Tab. III. f. 1.

Observatio. Feroniae genus, a celeberr. *Latreille* et *Dejean* institutum, forsan naturale et tunc pro futuro definitive recipiendum est. Tunc vero permultae Carabicorum species, perinde confines, sed in systematibus nostris recentibus generice separatae ejusmodi in unum aut alterum genus consociandae sunt. Hoc tempore, cui reductio generum nimiorum universalis (opinionibus *de genere* paribus) perficiendum est, adhuc valde remoto, hoc Coleopteron ad Platysmata celeberr. Bonellii collocandum mihi videtur.

Totum nigrum, parum nitidum. Caput thorace duplo angustius, laeve, impressione utrinque ad oculos profunda. Antennae versus apicem pilosulae. Thorax satis planus, laevis, elytris angustior, lateribus rotundatis; antice angustatus, postice recte truncatus, marginulo reflexo, linea media marginem anticum non attingente, et postice striola profunda utrinque impressis. Elytra ovata, latiuscula, parum convexa, postice rotundata, minime emarginata, profunde sulcata: sulcis praesertim versus marginem crenato-punctatis; carinis rotundatis, laevibus. Sutura connata. Pedes quoad latitudinem medii, satis validi, tibiis calcaratis; anticorum tarso articulis tribus primis dilatatis, subtus tomentosis.

AMARA MARGINELLA. † Infra nigra, supra aenea; thoracis elytrorumque margine lacte viridi; pedibus flavis. Lg. 4'''. Lat. hum. 1½'''. Tab. III. f. 2.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Habitu A. communis Fabr. obsoletae, familiaris Duft. Subtus nigra, nitida, abdominis segmento ultimo flavo-marginato. Supra tota viridi-aenea, minus nitida. Instrumenta cibaria cum antennis fusco-flava. Caput laevissimum, stria transversa, tenui, impressa. Thorax laevissi-

mus, lineola media tenuissima; antice angustatus, margine laterali laete viridi. Elytra laevissima, subtilissime striata, laete viridi-marginata. Pedes flavi.

Tab. III. f. 3. SELENOPHORUS LIMBOLARIS. † Oblongus, fusco-aeneus; thorace quadrato; elytris flavo-marginatis, tenuiter striatis: stria secunda et quinta foveolis impressis, longitudinaliter positis. Lg. 3‴. Lat. hum. 1 1/4‴.

Habitat prope Contendas, in deserto Prov. Minarum.

Selenophori species multae valde affines, et difficillime distinguendae. Subtus brunneo-fuscus, supra fusco-aeneus. Trophi brunnei. Antennae brunneae, versus apicem fuscae. Thorax paene quadratus, antice paullum angustatus, marginulo reflexo, postice utrinque impressione vix conspicua, angulis posticis haud obtusis. Elytra flavo-marginata, margine postice latiore, subconvexa, disco parum planiore, postice paullum emarginata, striata: striis tenuibus, in secunda et quinta foveolae 6 aut 7, longitudinaliter positae, inaequaliter inter se remotae. In stria septima foveolarum adhuc vestigia. Pedes flavi.

Tab. III. f. 4. HARPALUS DEJEANII. † Subtus pedibusque niger; supra capite thoraceque cupreo-micantibus; elytris viridibus, subtiliter striatis. Long. 7 — 8‴. Lat. hum. 2 3/4 — 3‴.

Habitat in Maranhão insula, et inter Tejuco et S. Francisci fluvium in Prov. Minarum.

Harpalo (seu Ophono) obscuro Fabr. circiter duplo major. Subtus niger, submetallico-nitidus. Postpectus punctulatum. Caput impressionibus duabus inter oculos, cupreum, densissime punctulatum. Maxillae palpique picei. Antennae picescentes, articulo basilari dilutiore. Thorax cupreus, quadratus, densissime punctulatus, linea media abbreviata et impressione utrinque ad angulos posticos obsoletis. Scutellum laevigatum, viride-cupreum. Elytra metallico-prasina, versus apicem aenescentia, thorace latiora: singulum lineis 7 — 8, impunctatis: inter lineas lente visa alutacea, ad marginem posticum punctis aliquot impressis, ad apicem paullum emarginata. Tarsi picescentes.

Hanc speciem vocavi in honorem comit. *a Dejean*, etc. etc. entomologi celeberrimi.

Tab. III. f. 5. HARPALUS FULGENS Dej. Subtus pedibusque niger, supra cupreus, laevigatus, nitidus; antennis tarsisque piceis; elytris convexis, striatis. Lg. 6 — 8‴. Lat. hum. 2 1/3 — 3‴.

Species Général des Coléoptères. Tom. IV. pag. 286.

Habitat ad S. Francisci fluvium.

Magnitudine H. ruficornis majoris, satis vero latior et robustior, dorso convexo. Subtus niger, metallico-nitidulus; supra totus cupreus, nitore magis minusve viridi, rarius coerulescens, laevigatus, nitidus. Caput foveolis 2 inter oculos. Antennae palpique picei. Mandibulae et labium superius nigra. Thorax quadratus, ad latera rotundatus, linea antica retroflexa obsoleta, linea media punctulata, striolaque utrinque ad angulos posticos impressis. Elytra thorace paullum latiora, striata, interstitio a sutura septimo postice punctis aliquot impressis: laevia, convexa, ad apicem paullulum emarginata. Pedes nigri, tarsis piceis.

HARPALUS VIOLACEUS. † Infra niger, nitidulus, supra purpureo-cyaneus; thorace quadrato; elytris striatis; antennis tarsisque piceis. Long. 6 — 7'''. Lat. hum. 2 1/2'''. Tab. III. f. 6.

Habitat ad fluv. S. Francisci.

Affinis H. amethystino Dej. loc. cit. pag. 285, sed sculptura diversus. Magnitudine paene H. fulgentis, sed angustior. Infra niger, nitidulus. Supra totus cupreo-cyaneus, nitidus, laevigatus. Antennae palpique picei. Impressiones duae inter oculos. Thorax quadratus, postice minime attenuatus, linea media impressa, impressionibus ad angulos posticos planis, vix conspicuis. Elytra thorace latiora, convexa, disco paullum deplanato, laeviter striata: interstitiis laevibus; postice paullulum emarginata, ad marginem externum punctorum serie irregulari. Pedes nigri nitiduli, tarsis piceis.

CRATOGNATHUS SCARITIDES. † Nigro-piceus; labio, palpis, antennis pedibusque ferrugineis; thorace transverso, subcordato; elytris striatis, puncto postico parum conspicuo. Long. 6 1/2'''. Lat. hum. 2 1/2'''. Tab. III. f. 7.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Observatio. Cratognathi genus, a celeberr. comit. Dejean institutum, (vid Spec. Génér. d. Coléopt. Tom. III. pag. 46 seq.) valde bonum et singulare. Coleopteron, quod hic offero, C. mandibulari Dej. tam affine apparet, ut, si magnitudinem et notas alias parum distinctivas excipis, difficulter discrimen eruere posses. Quare mirum mihi fuit, quod mentum a celeberr. Dejean edentatum indicetur, cum dentem triangularem satis conspicuum, in menti (seu labii inferioris Fabr.) medio videam. Exquisitio acutissima et diligentissima, in qua entomologus eximius ante dictus excellit, errorem minime verosimilem facit, quare generis character mutationi parvae subjiciendus videtur, cum specierum tam affinium separatio omnino non admittenda sit.

Cratognatho mandibulari Dej. satis major. Infra et supra nigro-piceus, nitidulus. Mandibulae porrectae, validae, nigricantes. Labium superius fere quadratum, antice obsolete emarginatum, ciliatum. Thorax subcordatus, marginulo reflexo, linea media ardue conspicua, postice utrinque impressione subtilissime rugulosa. Elytra parum convexa, striis 9 impunctatis, interstitiis laevibus, in tertio postice puncto satis obsoleto. Alatus.

NOTIOBIA Perty.

(CARABICI ELAPHRII.)

Unico tantum specimine in museo existente, analysin completam exhibere non possum. Notae vero sequentes, praesertim palporum forma, discrimen sufficiens inter hoc et reliqua Elaphriorum genera praebent.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Labium superius transversum, antice angustatum. Palporum articulus ultimus cylindricus, antice parum attenuatus. Tarsi antici parum dilatati. Antennae

filiformes. Oculi valde prominentes. Mandibulae decussatae, porrectae. Mentum profunde emarginatum. Tibiae emarginatae, ad emarginationem calcaratae. Palpi maxillares articulo secundo maximo, ultimo quam penultimus paullo longiore.

Nomen genericum ex habitatione verosimili demptum est. (νοτίος, humidus βιόω dego).

Tab III. f. 8. NOTIOBIA NEBRIOIDES. † Infra nigro-metallica, supra violacea; elytris striatis, antennis fuscis. Lg. 6'''. Lat. hum. 2'''.

Habitat in Brasilia australi.

Magnitudine Nebriae fucatae Rossi. Infra aeneo-nigra, polita, ano subpiceo. Supra violacea, cupreo-nitidula, polita. Caput foveolis 2 inter oculos. Instrumenta cibaria picea, mandibulae ad apicem nigricantes. Antennae articulo primo piceo, 2° et 3° nigricantibus, reliquis fuscis, pilosis. Thorax brevis, transversus, postice paullulum attenuatus; linea antica retroflexa, media, impressionibusque 2 posticis longitudinalibus. Elytra thorace latiora, sulcata, sulco marginali irregulariter punctato; ad apicem paullulum emarginata. Pedes nigro-metallici, trochanteribus tarsisque piceis.

Tab. III. f. 9. BEMBIDIUM PICTUM. † Aeneum, antennarum basi, tibiisque flavis; elytris testaceo-aeneoque variis. Lg. 2 3/4'''. Lat. hum. 1 1/5'''.

Habitat prope Tejuco Prov. Minarum, et versus fluv. S. Francisci.

Si recentiorum lacerationem hujus generis respicis, hoc Coleopteron uti sequentia, Lejae adscribendum est. Subtus aeneum, nitidum. Antennae ad basin fulvae, versus apicem nigrae. Palpi ad basin fulvi, articulo ultimo nigro. Caput aeneum, fronte laevi, striolis aliquot ad oculos. Thorax capite paullo latior, fere quadratus, angulis obtusis; postice impressus, linea media incisa. Scutellum aeneum. Elytra thorace satis latiora, sulcata, postice acute emarginata, flavo-variegata: flavedine superante, ita, ut color aeneus fasciam mediam et apicalem, punctaque aliquot basalia efformet. Femora aenea, ad basin cum trochanteribus fulva; tibiae flavae, tarsi nigricantes.

Tab. III. f. 10. BEMBIDIUM BIFOVEOLUM. † Antennis, abdomine pedibusque flavis; thorace foveolis duabus; elytris flavo fuscoque variis. Lg. 2 1/2'''. Lat. hum. 1 1/6'''.

Habitat prope Tejuco Prov. Minarum.

Praecedente paullo minus. Subtus capite et pectore brunneo-nigris, abdomine flavo. Antennae et palpi flavi. Caput et thorax aenea; hic marginulo extremo brunneo. Thorax subcordatus, antice emarginatus, angulis rotundatis; postice recta truncatus, foveolis duabus in medio, aliquot minus conspicuis, lineaque media impressis. Elytra lineata, postice emarginata, testacea; basi, fascia media undata, punctisque numerosis fusco-brunneis. Pedes flavi.

Tab. III. f. 11. BEMBIDIUM XANTHOMELANUM. † Fusco-brunneum, capite thoraceque aenescentibus; antennis, palpis, tibiisque flavis; elytris flavo-fuscoque variis. Lg. 1 2/3'''. Lat. hum. 2/3'''.

Habitat prope Tejuco Prov. Minarum.

Praecedentibus satis minus, paulloque latius. Subtus fusco-brunneum. Thorax subcordatus, marginulo elevato, linea media obsoleta, et striolis aliquot ad basin longitudinaliter impressis. Elytra thorace duplo latiora, e lateribus rotundata, postice emarginata, striata, testacea; basi, fascia media undata, apice, punctisque pluribus fuscis. Femora et tarsi fusco-flavoque varia, tibiae flavae.

FAMILIA: HYDROCANTHARI.

DYTICUS MARGINITHORAX. † Piceo-niger, pedibus piceis, ore, thoracis marginibus externis, elytrorumque macula apicali ferrugineis. Lg. 10'''. Lat. hum. 4 1/2''' elytr. med. 5 1/2'''. Tab. III. f. 12.

Magnitudine D. coriacei Illig.; satis vero latior. Piceus, politus, laevigatus. Pedes, imprimis anteriores, magis diluti. Caput laeve, labio superiore, fronteque antice ferrugineis. Antennae piceae. Thorax transversus, antice angustatus, ad marginem anticum punctorum serie irregulari; marginibus externis ferrugineis. Elytra thorace saltem quintuplo longiora, ad basin dense ac subtiliter punctulata: seriebusque punctorum majorum longe distantium tribus. Elytra ad longitudinis medium latissima, macula ante apicem ferruginea.

DYTICUS PUMILIO. † Infra piceus, supra piceo-fuscus, capite antice, thoracis fascia lata, elytrorumque margine laterali flavis. Lg. 3 1/2'''. Lat. hum. 1 3/4'''. Tab. III. f. 13.

Habitat in Prov. Minarum.

Inter minimos, magnitudine et statura fere Colymbetis agilis Fabr. Subtus piceus, nitidus, pedibus anterioribus cum patellis, antennis trophisque brunneis. Caput brunneum, margine postico nigro. Thorax brunneus, margine antico posticoque nigris. Scutellum nigrum. Elytra piceo-nigra, margine laterali flavo: linea fuscescenti subobsoleta. Caput, thorax et elytra glabra, polita.

FAMILIA GYRINIARII.

GYRINUS CINCTUS Germ. Ovalis, convexus, aeneus, nitidus; pedibus rufis; thoracis elytrorumque marginibus flavis; elytris apice truncatis. Tab. III. f. 14.

Germar Insect. spec. nov. aut minus cognit. Vol. I. pag. 33.

Habitat in Prov. Minarum.

GYRINUS CHALYBEUS. † Convexiusculus, infra niger, supra coeruleus, glaberrimus, nitidus, elytris truncatis, pedibus piceis. Lg. 2 2/3'''. Lat. hum. 1 1/4'''. Tab. III. f. 15.

Habitat in Prov. Bahiensi.

Magnitudo G. natatoris, sed satis convexior, vix duplo longior, quam latior. Infra niger, nitidus, ac etiam epipleura; anus pedesque, praesertim antici, brunneo-picei. Supra coeruleus, capite, elytrorum sutura margineque externo aeneis. Caput inter oculos impressionibus 2 parvis, thorax impressione transversali, subobsoleta. Scutellum minutissimum. Elytra apice recta truncato, margine undique reflexo: singulum versus marginem externum punctorum minutissimorum seriebus longe distantibus, oculo bene armato tantum conspicuis; disco laevissimo.

Tab. III. f. 16. GYRINUS SULCATUS Wiedem. Chalybeus, elytris octo-sulcatis.

Germar, Magazin d. Entomologie Vol. IV. pag. 119.

Hab. in Prov. Bahiensi.

FAMILIA: SERRICORNIA.

Tab. IV. f. 1. BUPRESTIS U-AURANTIACUM. † Aeneo-aurea, pilosa; elytris nudis: singulum vitta lutea, curva, ad apicem cum illa elytri alterius conveniente. Lg. 13‴. Lat. hum. 4½‴.

Hab. in Deserto ad flumen S. Francisci.

Species elegantissima, habitu B. chrysis, sternicornis, fascicularis, zygophyllae etc. Aeneo-aurea, nitida, pilosa, pedibus concoloribus. Antennae fuscae. Caput et thorax densissime ac subtiliter punctata. Scutellum semicirculare. Elytra porcata, porcis remotis, interstitiis rugosis, apice obsolete serrulato. Figura elytrorum lutea U latinum quasi refert. Sternum anticum obtusum, planum.

Tab. IV. f. 2. BUPRESTIS VULNERATA. † Aenea, albido-hirta, thorace punctulato; elytris muticis, sulcato-reticulatis. Lg. 11—13‴. Lat. hum. 4—5‴.

Hab. ad Villam riccam; in monte dicto Serra do Caraça.

Habitu praecedentis. Subtus aenea, densissime albido-hirta. Antennae et pedes aenei. Supra nunc aenea, nunc aeneo-viridis, albido-pilosa. Thorax punctis minutissimis et confertissimis confluentibus rugulosus. Elytra thorace parum latiora, postice attenuata; singulum sulcis 5 latis, irregulariter reticulatis, carinis intermediis laevibus. Speciminibus illis (forsan ♀) elytra unicolora aenea, his (♂) stria abbreviata in elytri singuli medio, et macula apicalis sanguinea, nunc magis, nunc minus clara. Elytra ad apicem paene mutica; sternum planum, obtusum.

Tab. IV. f. 3. BUPRESTIS PARALLELOGRAMMA. † Tota cupreo-aurea, villosa; elytris glabris, violaceis; singulum fascia basali, vittaque longitudinali luteis: his antice conjunctis. Lg. 13‴. Lat. hum. 5‴.

Hab. in Minarum Provincia.

Species valde pulcra, habitu praecedentis. Subtus venuste cupreo-aurea, nitida, flavo-pilosa. Antennae nigrae. Caput cum thorace cupreum, punctulatum. Scutellum semicirculare.

Elytra violacea, fascia basali lutea, undata. Vitta in elytro singulo lutea, antrorsum curva, cum illa elytri alterius conveniens. Quoad caetera elytra striata: striis sub lente punctatis; ad apicem serrulata, bimucronata. Sternum planum, muticum.

BUPRESTIS SPECULIGERA. † Capite, antennis, pectore, abdomine pedibusque nigris; thorace luteo, disco nigro; elytris sanguineis, porcatis. Lg. 9—12'''. Lat. hum. 3½—4½'''. Tab. IV. f. 4.

B. tricolor, Spix und Martius Reise etc. pars I. pag. 407.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum; prope Joazeiro, in Prov. Bahiensi.

Habitu singulari, aliquantulum B. equestris Fabr., excellentis Klug. etc. Corpus totum, praesertim ad pectus et abdomen pilosum; antice dilatatum, postice attenuatum. Thorax elytris fere latior, sub lente densissime punctulatus, etiam subtus luteus, supra macula magna nigra. Scutellum et elytra sanguinea: haec porcata, interstitiis irregulariter punctulatis, apice denticulato, bimucronato. Sternum anticum obtusum, tumidum.

Quoad colores haec species B. Langsdorffii Klug. affinis; tamen vero B. Langsdorffii thoracem refert nigrum, flavo-marginatum, scutellumque nigrum; diversa praeterea habitu et forma.

BUPRESTIS ANGULARIS Schönherr. Elongata, subtus viridi-aurea, nitidissima, supra aeneo-viridis; thorace elytris latiore, profunde unisulcato, angulis anticis viridi-aureis; elytris quadrisulcatis. Tab. IV. f. 5.

Schönherr, Append. ad Synon. Ins. Tom. I. pars 3. pag. 119.

Hab. in montosis Prov. Minarum.

BUPRESTIS INSIGNIS. † Chalybea, nitida, elytris fasciis 4 flavis: basali integra, caeteris undatis, subinterruptis. Lg. 8½—9'''. Lat. hum. 3'''. Tab. IV. f. 6.

B. semistriata, Spix und Martius Reise etc. pars I. pag. 407.

Habitat in montosis Prov. Minarum.

Habitu B. Patriciae Klug., Langsdorffii Klug., equestris Fabr. etc. Tota chalybea, aut thalassina, nitida, subtus cum capite pilosula, supra glaberrima. Thorax sub lente visus, vage et subtiliter punctulatus. Elytra postice subcostata, sub lente longitudinaliter punctata, apice serrulato, bimucronato. Elytrorum fasciae quoad formam et coloris intensitatem variant.

BUPRESTIS COMPTA. † *Nobilitata, Tab. nostrae.* Subtus, capite thoraceque cuprea; elytris testaceis, antice striolis tribus, postice fasciis duabus, apiceque cyaneis. Lg. 6'''. Lat. hum. 2⅓'''. Tab. IV. f. 7.

Hab. in montosis Prov. Minarum.

Habitu praecedentis, magnitudine B. rutilantis Fabr. Subtus pedibusque laete cuprea. Antennae fuscae. Caput, thorax antice angustatus et scutellum cuprea. Elytra postice serrulata, apice

bimucronato; striata, striis sub lente punctatis, postice evidentioribus; testacea, dimidio antico striolis 3 (una communi), dimidio postico fasciis 2 undatis, apiceque cyaneis.

Tab. IV. f. 8. BUPRESTIS GYMNOPLEURA. † Subtus viridi-aurea, supra metallico-thalassina; thorace punctato; elytris sulcato-punctatis, ad latera emarginatis. Long. $9\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $3'''$.

Hab. in montosis Prov. Minarum.

Affinis B. tripunctatae Fabr.; sed punctorum defectu aliisque notis distincta. Corpus subtus cum pedibus antennisque aureo-nitidum, supra thalassinum. Caput sulco medio usque ad verticem. Thorax vage punctatus, sulco medio, latiusculo. Scutellum minutum, pentagonum. Elytra post primam longitudinis ternionem emarginata, abdominis marginem aureum ostendentia, ad apicem subtiliter serrata, mucronata. Sternum anticum planum. Anus bidentatus.

Tab. IV. f. 9. BUPRESTIS INCONSTABILIS. † Aenea; thorace vage et profunde punotato; elytris punctato-striatis, interstitiis foveolatis, ad apicem attenuatis, truncatis, emarginatis. Lg. $13-17'''$. Lat. hum. $5-6'''$.

Hab. in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Habitu omnino B. regiae, attenuatae Fabr. etc. Magnitudine et colore satis variat:

α. Subtus aenea, supra metallico-nigra, flavido-marginata.

β. Subtus aenea; capite thoraceque viridibus, elytris nigro-viridibus, pallide marginatis.

γ. Subtus, capite thoraceque cupreis, elytris cupreo-nigris. Hanc figura nostra refert.

δ. Tota cuprea, nitida, elytris flavido-marginatis.

Caput fronte et clypeo paullum impressis, cicatricosum. Thorax antice angustatus, cicatricoso-punctatus, ad marginem posteriorem punctis 2 majoribus. Elytra thorace parum latiora, ad medium paullo coarctata, ad apicem attenuata, truncata, magis aut minus bidentata; fere geminato-punctata: in interstitiis foveolis transversis irregularibus; margine plerumque flavo-, rarius albido-tomentoso. Sternum anticum planum, antice subacuminatum, postice obtusum, bilineatum. Antennae et pedes aenei.

Tab. IV. f. 10. BUPRESTIS ARGENTOSPARSA. † Subtus pedibusque cuprea, supra violacea; thorace inaequali, elytrisque striato-punctatis argenteo-variegatis. Lg. $12'''$. Lat. hum. $4\frac{2}{3}'''$.

Hab. ad flumen S. Francisci.

Habitu fere omnino praecedentis; paullulum convexior. Infra cuprea, rugulosa. Caput inaequale, fronte impressa, cicatricoso-punctata. Thorax antice angustior, derosus, cicatricoso-punctatus, et in cicatricibus albido-argenteus. Elytra thorace parum latiora, post basin paullum coarctata, ad apicem attenuata, unidentata, punctato-striata, foveolis multis passim impressis, tomento in foveolis albido squamulis aureis obtecto. Sternum anticum planum, obtusum, postice bilineatum. Antennae et pedes cuprei.

BUPRESTIS 20-GUTTATA. † Subtus aenea, albido-villosa; elytris nigris, crenato-striatis, maculis 20 flavis. Lg. $9\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $3\frac{1}{4}'''$. Tab. IV, f. 11.

Habitat prope Soteropolin.

E familia B. cylindricae, tubuli, volvuli Fabr., cultae Web. etc. Corpus subcylindricum, supra depressum. Subtus aenea, albido-villosa. Caput cum thorace nigrum, fusoo-pilosum, punctatum. Thorax disco lateribusque impressis. Scutellum triangulare, nigrum, laeve. Elytra thoracis latitudinem aequantia, nigra, minime cyanescentia, maculis 20 aurantiacis, parum hirta; singulum striis 3 elevatis, glaberrimis: interstitiis crenato-reticulatis, apice serrulato. Antennae et pedes aenei.

BUPRESTIS ARGYROPHORA. † Subtus aenea, supra argentea, violaceo-variegata; thorace inaequali; elytris striis et punctis rugulosis. Lg. $12 — 13\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $4\frac{1}{2} — 5'''$. Tab. IV. f. 12.

Hab. ad flumen S. Francisci.

Habitu omnino B. attenuatae, regiae Fabr., inconstabilis Perty etc. Subtus cupreo-aenea, nitida, punctata. Caput aeneum, rugulosum, fronte parum impressa. Thorax aeneo-argenteus, cicatricoso-punctatus, medio postice impressus, plagis 2 in disco laevibus, cyaneis. Elytra ad basin latiora, post basin paullum coarctata, ad apicem attenuata, truncata, parum emarginata; aeneo-argentea, cyaneo-subfasciata; punctato-striata, striis rugulosis, passim cicatricoso-punctata, quasi derosa. Sternum anticum cupreum, tumidulum, punctatum, obtusum; medium et posticum subcanaliculatum. Antennae et pedes aenei.

BUPRESTIS ICHTHYOCERCA. † Subtus obscure aurea, pectore laete aureo, abdomine maculis 4 albis; supra fusca, capite thoraceque impressis; elytris emarginatis, attenuatis, ad apicem serrulatis. Lg. $7'''$. Lat. hum. $1\frac{3}{4}'''$. Tab. IV. f. 13.

Hab. in Serra de Tiuba, in mediterraneis Prov. Bahiensis.

Animalculum valde singulare, circiter statura B. albivittis Germ., mucronatae Klug. etc. Caput fronte verticeque, thorax disco et foveola utrinque profunde impressis. Scutellum nigrum, triangulare, foveolatum. Elytra post basin sensim ac sensim attenuata, in medio emarginata, ad marginem elevata, apice oblique truncato, serrulato. Regio scutellaris elytrorumque strigae 4 luteae. Ubi elytra emarginata sunt, pectoris aurei abdominisque macularum pars cernitur. Pectoris, elytrorum, abdominisque maculae e setulis minimis, subsquamiformibus oriuntur. Tarsi unilobi, pulvinati.

BUPRESTIS CHRYSELYTRIA. † Subtus coerulea, capite thoraceque cyaneis, elytris cupreo-aureis. Lg. $6'''$. Lat. hum. $2'''$. Tab. IV. f. 14.

Hab. in Deserto Prov. Minarum.

Habitu fere B. rubi Fabr., mucoreae Klug. etc. Tota nitidissima. Subtus laete coerulea; capite ad frontem impresso, thoraceque inaequali marginato cyaneis. Scutellum triangulare, im-

pressum, cyaneum. Elytra subinaequalia, thorace vix latiora, mutica, cupreo-aurea. Antennae cyaneae, pedes coerulei.

Tab. IV. f. 15.

BUPRESTIS AREOLATA. † Obscure aenea; thoracis disco terminato, subcomplanato; elytris pone medium tuberculatis. Lg. 5 1/2'''. Lat. hum. 1 3/4'''.

Hab. in Serra de Tiuba, in mediterraneis Prov. Bahiensis.

Habitu circiter B. mancae Fabr., femoralis Oliv. etc. Tota obscure aenea, subtus argenteo-, supra albido-pilosa. Frons latiuscula. Thorax punctatus, praesertim ad angulos posticos albido-pilosus; disco terminato, complanato, subimpresso. Scutellum vix conspicuum. Elytra thorace haud latiora, ad apicem truncata, mutica, irregulariter elevato-striata: interstitiis punctatis; tuberculo pone medium ad latera oblongo. Sternum medium dilatatum, linea media impressa. Antennae fuscae, pedes aenei.

Tab. IV. f. 16.

BUPRESTIS KLUGII. † Supra glaucescenti-viridis: capite inter oculos lineis duabus, thoracis margine, guttisque 4, et elytrorum emarginatorum guttis 6 cinnabarinis. Lg. 7 1/2'''. Lat. hum. 2'''.

Hab. in Prov. Minarum.

Statura elongata fere B. biguttatae, specierumque affinium; elegantissima. Infra capite, pectore, et abdominis segmentis primo et secundo ad latera carneis; metasterno leviter canaliculato, abdomineque aeneis: hoc maculis 3 albis lateralibus. Caput fronte valde impressa, in medio glauca: puncto nigro. Thorax subquadratus, postice dilatatus, linea media elevata, margine laterali, foveolisque 4 profundioribus ferrugineo-cinnabarinis. Scutellum transversum, nigrum, per lineam transversalem duplex. Elytra ad medium emarginata, singulum linea elevata, apicem muticum non attingente, postice attenuata; glaucescenti-viridia, guttis 6 cinnabarinis, et 4 nigris appositis. Abdomen, ubi elytra aspectum permittunt, utrinque guttis 2 cinnabarinis. Sub lente superficies apparet alutacea, guttaeque coloratae ex tomento subtilissimo constant. Antennae breves, versus apicem serratae, uti pedes, cinerascenti-aenae.

Nominavi hanc speciem, tamquam parvum aestimationis summae signum, nomine Dom. Dr. Klug, Borussiae regi a consil. med. intim., in Mus. zoolog. univers. berol. Direct. etc., Entomologi celeberrimi.

Tab. V. f. 1.

ELATER RUBER. † Rufo-brunneus; thorace postice tuberculato, elytris punctato-striatis, thorace undique et elytrorum basi hirtulis. Lg. 12'''. Lat. hum. 3'''.

Habitat in Brasilia australi, ad S. Pauli civitatem.

Statura et summa affinitas E. rufi Fabr. Rufo-brunneus, thoracis linea media fusca. Caput griseo-setulosum. Antennae serratae, fuscae. Thorax punctatus, postice impressus, tuberculo parvo, angulis posticis acutis; margine undique griseo-setuloso. Scutellum postice rotundatum, setulosum. Elytra capite thoraceque plus quam duplo latiora, striato-punctata, ad basin plica elevata; basi griseo-setulosa.

ELATER FLAVICEPS. † Subtus thoraceque brunneus; elytris pallidioribus; capite et elytrorum maculis 4 flavis. Lg. 5'''. Lat. hum. 1½'''. Tab. V. f. 2.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Habitu circiter E. sanguinei, Ephippii. etc. Totus flavo-pubescens. Subtus brunneus, abdomine flavo-sericante. Caput flavum, oculis fuscis. Thorax brunneus, punctatus, disco convexiusculo, postice dilatatus, angulis acutis. Scutellum brunneum. Elytra ad basin thorace parum angustiora, postice angustata, substriata, subtiliter rugulosa; dilute brunnea: singulum maculis 2 flavis. Antennae capite thoraceque satis longiores, brunneae, flavo-sericantes. Pedes rufo-brunnei.

ELATER ABDOMINALIS. † Capite, pectore et elytrorum basi fulvis; abdomine elytrorumque parte postica nigris: linea fulva. Long. 5½'''. Lat. hum. 1⅔'''. Tab. V. f. 3.

Habitat in Brasilia australi, ad Sebastianopolin.

Caput fulvum, flavo-pubescens, oculis nigris. Thorax fulvus, flavo-pubescens, subtiliter punctulatus, postice dilatatus, tuberculo ad basin parvo, angulis posticis valde acutis. Scutellum fuscum. Elytra striata, in striis perplexe punctata, tenuiter pubescentia, antice fulva, postice nigra: linea fulva usque ad apicem. Antennae capitis et thoracis longitudine, fulvae, flavo-sericantes. Pedes flavi.

ELATER OPHTHALMICUS. † Thorace sanguineo, ad basin maculisque 2 nigris; elytris striatis, antice sanguineis, postice nigris. Lg. 11'''. Lat. hum. 3'''. Tab. V. f. 4.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput cum antennis nigrum, profunde punctatum. Thorax punctatus, sanguineus, ad basin tuberculo parvo, basi et maculis 2 subrotundis nigris, angulis posticis acutissimis. Scutellum nigrum. Elytra striata, in striis perplexe punctata, antice sanguinea, striga laterali nigra; postice nigra. Thorax subtus sanguineus, medio et linea laterali nigris. Pectus et abdomen nigra. Pedes nigro-brunnei.

ELATER APPENDIGULATUS. † Fuscus, flavescenti-pubescens, clypeo porrecto, thorace ad angulos posticos auriculato, elytris striatis. Long. 7⅔'''. Lat. hum. 2'''. Tab. V. f. 5.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Forsan aliquando genus proprium constituturus. Totus brunneo-fuscus, pube griseo-flavescente obtectus. Caput parvum, thoraci profunde insertum. Clypeus prolongatus, caput totum obtegens, medio foveolatus. Antennae subserratae, 11-articulatae: articulo 1° obconico-cylindrico, 2° minuto subgloboso, 3°—10° subaequalibus, 11° lanceolato. Oculi inter clypeum et antennas fere occulti. Mandibulae breves, decussatae, labio fere obtectae. Palpi subsecuriformes. Sternorum structura uti in reliquis. Tarsi filiformes, subaequales. Thorax, praesertim ad mar-

ginem hirtus, postice dilatatus, disco convexiusculo, sulculo in medio impresso, ad angulos posticos lobulis 2 auriculiformibus, nigris. Elytra thorace paullum angustiora, striata: striis perplexe punctatis, ad basin geminatis. In singulo abdominis segmento impressio adest lateralis.

Tab. V. f. 6. ELATER BIDENS Fabr. Obscurus, thorace rugoso, bidentato.

Fabricius, Syst. Eleuth. Tom. II. pag. 227.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Tab. V. f. 7. ELATER GEMINATUS Germ. Thorace canaliculato, ad latera planiusculo; niger, griseo-tomentosus, elytris argute punctato-striatis, interstitiis alternis albidioribus.

Germar, Insect. spec. nov. aut minus cogn. Tom. I. p. 43.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Tab. V. f. 8. ELATER LAMPYRINUS. † Griseo-fuscus; thoracis margine, linea media, striolis 2 transversis, elytrorumque lateribus pallidis. Lg. 6½‴. Lat. hum. 1¾‴.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Habitu E. obscuri Lin. (castanipedis Payk.). Subtus niger, nitidulus, subtilissime flavo-sericans. Caput fuscum, punctulatum. Thorax basi et linea media impressis, disco convexiusculo, postice dilatatus, angulis valde acutis; margine laterali et antico, linea media et striolis 2 transversis griseo-flavis. Elytra subtilissime alutacea, linea ad suturam impressa, flavo-sericantia, ad latera a basi usque prope apicem griseo-flava. Antennae capite thoraceque vix longiores, insigniter serratae, nigrae. Pedes fusci.

Tab. V. f. 9. ELATER MUCRONATUS. † Brunneus, cinereo-pubescens; thorace elongato, elytris punctato-striatis, postice attenuatis, mucronatis. Lg. 6½ — 9½‴. Lat. hum. 2—3‴.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Corpus elongatum, testaceo-brunneum, pube griseo-flavescente obtectum. Thorax elongatus, antice angustatus, angulis posticis acutis, flavidis. Elytra striato-punctata, ad basin thoracis latitudine, postice sensim ac sensim attenuata, ad apicem emarginata, angulo externo dentato. In elytris nonnullorum speciminum fasciae obscuriores obsoletae apparent, sicuti thorax nunc magis, nunc minus nigrescit. Antennae mediae, paene filiformes, fuscae. Pedes testacei.

Tab. V. f. 10. ELATER XYLINUS. † Subtus, capite thoraceque badius, elytris testaceo-badiis; thorace ad latera punctulato, elytris substriatis, ad apicem mucronatis. Lg. 13‴. Lat. hum. 3½‴.

E familia E. lignei Fabr. distincti Hbst. etc. Subtus badius, abdomine dilutiore, valde politus. Caput oculorum cantho interno elevato, fronte profunde impressa. Oculi fusci. Thorax elongato-quadratus, antice parum angustatus, angulis anticis rotundatis, posticis acutis prominentibus; ad latera punctatus, medio nitido, sublaevigato. Scutellum badium. Elytra testacea, badio-strigosa, marginata, sub lente punctorum seriebus longitudinalibus, apice mucronato. Sternum medium insigniter bifurcum, pro sterni antici elongati acuminati receptione. Antennae vix capitis thoracisque longitudine, articulis 2 primis subcylindricis rufis, reliquis compressis, fuscis. Pedes pallide badii.

PIESTOCERA Perty.

(SERRICORNIA: EUCNEMIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae 11-articulatae, articulis compressis. Tarsi antici tibiis breviores, articulis 2° et 3° trigonis, 4° cordiformi; postici tibiis longiores; articulis 1°, 2°, 3° filiformibus, 4° trigono.

Observatio. Unico tantum exemplari concesso, analysin trophorum exhibere non possum. Antennae capite thoraceque plus quam duplo longiores, articulo 1° elongato, angulato, 2° minimo, 3° — 10° latiusculis, compressis, ad apicem truncatis, ultimo lanceolato, reliquis longiore. Caput thoraci profunde insertum, in corporis axem longitudinalem verticale, fronte lata, clypeo trigono. Oculi hemisphaerici. Trophi sub labio magno bifido occulti. Thorax subquadratus, globosus, postice emarginatus: medio prominente; angulis posticis acutis. Antepectus pro pedum anticorum receptione postice excavatum. Prosternum exsertum, acutum. Mesosternum prosterni recipiendi causa emarginatum. Postpectus laminis duabus appendiculatis (uti fere in Eucnemide,) pedes posticos obtegentibus. Hypopygium mucronatum. Pedes quoad longitudinem medii, tenues; antici et medii ob medipectoris brevitatem valde approximati; femora compressa, parum incrassata; tibiae tenues, satis elongatae; tarsi pedum anticorum breves: articulo 1° subcylindrico, 2° et 3° brevibus, trigonis, emarginatis, 4° cordiformi, supra excavato, articulo 5° e praecedentis basi, subcylindrico, paullum curvato. Tarsi pedum mediorum et posticorum tibiis longiores, filiformes: articulo 1° praelongo, 2° breviore, 3° iterum breviore, 4° brevissimo, trigono, 5° subcylindrico, paullum curvato. Unguiculi mutici. Alata; alis completis.

(Nomen genericum e verbis πιεστός compressus, et κέρας, cornu.)

PIESTOCERA DIRCAEOIDES. † Subtus fusca, sericans, capite thoraceque flavo-holosericeis, elytris fuscis, substriatis. Lg. 5½‴. Lat. hum. 1½‴. Tab. V. f. 11.

Pectus anticum cum sterno flavo-holosericeum. Medipectus, postpectus et abdomen fusca, albido-sericantia. Caput fronte latiuscula, holosericeum. Oculi fusci. Thorax laete flavo-holosericeus, versicolor, linea media impressa. Scutellum fuseum, striola media impressa. Elytra fusca, ad basin thorace fere angustiora, versus apicem parum dilatata, postice rotundata; fusca, paullum albido-sericantia, ad marginem pubescentia, substriata, sub lente subtilissime alutacea. Antennae fuscae. Pedes fusci, albido-sericantes. Alae fuscae.

CERATOGONYS Perty.

(SERRICORNIA: CEBRIONIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae 11-articulatae, fractae, articulo tertio bifurco. Tarsi filiformes, sensim ac sensim attenuatae.

Observatio. Museum, pro dolor! etiam hujus animalculi singularis specimen tantum unicum possidet. Antennae post articulum primum fractae, seu articulorum 10 ultimorum axis in primi axi verticaliter imposita est. Articulus primus cylindricus versus apicem incrassatus, secundus brevissimus, tertius bifurcus, ramo exteriore breviore, quartus sequentibus brevior, reliquis sensim ac sensim magis elongatis, compressis, ad apicem oblique truncatis, quare antenna serrata apparet; ultimus gladiiformis. Caput exsertum, clypeo rotundato, labio nullo conspicuo, mandibulis decussatis. Oculi subhemisphaerici. Thorax postice dilatatus, angulis posticis prominentibus, valde acutis. Scutellum antice truncatum, postice rotundatum. Prosternum exsertum, acutum, a mesosterno profunde excavato recipiendum. Pedes quoad longitudinem medii, graciles, tarsorum articulis a basi versus apicem sensim ac sensim tenuioribus; articulo 4° brevissimo, 5° subtilissimo, magis elongato, unguiculo mutico. Anus muticus. Alata; alis completis.

(Nomen genericum e verbis κέρας, cornu, γόνυ, genu.)

Tab. V. f. 12. CERATOGONYS RUFITHORAX. † Capite, thorace et antennis ferrugineo-rufis; elytris nigris, striatis. Lg. $4\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$.

Pectus anticum cum sterno ferrugineum; medium, posticum et abdomen fusca, albido-sericantia. Caput punctulatum, inter antennas excavatum, vertice convexiusculo. Thorax postice dilatatus, punctulatus, nitidulus, parce pilosus. Scutellum fuscum, politum. Elytra thorace vix latiora, ad apicem rotundata, striata, subnitida; sub lente rugulosa, parce pilosa, marginulo inflexo. Antennae ferrugineae, versus apicem pallidiores. Pedes picei: tarsorum articulis extremis, tibiarum basi femoribusque anticis ferrugineo-rufis.

DREPANIUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae 11-articulatae, submoniliformes, versus apicem incrassatae. Mandibulae falcatae. Femora clavata. Tarsi subfiliformes.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque breviores, 11-articulatae: articulo 1° cylindrico, 2° minimo, 3° et 4° obconicis, sequentibus compresso-globulosis, subperfoliatis, ultimo ovato globoso. Labium superius clypeo fere obtectum, transversum, breve, membranaceo-corneum, hispido-ciliatum. Mandibulae totae

exsertae, capitis fere longitudine, validae, corneae, falcatae, supra convexiusculae, subtus parum excavatae. MAXILLAE mandibulis breviores, stipite corneo; mala bipartita, tenui, membranacea. PALPI 4, filiformes; maxillares 4-articulati: articulo 1° minimo, 2° reliquis longiore, cylindrico, versus apicem incrassato, 3° praecedente et sequente breviore, cylindrico, 4° cylindrico, truncato; LABIALES triarticulati: articulo 1° minimo, 2° et 3° subcylindricis. LABIUM INFERIUS admodum breve, transversum. CAPUT thoraci profunde insertum, nutans. THORAX angulis posticis acutis. SCUTELLUM antice truncatum, postice rotundatum. PROSTERNUM paullum exsertum, acuminatum, a mesosterno parum excavato recipiendum. MEDIPECTUS breve, quare pedes antici et medii valde approximati. MESOSTETHIUM canaliculatum. PEDES quoad longitudinem medii, robustissimi: femoribus omnibus clavatis, trochanteribus, praesertim posticis valde magnis, tibiis subcompressis, versus apicem dilatatis, tarsis tenuibus, subfiliformibus, apicem versus attenuatis: articulo ultimo tenui elongato, unguiculis muticis. ANUS muticus. Alatus, ALIS completis.

(Nomen genericum a verbo δρέπανον, falx, ob mandibulas falciformes.)

Observatio. De familia hujus coleopteri valde memorabilis dubito. Quoad prosterni et mesosterni structuram ad Serricornia accedit, sed antennarum forma magis cum Cleriis convenit; tarsorum figuram cum Elateribus, mandibularum formam fere cum Histeris participat; sed femora omnia clavata typi omnino alieni sunt.

DREPANIUS CLAVIPES. † Niger, thorace sanguineo, elytris punctato striatis, femoribus omnibus clavatis. Lg. 7—8'''. Lat. hum. 2—2½'''. Tab. V. f. 15.

Hab. in Prov. Piauhiensi.

Subtus niger, nitidulus, punctatus; parapleurae linea longitudinali impressa. Caput nigrum, ruguloso-punctatum, trophis picescentibus. Thorax nitidus, sanguineus, margine postico extremo nigro; antice parum angustatus, convexus, punctulatus. Scutellum punctulatum, nitidulum. Elytra nigra, subnitida, thorace vix latiora, postice parum angustata, profunde punctato-striata. Antennae fuscae. Femora nigra, tibiae ferrugineo-hispidae, tarsi picescentes.

FAMILIA: MALACODERMATA.

ATRACTOCERUS DIPTERUM. † Brunneo-fuscus, pectore et abdomine subtus brunneis; thoracis linea pallida; abdominis segmento penultimo foliaceo-dilatato. Lg. 13—17'''. Lat. hum. 2—2½'''. Tab. V. f. 16.

Hab. in montibus Provinciae Minarum.

Adnotatio. Animalculum valde singulare et memorabile. Prope tu credideris, naturam quasi haesisse, an Coleopteron, an Dipteron crearet, tantopere illud formationis typum utriusque ordinis participat. Alteram speciem, Africae indigenam (A. necydaloides Pal. de Beauv., Lyme-

xylon abbreviatum Fabr.), quoad e definitionibus intelligere possum, praecedenti satis affinem, non novi; aeque nescio, an celeberr. Palisot de Beauvois descriptionem partium specialem dederit, cum commentariolum ejus, contentum in Ephemeridibus „Magazin encyclopédique“ dictis, videre non potuerim.

Corpus elongatum, corneo-membranaceum. Caput cum oculis subrotundum, paullo depressum. Oculi caput fere totum obtinentes, sutura valde angusta separati, depresso-hemisphaerici, sub lente insigniter lacunosi. Vertex brunneo-fuscus, linea media pallida, saepius obsoleta. Thorax capitis longitudinem aequans, vix octavam reliqui trunci partem longus, semi-annularis, antice parum angustior; pubescens, brunneo-fuscus, stria media pallida, et in stria linea impressa. Elytra subquadrata, thorace breviora, valde inter se remota, ad suturam non collidentia, fusco-brunnea; brevissima, abdominis partem vix duodecimam aequantia. Antepectus et medipectus brevissima, postpectus elongatum, convexiusculum, glabratum, supra e segmentis 3 constans, infra continuum. Abdominis segmenta 7 marginata, margine sursum flexo; penultimo margine laterali dilatato, membranaceo.

Antennae 11-articulatae, subfusiformes, capite minime longiores, apicem versus attenuatae, articulis duobus basalibus dente antrorsum recto munitis. Mandibulae curvatae, breves, pilis obtectae. Palpi labiales mexillaribus multo breviores, testacei, articulo ultimo ad apicem papilla parva, subulata. Palpi maxillares maximi, pectus versus retroflexi, clava subpectinata fusca. Pedes tenues, tibiis tarsisque elongatulis: his filiformibus, unguiculo mutico. Alae abdominis fere longitudine, albidae, costis 7 brunnescentibus, quarum secunda et tertia anastomosant.

Tab. VI. f. 1. HOMALISUS BLATTINUS. † Latus, fusco-niger, thoracis margine antico flavo, reflexo. Lg. 10'''. Lat. hum. $4\frac{1}{2}$'''.

Habitat in Prov. Minarum.

Latus, depressus, fusco-niger. Caput sub thorace occultum. Palpi maxillares articulo ultimo maximo, flavo. Antennae thorace longiores, vix serratae, fuscae. Thorax antice prominulus, margine reflexo, flavo. Margo etiam thoracis posticus et elytrorum basis angustissime flavicantes. Scutellum fuscum, ad basin puncto flavo. Elytra lata, fusca, ad apicem rotundata, striarum duarum vestigiis, sub lente subtilissime alutacea. Pedes fusci. Alae fuscescentes.

Tab. VI. f. 2. HOMALISUS SCISSIVENTRIS. † Latus, supra brunneo-fuscus; thoracis striis duabus latis, elytri singuli ad basin macula, et post medium fascia pallidis; antennis pectinatis. Long. 5'''. Lat. hum. $2\frac{1}{3}$'''.

Habitat in Prov. Minarum.

Caput sub thorace absconditum. Antennae fuscae, thorace duplo-longiores, 11-articulatae, articulis ultimis 9 pectinatis. Thorax disco margineque laterali brunneo-fusco, intra marginem pallide flavus. Elytra lata, brunneo-fusca, maculis et fascia etiam subtus visibilibus. Pedes pallidi, tarsis obscurioribus. Segmenta abdominis postice dentata, quare abdomen interscissum apparet. Alae fuscescentes.

HOMALISUS TELEPHORINUS. † Fuscus, ore, thoracis marginibus latis, elytrorum basi, sutura usque ad medium et fascia media flavis. Long. $6'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{2}'''$. Tab. VI. f. 3.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Certo ad Telephoros inclinat, sed oculis valde magnis, globosis, et antennis ad basin approximatis huic generi adscribendus. Caput fere totum sub thorace reconditum, paullo elongatum. Genae flavae. Thorax antice rotundatus, postice truncatus, margine late flavo. Elytra ad medium latiora, fascia transversa flava, ad suturam postice paullo dilatata. Segmenta abdominis duo penultima macula ad medium flava. Pedes nigri. Alae fuscescentes.

DICTYOPTERA PICIPENNIS. † Piceo-brunnea, thoracis margine flavo, elytris reticulatis, postice dilatatis. Long. $5\frac{1}{2}—6\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}—1\frac{1}{2}'''$. Tab. VI. f. 4.

Homalisus picipennis Tab. nostr.

Hab. in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Statura Lyci reticulati, fasciati Fabr. etc. Totus piceo-brunneus, thoracis margine laterali lato, femorumque basi flavis. Antennae nigrae, compressae, corpore breviores, serratae. Thorax postice dilatatus, angulis acutis. Elytra postice dilatata, lineis elevatis longitudinalibus, interstitiis transversim crenatis. Pectus et abdomen nigra. Alae fuscae.

HOMALISUS MOESTUS † Totus fuscus, opacus, thorace antice rotundato, postice truncato, antennis compressis, serratis. Lg. $6'''$. Lat. hum. $1\frac{3}{4}'''$. Tab. VI. f. 5.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Totus grisescenti-fuscus, unicolor, parallelus. Antennae corpore breviores. Alae fuscae.

LAMPYRIS VITELLINOTHORAX †. Nigra, pedibus anticis, thorace antennarumque basi vitellinis; his pectinatis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{4}'''$. Tab. VI. f. 6.

Habitat prope Ilheos in Prov. Bahiensi.

Lampyridarum familia hucusque non definitive digesta. Haec species forsan potius Homaliso adscribenda est. Caput sub thorace reconditum, oculis maximis, globosis. Antennae thorace duplo longiores, 11-articulatae, articulis 2 basalibus flavis, 9 ultimis pectinatis, nigris. Thorax vitellinus, ad marginem impressus. Elytra parallela, nigra, sub lente alutacea, striarum nonnullarum vestigiis. Pectus et abdomen fusca, lucernula ad anum pallida. Alae fuscae. Pedes antici flavi, posteriores fuscescentes.

LAMPYRIS CONCOLOR. † Latiuscula, tota pallide testacea, oculis nigris, nitidis; elytris ad marginem depressioribus. Lg. $8'''$. Lat. hum. $3'''$. Tab. VI. f. 7.

Corpore latiusculo, elongato-ovato. Supra pallide-testacea, pectore et abdomine rufescenti-testaceis. Oculi maximi, nigri. Thorax antrorsum prolongatus, postice recte truncatus, disco obscuriore, margine subreflexo. Elytra oblongo-ovata, versus marginem lateralem depressiora, disco elevatiore. Pedes pallide testacei. Lucernulae non adsunt. Alae fuscescenti-albidae.

Tab. VI. f. 8. LAMPYRIS COSSYPHINA. † Elongato-elliptica, testacea, oculis maximis, nigerrimis, antennis filiformibus, thoracis margine reflexo, elytris substriatis. Lg. 6‴. Lat. hum. 2 ⅓‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Elongato-elliptica, lateribus subparallelis. Caput sub thorace reconditum. Oculi maximi, caput fere totum obtinentes, nitidi. Antennae thorace vix longiores, subfractae, articulo primo satis elongato, pallide fuscae. Thorax antice rotundatus, postice recte truncatus, disco elevato, margine laterali et antico reflexis. Elytra thorace parum latiora, subparallela, ad apicem rotundata, ad marginem depressiora, striis in disco nonnullis paullo obscurioribus, obsoletis. Pectus, abdomen et pedes rufescenti-testacea. Abdominis segmenta subangulata, imbricata. Lucernulae non adsunt.

Tab. VI. f. 9. TELEPHORUS XANTHOMELAS. † Latiusculus, niger; thoracis margine reflexo, elytrorum fascia, et margine laterali antico flavis. Long. 7 ½‴. Lat. hum. 2 ⅓ — 2 ⅔‴.

♂ Elytris angustioribus, elevato-punctatis, ad apicem subacuminatis, femoribus posticis crassioribus.

♀ Elytris latioribus, laevibus.

Habitat in Serra do Caraça Prov. Minarum.

Caput cum antennis filiformibus nigrum. Thorax transversus, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatis; niger, margine antico et laterali late flavis. Elytra thorace non multum latiora, postice paullum dilatata, plana, humeris elevatis, nigra. Fascia elytrorum flava versus suturam angustata, ad marginem lateralem antrorsum contingit usque ad basin, humeros vero non attingit; retrorsum parum extenditur. In individuis nonnullis fascia suturam non attingit. Subtus pedibusque totus niger. Alae fuscae. Abdominis segmenta in maribus supra flavo-marginata.

Tab. VI. f. 10. TELEPHORUS FENESTRATUS. † Niger, thoracis margine laterali fulvo; in elytri singuli medio macula alba. Lg. 6‴. Lat. hum. 1 ⅔‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Subtus cum pedibus niger. Caput cum antennis filiformibus nigrum. Thorax subdiscoideus, antice posticeque truncatus, margine fulvo. Elytra thorace minime latiora, parallela, nigra, planiuscula: singulum macula fere media subreniformi alba. Alae fuscae.

Tab. VI. f. 11. TELEPHORUS CYANOMELAS. † Niger, capite thoraceque nitidis, elytris cyaneis. Lg. 6‴. Lat. hum. 1 ⅔‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Subtus cum pedibus niger, pectore et abdomine passim albido-sericeis. Caput cum antennis nigrum, politum, fronte impressa, mandibulis brunneis. Thorax subquadratus, angulis anticis rotundatis, ad latera impressus; niger, politus, margine ciliato. Scutellum nigrum. Elytra thorace parum latiora, ad apicem inflexa, nigro-cyanea, subtiliter rugulosa. Alae fuscae.

MALTHINUS ABDOMINALIS. † Fusco-niger, abdomine fulvo, elytris testaceis: regione scutellari et maculis duabus oblongis ante apicem fuscis. Lg. 5'''. Lat. hum. 1 1/2'''. Tab. VI. f. 12.

Telephorus malthinius, Tab. nostrae.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Haec species, quam prius Telephoris adscripsi, disquisitione repetita ad Malthinos revocanda est. Caput valde elongatum, thorax, pectus et anus fusca. Thorax marginatus, inaequalis, antice angustatus. Scutellum pallidum. Elytra thorace parum latiora, plana, postice attenuata, regione scutellari et macula oblonga ante singuli apicem fuscis. Antennae capite thoraceque satis longiores, filiformes, nigrae. Abdominis segmenta quinque prima fulva. Pedes fusci. Alae fuscescentes.

DASYTES ANTIS. † Violaceus, elytrorum fascia lata testacea; thorace et elytris ad basin villosis. Long. 7'''. Lat. hum. 2 1/2'''. Tab. VI. f. 13.

Hab. inter S. Pauli civitatem et Villam riccam.

Subtus nigro-coeruleus, nitidus. Caput violaceum, satis elongatum. Thorax elytrorum latitudine, violaceus, nitidus, margine reflexo, nigro-villoso. Elytra convexa, nitida, postice paullum dilatata, ad apicem declivia, sub lente punctulata, violacea: fascia lata media, postice ad suturam paullo dilatata, brunneo-testacea. Antennae capite thoraceque vix longiores, compressae, nigrae. Pedes nigro-coerulei. Alae nigro-fuscae. (Antis idem significat, uti gigas.)

DASYTES CYANERYTHRUS. † Cyanescenti-niger, villosus; thoracis margine undique et stria media, elytrorum sutura, margine laterali, et fasciis duabus fulvis. Lg. 4 1/4'''. Lat. hum. 1 2/3'''. Tab. VI. f. 14.

D. variegato Germ. major. Subtus niger, subnitidus, villosus. Thorax elytris parum angustior, subdiscoideus, margine laterali paullum reflexo; villosus, fulvus, maculis duabus subreniformibus, cyanescenti-nigris. Elytra parallela, convexa, ad apicem declivia, praesertim ad basin villosa, sub lente alutacea, nigro-cyanea: margine laterali et postico, fascia media et apicali fulvis. Antennae capite thoraceque breviores, subserratae, nigrae. Pedes nigri, villosi. Alae fuscescentes.

DASYTES 6-MACULATUS. † Cyaneus, aut virescenti-coeruleus, thorace villoso, elytrorum maculis sex testaceis. Lg. 4'''. Lat. hum. 1 1/2'''. Tab. VI. f. 15.

Hab. inter S. Pauli civitatem et Villam riccam.

Praecedente paullo minor, et magis deplanatus. Subtus cyaneus, aut chalybeus, nitidus, subvillosus. Caput chalybeum, nitidum. Thorax elytris vix angustior, cyaneus, villosus: villis nigris. Scutellum nigrum. Elytra parallela, subdeplanata, sub lente punctulata, cyanea: singulum maculis tribus: prima parva basali, secunda media majore subquadrata, tertia ante apicem. Maculae quoad situm et magnitudinem paullo variant. Antennae capite thoraceque longiores, graciles, subserratae, ad basin brunneae, apicem versus nigrae. Pedes chalybei. Alae fuscescentes.

Tab. VI. f. 16. AXINA RUFITARSIS. † Subtus piceo-brunnea, abdominis apice testaceo; vertice, thorace supra, tarsisque pallide rufis; elytris testaceis, fascia postica punctisque numerosis brunneis. Lg. 5½'''. Lat. hum. 1'''.

Notoxus rufitarsis Tab. nostr.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Ab A. anali Kirby satis distincta. Oculi maximi, caput villosum fere totum obtinentes, nigri, insigniter lacunosi. Thorax cylindricus, circiter duplo longior, quam latior, villosus, supra rufus, subtus uti ad latera niger. Scutellum minutum, brunnescens. Elytra thorace paullo latiora, linearia, postice parum dilatata, deplanata, ad apicem rotundata, albido-hirsutula; testacea, punctis numerosis vage impressis et fascia ante apicem brunneis. Abdominis segmentum penultimum et ultimum flava. Antennae capite thoraceque longiores, serratae, testaceae. Pedes albovillosi, picei, tibiis ad apicem tarsisque rufis. Alae albidae.

FAMILIA: STAPHYLINII.

Tab. VII. f. 1. OSORIUS ATER. † Aterrimus, nitidus, capite utrinque corniculo porrecto, antennis tarsisque piceis. Lg. 6½'''. Lat. hum. 1½'''.

Leïstotrophus ater Tab. nostrae.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Cylindricus, parallelus, politus. Caput subconvexum, laevigatum, puncto medio impresso, corniculo utrinque porrecto, obtuso. Labium superius in hoc genere brevissimum, latissimum. Palpi omnes subfiliformes, articulo ultimo subulato, brunnei. Mandibulae edentatae. Antennae moniliformes, apicem versus vix crassiores, brunnescentes. Thorax convexus, antice capitis latitudine, postice angustatus, marginulo laterali reflexo, uti caput sub lente vage et subtiliter punctulatus. Elytra thorace vix longiora, ad suturam linea impressa. Abdomen cylindricum e segmentis 6 constat. Coxae et femora validissima. Tibiae compressae, subtriangulae, dentatae uti fere in Histeris. Tarsi minuti et tenues articulos quinque distinctos mihi offerunt.

Adnotatio. Museum adhuc speciem minorem possidet, capitis corniculis brevissimis, pedibus brunneis, quae O. brunnipes a me vocata est.

Tab. VII. f. 2. STAPHYLINUS RUTILUS. † Aureo-viridis, nitidus; pectore, pedibus elytrisque brunneo-flavis: his aureo-micantibus. Lg. 4⅔'''. Lat. hum. 1¼'''.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

E familia St. splendentis, aenei etc. Caput viridi-aureum, nitidissimum, laevigatum, striola et puncto utrinque intra oculum, punctis 2 utrinque pone oculum, et punctorum serie irregulari ad marginem posticum impressis. Mandibulae nigrae. Palpi brunnei. Thorax viridi-aureus, nitidissimus, punctis 2 utrinque ad angulum anticum, et uno ad angulos posticos valde rotundatos impressis. Scutellum magnum, dilute brunneum, varie punctulatum. Elytra flavo-brunnea, aureo-micantia, punctulata, ad apicem ciliata. Abdomen viride, nitidum, apice flavicante. Antennae capite thoraceque breviores, ad basin brunneae, apice-grisescenti-piloso, articulo ultimo flavicante. Pedes brunneo-flavi.

STAPHYLINUS CYANELYTRIUS. † Ater, elytris cyaneis, abdominis apice laete flavo. Lg. 4 2/3'''. Lat. hum. 1 1/3'''. Tab. VII. f. 3.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Statura et magnitudine St. haemorrhoidalis Germ., a quo vero, sicuti a St. haemorrhoidali Fabr. non aegre distinguendus. Subtus ater, punctulatus. Abdomen apicem versus pubescens, segmento ultimo et penultimo ad dimidium laete flavis. Caput latiusculum, planum, nigrum, nitidum, vage punctulatum. Palpi brunnei. Thorax punctulatus, niger, subnitidus. Elytra laete cyanea, pubescentia, sub lente ruguloso-punctata. Antennae brunneae, versus apicem fuscescentes. Pedes nigri.

STAPHYLINUS BIPLAGIATUS. † Capite cerino, thorace aeneo, elytris flavo-brunneis: singulum macula aeneo-fusca; abdominis segmentis ad basin nigris. Lg. 9'''. Lat. hum. 2 1/4'''. Tab. VII. f. 4.

Hab. in montibus Prov. Minarum.



Subtus flavo-brunneus, postpectoris lateribus aureo-holosericeis. Abdomen pubescens, segmentis ad basin nigris. Caput etiam subtus cerinum, aeneo-micans, punctulatum, oculis fuscis. Mandibulae cerinae, apicem versus fuscae. Thorax cupreo-aeneus, nitidus, punctulatus, linea media elevata, laevigata. Scutellum aeneum. Elytra flavo-brunnea, pubescentia, postice paullum dilatata: singulum macula transversa aeneo-fusca, suturam non attingente. Antennae fuscae. Pedes brunneo-flavi. Coxae posticae calcari munitae.

STAPHYLINUS SAPHYREUS. † Splendide cyaneus, nitidus, femoribus rufis; antennis, tibiis tarsisque nigris. Lg. 8 1/2'''. Lat. hum. 1 3/4'''. Tab. VII. f. 5.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

St. fulgenti Fabr. affinis, ast femoribus rufis satis distinctus. Magnitudine St. cyanei F. Subtus et supra splendidissime et clare cyaneus, laevis, nitidissimus. Mandibulae nigrae. Palpi picei. Labium superius parvum, flavicans. Caput intra oculos utrinque foveola parva. Thorax ad angulos posticos utrinque puncto impresso. Scutellum impressum, punctulatum. Elytra ad suturam impressa, postice oblique introrsum emarginata. Femora ferrugineo-rufa, tibiae et tarsi nigro-picescentes.

LEÏSTOTROPHUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae subclavatae. Caput complanatum, latissimum. Tarsi posteriores elongati, filiformes, attenuati.

Adnotatio. Habitu et notis plurimis a Staphylinis recedit. Antennae capitis thoracisque latitudine, tenues, intra et paullum ante oculos insertae, 11-articulatae: articulo 1° longissimo, obconico-cylindrico, 2° brevissimo et 3° 4° 5° subcylindricis, reliquis submoniliformibus, sensim incrassatis, et clavam valde elongatam formantibus, ultimo ovato. Labium superius grande, transversum, ad medium profunde fissum, antice membranaceum, rotundatum. Mandibulae fere capitis longitudine, tenues, decussatae, dente robusto seu potius angulo acuto interne ad medium longitudinis. Palpi uti in Staphylinis. Caput thorace multo latius, complanatum, subangulatum, fronte plana, latissima. Collum adest distinctum, ast breve. Thorax elytris angustior, antice dilatatus, angulis acutis, postice angustatus, rotundatus, ad latera paullulum emarginatus. Scutellum magnum. Elytra thorace et abdomine satis latiora, epipleuris instructa. Abdomen elytris parum longius, muticum. Postpectus latissimum, crassissimum. Femora anteriora latiuscula, postica tenuiora, cylindrica, elongata. Trochanteres medii calcarati. Tibiae posticae elongatae. Tarsi antici articulis 4 primis dilatatis, medii et postici elongati, filiformes, sensim ac sensim attenuati. Alae completae.

(Nomen genericum a verbo λεϊστοτροφέω, praeda vivo.)

Tab. VII. f. 6. LEÏSTOTROPHUS GRAVENHORSTI. Supra virescenti-fusco-flavoque variegatus, holosericeus, elytris thorace et abdomine latioribus, inaequalibus. Lg. 8‴. Lat. hum. 2¾‴.

Staphylinus Gravenhorsti Tab. nostrae.

Caput fuscescens. Thorax inaequalis, pubescens, flavo-et fusco-varius. Scutellum impressum. Elytra inaequalia, variegata, pubescentia, humeris et epipleuris e parte flavo-brunneis. Abdominis pubescentis segmenta primum, secundum, quintum et sextum flavicantia, tertium et quartum fusca. Pectus nigrum. Antennae flavae, clava fuscescente. Pedes nigro-flavoque varii.

Nominatus in honorem D. Drs. Gravenhorst, auctoris de Staphyliniorum historia excellentis, Entomologi celeberrimi.

Tab. VII. f. 7. LEPTOCHIRUS BRUNNEO-NIGER. † Capite et abdomine nigris, thorace elytrisque castaneis. Lg. 6‴. Lat. hum. 1¼‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

L. scoriaceo Germ. minor. Caput subtus brunneum, supra nigrum, politum, linea longitudinali profunde impressa. Mandibulae multidentatae, concavae, infra planae. Labium superius breve, transversum, paullum emarginatum. Mentum transversum, lateribus emarginatis antice angustius; subtus impressum. Maxillae stipes externe sub palpo processu dentiformi, an-

trorsum recto. Thorax castaneus, planus, politus, quadratus, angulis posticis rotundatis, linea media longitudinali impressa; a scutello et elytris per Collare distinctus. Scutellum valde minutum, laeve, castaneum. Elytra thoracis latitudine, castanea, polita, lateribus versus apicem rotundatis, linea ad suturam impressa. Abdomen cylindricum, nigrum, elytris angustius, segmento anali conico. Pectus brunneum. Antennae capite thoracisque longitudine, moniliformes, nigrae, flavescenti-pilosae. Pedes nigri: tibiis anticis externe denticulatis, posterioribus muticis. Tarsi brunnei, distincte quinque-articulati, ungulis vix elongatis, intus muticis.

PAEDERUS SEMICYANEUS. † Subtus, et abdomine niger, capite thorace et elytris cyaneis. Lg. $6'''$. Lat. hum. $\frac{5}{6}'''$. Tab. VII. f. 8.

Caput, thorax et elytra ruguloso-punctulata. Abdomen subcylindricum. Antennae capitis fere et thoracis longitudine. Pedes nigri, tarsorum articulo quarto bifido.

PIESTUS OXYTELINUS. † Castaneus, abdomine et antennis corpori quoad longitudinem aequalibus nigris, capite bicorni, elytris sulcatis. Lg. $3\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $1'''$. Tab. VII. f. 9.

Hab. in Provincia Piauhiensi.

Adnotatio. Piesti genus, a celeberr. Gravenhorst conditum, e parte oblitum, et hucusque non rite cognitum videtur. Species, quam hic offero, quoad characteres essentiales cum Piesto optime convenit. Prognathae genus, a celeberr. Latreille introductum, notis tantum minoris momenti a Piesto recedit; si vero ab hoc separare volueris, speciem sequentem etiam Prognathae adscribere poteris.

Depressus, latiusculus, subnitidus. Caput brunneo-nigrum, triangulare, thorace angustius, foveis duabus inter oculos, collo distincto at brevi, clypeo utrinque corniculo antrorsum recto. Antennae corporis longitudine, 11-articulatae: artic. 1° maximo, clavato, 2° quam sequens breviore, obconico, 3° cylindrico-obconico, sequentibus cylindricis. Articuli tres basales brunnei, reliqui fusci, griseo-pilosi. Labium superius sub clypeo reconditum, ciliatum. Mandibulae capitis paene longitudine, satis tenues, porrectae, non decussatae, ante apicem emarginatae. Palpi omnes subfiliformes, articulo ultimo paullum crassiore. Thorax transversus, postice oblique introrsum truncatus, punctulatus, planus, impressione utrinque ad angulos posticos. Collare adest. Scutellum satis magnum, apice nitido. Elytra subquadrata, thoracis latitudinem aequantia, epipleuris munita, singulum sulcis 5 aut 6. Abdomen elytris parum angustius, parallelum, punctulatum, margine laterali reflexo. Pedes breviusculi, satis validi. Tibiae pro tarsis recipiendis ad latus externum non profunde canaliculatae, muticae: anticae vix serrulatae. Unguiculi intus mutici.

FAMILIA: NECROPHAGA.

Tab. VII. f. 10.

SCAPHIDIUM CASTANEUM. † Ferrugineo-badium, nitidum; thoracis disco postice elevato, regione elytrorum suturali impressa. Lg. 2 ½'''. Lat. hum. 1 ⅓'''.

Statura et magnitudine fere Sc. immaculati. Castaneum, unicolor, valde politum. Antennarum clava fusca. Thorax antice angustatus, postice utrinque transverse impressus, disco retrorsum elevato. Scutellum profunde situm, subconvexum. Elytra vage, ad apicem densius punctulata, regione suturali profundiore, linea ad suturam apicemque impressa, ad basin crenulata, marginulo elevato. Pedes elongati, tenues.

Tab. VII. f. 11.

PELTIS BRASILICA. † Oblonga, parallela, brunneo-picea, thorace laevigato, elytris punctato-striatis. Lg. 4'''. Lat. hum. 1 ⅔'''.

Hab. in Deserto Prov. Minarum.

Caput punctulatum, inter oculos impressum. Thorax antice profunde emarginatus, margine laterali reflexo; politus, sub lente vage punctulatus. Elytra thorace parum latiora, parallela, plana, postice rotundata, ad apicem vix emarginata, insigniter punctato-striata, nitida. Antennae fere capitis thoracisque longitudine, submoniliformes, apicem versus crassiores, brunneae. Pedes et abdomen dilute brunnea.

Tab. VII. f. 12.

NITIDULA SETULOSA. † Ferruginea, thorace elytrisque marginatis, nigrovariis, albido-setulosis. Lg. 2 ¼'''. Lat. hum. 1 ½'''.

Statura et magnitudine fere omnino N. marginatae. Subtus tota ferruginea, pedibus dilutioribus. Caput cum antennis fuscescens. Oculi nigri, insigniter lacunosi. Thorax et elytra ferruginea, margine reflexo, dilutiore, disco nigro-vario; setulosa, setulis albidis, in elytris longitudinaliter positis.

FAMILIA: HISTEROIDAE.

LASIODACTYLUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae 12-articulatae, clava quadriarticulata compressa terminatae. Tibiae latiusculae, muticae. Tarsi articulis tribus primis dilatatis, subbilobis, villosis, quarto minimo. Corpus depressum, latum, elongato-subquadratum, parallelum.

Observatio. Coleopteron difficile extricandum, praesertim, cum unicum tantum exemplar in museo adsit. Antennae proxime ante oculos insertae, capite thoraceque breviores, 12-articulatae: art. 1° maximo, cylindrico, curvato, 2° et 3° subcylindricis, sequentibus quatuor brevibus, subovatis, 8° brevi, obconico, reliquis quatuor, quorum ultimus valde minutus, clavam subovatam compressam formantibus. Mandibulae capite breviores, supra emarginatae, latissimae, apice

terminatae, ante apicem denticulo introrsum recto. Palpi filiformes. Oculi maximi, insigniter lacunosi. Clypeus brevis, transversus, a fronte lata per sulcum separatus. Thorax transversus. Elytra thoracis latitudine, parallela, postice subtruncata, abdomen vero totum obtegentia, epipleuris parvis instructa. Prosternum satis elevatum, sed non carinatum. Antepectus et medipectus cavum inter se formant, pro pedum anticorum receptione. Mesostethium planum, metasterno non distincto. Parapleurae pro pedibus mediis minime excavatae. Abdomen muticum. Pedes breviusculi, validi; antici ad basin approximati, posteriores longe distantes, omnino uti in Histeris. Femora compressa, latiuscula, pro tibiis recipiendis ad latus internum non profunde canaliculata. Tibiae compressae, apicem versus satis dilatatae, minime curvatae, muticae, ad femora replicandae, infra canaliculatae. Tarsus brevis, articulis 3 primis dilatatis, praesertim tertio bilobo, villosis, articulis duobus ultimis e tertii basi; 4° minimo, 5° satis elongato, biunguiculato, unguiculis intus muticis. Alatus.

(Nomen genericum e verbis λάσιος, lanatus, et δάκτυλος, digitus.)

Adnotatio. De familia adhuc dubito. Quoad corpus subquadratum, mandibulas, pedum posteriorum remotionem Lasiodactylus certo cum Histeris convenit, sed tibiis muticis et compressa antennarum clava, ex articulis distinctis composita, Necrophagis multum affinis. Si spectas ad tarsorum figuram, negari non potest, affinitatem propinquam cum tarsis Cerambycinorum adesse. Si articulum quartum tantum pro tumore ad quinti basin habere volueris, hoc Coleopteron sane ad Tetramera referre poteris; attamen propter affinitatem magnam cum Histeris et Necrophagis, et convenientiam in structura generali huc collocandum mihi videtur.

LASIODACTYLUS BRUNNEUS. † Brunneo-castaneus, politus, elytris substriatis, subtilissime geminato-punctatis. Lg. $4\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{4}'''$. Tab. VII. f. 13.

Hab. in Prov. Piauhiensi.

Caput nigrescens, punctulatum, fronte impressa. Thorax transversus, lateribus rotundatis antice parum angustior, subtilissime punctulatus. Elytra sub lente geminato-punctata, interstitiis laevibus, minime ac vix minime elevatis; marginulo laterali reflexo, postice rotundato-subtruncata. Antennarum clava et tarsorum villi flavescentes.

TRYPONAEUS THORACICUS Fabr. Cylindricus, ater, nitidus, thorace elytris longiore. Tab. VII. f. 14.

Bostrichus thoracicus; *Fabricius, Syst. Eleuth. Tom. II. p.* 324.
Tryponeus thoracicus; *Eschscholtz*, *Zoolog. Atlas.* 1. *Heft p.* 10. *t.* 4. *f.* 7.

Tabula nostra jam incisa fuit, priusquam celeberr. Eschscholtzi opus supra citatum videre potui. Bostrichi species Fabricianae: thoracicus, proboscideus, bipustulatus, sane proprii generis valde distincti et memorabilis, quod Histeroidis adscribendum est, eosque cum Bostrichinis conjungit. Corpus cylindricum, aterrimum, supra nitidissimum. Clypeus prolongatus, trophos obtegens, in mare integer, opacus, in femina brevior, apice paullum emarginato. Antennae fere capitis longitudine, 11-articulatae: art. 1° maximo, reliquis novem minutissimis, valde approximatis, ultimo maximo, compresso, tomentoso. Mandibulae validissimae, crassae, decussatae, sub clypeo omnino occultae, et os a lateribus totum claudentes. Palpi subfiliformes. Thorax quoad

longitudinem reliquo trunco aequalis, sub lente subtilissime et vage punctulatus, in mare antice tuberculo duplici medio, et utrinque impressione laterali punctulata, in femina antice insignius punctulatus, tuberculi et impressionis tantum vestigiis. Scutellum minutissimum, vix conspicuum. Elytra thorace et abdomine breviora, sub lente subtiliter et vage punctulata. Anus conicus, in mare obtusus; in femina podice et hypopygio arcte conjuncto acuminatus, et forsan ovis ponendis inserviens. Prosternum insigne, uti in Histeris. Scapularia maxima, punctulata. Antepectus breve. Medipectus ad medium planum. Mesosternum non adest. Peristethium breve. Postpectus longissimum, sulco in mesostethio impresso. Parapleurae scapulariis breviores. Pedes validi, breviusculi, antici et medii propter antepectoris et peristethii brevitatem valde approximati, postici ob postpectoris longitudinem enormem ab anterioribus longe remoti. Pedes antici ad basin propius siti, medii et praesertim postici ad basin longius distant. Femora anteriora ad latus internum pro tibiis recipiendis paullo canaliculata. Tibiae dilatatae, compressae, paullo curvatae; anticae dentatae, mediae acute dentatae, posticae muticae, vix serrulatae. Tarsi tenues, filiformes, distincte quinque-articulati, biunguiculati.

Hoc in singulari coleoptero typi plures conjuncti reperiuntur: Histeroidarum antenna, prosternum, tibiae armatae, structura generalis; Bostrichinorum corpus cylindricum; Scarabaeidarum tarsi et discrimen sexuale in capite et thorace apparens.

FAMILIA: BYRHII.

Tab. VII. f. 15. CHELONARIUM ORNATUM Klug. Ferrugineum, elytris margine flexuoso flavo. Lg. 3'''.

Klug, Specim. Ent. bras. in Novis Actis physico-medicis Acad. Caes. Leop. Carol. Nat. Cur. Tom. XII. p. 431.

Hab. prope Ilheos in Prov. Bahiensi.

Observatio. Antennae hujus generis sub sterno inflexae, secundum celeberr. Latreille 7-articulatae, secund. celeberr. Fabricium 11-articulatae; in specimine nostro articulos 10 video, sed antennas mutilas puto. Articulo duo primi elongati, reliquis multo longiores, compressi, secundus primo paene duplo longior; tertius minimus, caeteri obconico-filiformes. Ad basin antennarum sub lente excellentissima utrinque ocellum video, globosum, lucidum, minutum. Chelonarium ergo et Omalium hucusque coleoptera unica, in quibus ocelli inventi sunt. Articulum antennarum primum minimum esse, uti alii dicunt, videre non possum, quare suppono, ocellos a me visos pro primo articulo habitos fuisse. Elytra epipleuris paene nullis. Prosternum pro articulorum duorum basalium receptione canaliculatum. Pedes in parapleurorum, antepectoris et primi abdominis segmenti cava reponi possunt, uti fere in Byrrhis. Femora pro tibiarum, tibiae pro tarsorum receptione canaliculatae. Quoad tarsorum structuram celeberr. Latreille descriptioni (Gener. Crust. et Ins. p. II. pag. 45) plane consentio. Quoad locum hujus generis in systemate naturali, opinor, illud pro structura corporis generali aptius ad Byrrhios, quam ad Serricornia collocandum esse.

CHELONARIUM HAEMORRHOUM. † Ovatum, atrum, nitidum; elytris ad apicem sanguinolentis; thoracis margine postico crenulato. Long. 2 3/4'''. Lat. hum. 1 1/4'''. Tab. VII. f. 16.

Habitat prope Ilheos in Prov. Bahiensi.

Praecedente paullum angustius. Subtus et supra atrum, politum, pedibus, praesertim anticis brunneo-piceis. Caput punctatum. Oculi paullo convexi. Ocelli clare distinguendi. Thorax margine antico reflexo, punctorum crenatorum serie transversali ad marginem posticum. Scutellum laeve. Elytra nigra, polita, postice sanguinea, sub lente subtilissime et vage setulosa. Antennae articulis 2 primis brunneis, reliquis tarsisque flavescentibus. Pedes antici brunnei, posteriores nigri.

FAMILIA: LAMELLICORNIA.

CANTHON CORONATUS. † Brunneo-flavus; capite, thoracis fascia, elytrorumque basi, apice et sutura nigris. Lg. 4'''. Lat. hum. 2 1/3'''. Tab. VIII. f. 1.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Caput nigrum, planum, clypeo bidentato, dentibus obtusis. Thorax angulis lateralibus obtusis; flavus, cingulo ad discum, puncto utrinque et margine undique angusto laterali nigris. Cingulum quoad extensionem variat, marginem vero lateralem nunquam contingit. Elytra planiuscula, glabra, striarum vix vestigiis, flavo-brunnea, ad basin et apicem nigra. Pectus nigrum; abdomen nunc flavum nunc nigrescens. Antennae fuscae. Pedes nigri, femoribus ad medium flavis. Tibiae anticae externe tridentatae.

CANTHON SULCATUS. † Latus, laete viridi-aeneus, nitidus; antennis flavis; elytris punctato-striatis. Lg. 4'''. Lat. hum. 2 2/3'''. Tab. VIII. f. 2.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Brevis, latus, nitidus, subtus obscure-viridi-aeneus, supra laete aeneo-viridis. Clypei dentes duo obtusiusculi. Thorax subtilissime punctulatus, ad latera angulatus, foveola utrinque impressa. Elytra punctato-striata, punctis paene serratis. Tibiae anticae tridentatae.

CANTHON OXYGONUS. † Fusco-aenescens; thoracis angulis lateralibus acutis, disco viridi-aeneo. Lg. 4 1/2'''. Lat. hum. 2 3/4'''. Tab. VIII. f. 3.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Planiusculus, glaber, sordide virescenti-brunneus. Clypeus bidentatus. Thorax ad latera in angulos acutos dilatatus, impressione parva in disco. Thorax et medipectus ad medium viridi-aenea, nitida. Pedes fusco-brunnei, antici dilutiores. Tibiae anticae tridentatae, dentibus acutissimis.

Tab. VIII. f. 4. CANTHON LITURATUS. Illig. Clypeo quadridentato, aeneo-niger, pedibus luteis, elytris fuscis, litura pallida.

Ateuchus lituratus, Germar Magaz. d. Ent. 1. Jahrg. 1. Heft p. 117.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Species praecedentes, a celeberr. Illiger Canthones dictae, a celeberr. Latreille Coprobii nominatae sunt.

DENDROPAEMON Perty.

(COPROPHAGA: ATEUCHIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae clava elongato-obconica. Corpus depressum, subparallelum, escutellatum. Tarsi pedum posteriorum biarticulati, penicillati.

Observatio. Genus Eurysterno proximum, sed scutelli defectu, et tarsorum structura satis distinctum. Antennae clava sensim incrassata, elongata, obconica, paullo compressa, articulo ultimo excavato. Clypeus bidentatus. Caput (saltem in speciebus mihi cognitis) carina elevata transversa ante oculos. Thorax antice dilatatus, lateribus pone medium emarginatis postice coarctatus. Elytra plana, parallela. Mesosternum et metasternum contigua, lata, plana. Pedes breves, robusti: antici et postici ad basin valde approximati, medii longe remoti. Coxae et femora antica valde robusta, brevia. Tibiae anticae robustae, extus dentatae; posteriores compressae, subparallelae; mediae intus calcaribus duobus, posticae uno. Tarsi in pedibus anticis nulli; in posterioribus ex articulis tantum duobus penicillatis constant: 1° majore, parallelo, latiusculo, 2° minutissimo.

(Nomen genericum a verbo δενδροπήμων, arboribus noxius.)

Tab. VIII. f. 5. DENDROPAEMON VIRIDIS. † Subtus pedibusque niger, supra metallico-viridis, nitidus, elytris sulcatis. Lg. 6‴. Lat. hum. 2¾‴.

Eurysternus viridis Tab. nostr.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli, in arboribus cariosis.

Clypeus bidentatus, punctulatus, nigricans. Caput ante oculos carinula transversa. Thorax elytris latior, planus, politus, antice dilatatus, angulis anticis rotundatis; subtiliter marginatus, sulco medio tenui, puncto utrinque laterali duobusque postice geminis impressis; rufo-ciliatus, antice nigricans. Hiatus scutellaris nullus. Elytra plana, parallela, ad apicem rotundata, sulcis 7 latiusculis. Antennae nigrae, capitulo ad apicem et palpis ferrugineis. Pectus ferrugineo-ciliatum, linea media impressa. Femora antica ferrugineo-ciliata. Tibiae anticae quadridentatae. Tarsi penicillis ferrugineis.

DENDROPAEMON PICEUS. † Nigro-piceus, nitidus, elytris sulcatis. Long. 9'''. Lat. hum. 4½'''. Tab. VIII. f. 6.

Eurysternus piceus Tab. nostr.

Hab. cum praecedente.

D. viridi multo major et latior. Clypeus bidentatus, punctulatus. Caput ante oculos carina transversa et utrinque striis 2 obliquis elevatis. Thorax ferrugineo-ciliatus, sulco tenui medio, foveola utrinque laterali et punctis duobus postice ad medium impressis. Elytra plana, parallela, ad apicem rotundata, septem-sulcata, sulcis subpunctatis. Pectus et abdomen ad latera ferrugineo-hirta. Penicilli tarsorum ferruginei.

EURYSTERNUS OPATRINUS. † Subtus pedibusque fusco-brunneus, supra griseo-fuscus, opacus, elytrorum disco impresso, femoribus subclavatis. Lg. 4¼'''. Lat. hum. 2''' vix. Tab. VIII. f. 7.

Hab. in Prov. Piauhiensi.

Eurysternus verus. Corpus oblongum, parallelum, obscurum. Clypeus vix emarginatus, ad apicem depressus. Antennae et trophi flavicantes. Thorax antice dilatatus, punctis 2 utrinque impressis; postice angustatus, margine ferrugineo-ciliato. Scutellum distinctum, oblongo-trigonum. Elytra oblonga, parallela, marginem versus elevatiora, margine acute costato, subtiliter ferrugineo-ciliato, epipleuris distinctis; disco impresso, sub lente obsolete striato, striis subgeminis; ante apicem tuberculosa, ferrugineo-setulosa. Mesosternum et metasternum contigua, latissima, plana, sub lente laminato-punctata. Pedes antici ad basin valde approximati, medii ob sterni latitudinem longissime remoti, postici magis approximati, quam medii. Femora posteriora clavata. Tibiae anticae extus dentatae, posteriores fasciculato-pilosae. Tarsi antici mutili; posteriores filiformes, attenuati, distincte 5-articulati.

Onitis deplanatus Germ. (Ins. spec. nov. Vol. I. pag. 109.) coleopteron praecedenti valde affine mihi videtur, cum vero exscutellatus indicetur, genericе distinctus.

ONITIS AERUGINOSUS. † Obscure viridi-metallicus, glaber; capite cornuto (♂), aut transverse carinato (♀), thorace bicorni (♂) aut inaequali (♀), elytris subtiliter striatis. Long. 8—10'''. Lat. hum. 3¾—4¾'''. Tab. VIII. f. 8.

Habitat in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum.

Clypeus integer, nigricans. Capitis cornu obtusum, truncatum, compressum. Antennae et trophi ferruginei. Thorax in maribus antice excavatus, et supra in medio cornubus 2 brevibus divergentibus; in feminis biimpressus, tuberculisque duabus parvis, mediis. Scutellum minutissimum, sed adhuc distinguendum. Interdum hiatus adest scutellaris. Elytrum singulum striis 8 laevibus. Tarsi antici desunt; posteriores filiformes, distincte 5-articulati, ferrugineo-pilosi, apicem versus attenuati.

Tab. VIII. f. 9.

ONITIS CHALCOMELAS. † Fusco-aeneus; clypeo integro, thorace postice emarginato, nigro-punctato, elytris striato-punctatis. Long. 9'''. Lat. hum. 4 ½'''.

Habitat in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum.

Haec species, quam antehac Phanaeis adscripsi, disquisitione repetita clypei integri, palporum labialium structurae, et scutelli adhuc distinguendi causa, ad Onitidem referenda est. Unum modo sexum novi, sine dubio femineum. Subtus cum pedibus nigro viridis, metallico-nitens, supra fusco-aeneus. Clypeus vix, ac ne vix quidem emarginatus, antice nigricans, carina ante oculos semicirculari. Thorax lateribus emarginatis postice coarctatus, puncto angulos versus anticos rotundatos utrinque, et 2 geminis postice ad medium impressis; maculis in disco minutissimis, confertis, nigris. Elytra ad latera apicemque rotundata, punctato-striata, punctis nigris: primo seriei uniuscujusque profundius impresso. Pectus ad latera ferrugineo-pubescens. Antennae trophique picei. Tibiae anticae paullo curvatae, extus muticae.

Tab. VIII. f. 10. et 11.

PHANAUS ENSIFER Germ. Aeneus, thoracis prominentia lateribus aurita, antice bidentata; capitis cornu erecto, apice recurvo.

Germar, Magaz. d. Entomol. tom. IV. pag. 147.

Habitat in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum.

Magnitudine et colore valde variat, nunc viridi-aeneus, nunc cyaneus.

Tab. VIII. f. 12.

PHANAEUS THALASSINUS. † Cyanescenti-viridis; capitis corniculo brevi, cylindrico; thorace subtiliter alutaceo, antice ad medium excavato; elytris sulcatis. Long. 8 ½'''. Lat. hum. 4 ½'''.

Habitat in mediterraneis Prov. S. Pauli.

Caput subtiliter alutaceum, clypeo bidentato, nigricante, corniculo postice erecto, subcylindrico. Thorax lateribus profunde emarginatis postice coarctatus, antice truncatus, retusus, in medio excavatus, ad latera utrinque foveola impressa. Elytra ad regionem scutellarem impressa, postice angustiora, sulcata; sulcis planis, apicem versus obsoletis. Antennae trophique picei. Pedes cyanescenti virides, tibiis anticis extus quadridentatis.

Tab. VIII. f. 13.

PHANAEUS PLANICOLLIS. † Splendidissime viridis, laevis, nitidus; capitis cornu brevi compresso, emarginulato, thoracis disco complanato, elytris sulcatis. Lg. 9'''. Lat. hum. 5 ¼'''.

Habitat in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum.

Affinis sane Phanaeo Kirbyi, (Mac Leay, Zoolog. Journ. vol. II. pag. 539) ast satis distinctus. Clypeus bidentatus, antice nigricans. Caput corniculo obtuso, ad apicem emarginato, linea utrinque elevata obliqua marginem versus exteriorem. Thorax utrinque puncto impresso, ad marginem antice tuberculo emarginato, lateribus emarginatis postice coarctatus, disco complanato;

subaurito. Elytra postice angustiora, laeviter et non profunde sulcata, ad apicem rotundata, ad regionem scutellarem impressa. Antennae et trophi ferruginei. Pectus ferrugineo-pilosum. Pedes splendide virides, tibiis anticis nigricantibus, extus tridentatis. Tarsi posteriores fusco-pilosi.

PHANAEUS CHRYSERYTHRUS. † Latus, brevis; subtus niger, supra splendide aureo-cupreus, nitidus; capitis cornu subulato, erecto; thorace cornubus 2, et tuberculo medio abbreviatis, compressis; elytris sulcatis. Lg. 1''. Lat. hum. $7\frac{1}{2}'''$. Tab. VIII. f. 14.

Hab. in mediterraneis Prov. Minarum.

Caput nigrum. Clypeus vix emarginatus. Capitis cornu thorace paullo brevius, erectum, subulatum, minime retrorsum curvatum. Thorax elytris latior, antice retusus, ad latera postice paullum emarginatus, scutelli loco in angulum acutum protractus, cornubus in disco mediis compressis, paullo convergentibus, et infra cornua tuberculo medio compresso, fovea utrinque magna, minore subrotunda pone cornua, et puncto utrinque angulos versus posticos impressis. Cornua et processus medius nigra. Elytra postice angustata, sulcata, sulcis laevibus. Antennae piceae. Subtus cum pedibus niger. Tibiae anticae vix dentatae.

PHANAEUS SUBTRICORNIS. † Splendidissime viridis, laevis, nitidus; antennis brunneis; clypeo et maculis duabus thoracis nigris; capite tuberculis 3 dentiformibus; thorace antice tuberculo obtuso et impressione transversali; elytris obsolete sulcatis. Lg. 10'''. Lat. hum. $5\frac{1}{2}'''$. Tab. VIII. f. 15.

Hab. in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum.

Clypeus bidentatus. Capitis tubercula approximata, in serie transversali posita, nigra. Thorax antice in processum medium, parvum, reflexum protractus; pone hunc impressione transversali, et impressionis mediae vestigio. Maculae disci nigrae extensione paullo variant. Elytra postice paullum angustiora, obsolete sulcata, ad marginem plicatula, hiatu scutellari. Subtus splendide viridis, capite et pectoris medio nigris. Caput subtus, femora antica ad basin, et pectus flavescenti-villosa. Pedes virides, tibiis anticis et tarsis nigricantibus. Tibiae anticae extus subquadridentatae: dentibus acutis.

ONTHOPHAGUS ONITOIDES. † Thorace cupreo, elytris nigro-brunneis, femoribus posterioribus rufis; capite carina transversali; thorace tuberculo antico. Lg. $4\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. 3'''. Tab. VIII. f. 16.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

O. Bonaso minor. Caput cupreum, clypeo rotundato, minime emarginato; carina ante oculos transversali. Thorax convexus, laevis, antice paullo retusus, in medio antice prominentia parva obtusa, postice lineola media impressa. Elytra ad latera et apicem rotundata, subtilissime striata, regione scutellari impressa. Antennae brunneae. Pedes antici picei, tibiis muticis; posteriores femoribus rufis, tibiis tarsisque nigricantibus.

Tab. IX. f. 1.

ONTHOPHAGUS CRUENTUS. † Niger, nitidus, thorace pedibusque sanguineis. Long. 2 1/4'''. Lat. hum. 1 1/3'''.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Magnitudine O. ovati, sed convexiusculus. Caput nigrum, aeneo-micans, clypeo antice subreflexo, ad apicem paullum emarginato, fronte tuberculis tribus transversim positis. Thorax convexus, politus, sanguineus. Elytra convexiuscula, aterrima, nitida, subtiliter striata, striis sub lente remote punctatis. Antepectus sanguineum. Medipectus, postpectus et abdomen aterrima, nitida. Antennae brunneo-flavae. Pedes sanguinei. Tibiae anticae externe tridentatae.

Tab. IX. f. 2.

COPRIS SMARAGDINA. † Tota viridi-aenea, polita, antennis flavidis; capitis cornu brevi truncato; thorace antice retuso; elytris striatis. Lg. 6 1/2'''. Lat. hum. 3 3/4'''.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Copris vera, sensu hodierno. Clypeus integer. Capitis cornu breve, a lateribus compressum, truncatum. Thorax antice retusus, processu medio vix conspicuo, foveola laterali utrinque impressa. Elytra convexa, striata, striis sub lente subcrenato-punctatis; ad apicem rotundata. Subtus obscure viridis, nitidus, tibiis tarsisque nigricantibus, ferrugineo-pilosis. Tibiae anticae quadridentatae.

Tab. IX. f. 3.

COPRIS PROTENSA. † Nigra; clypeo tuberculo obtuso; thorace antice excavato, granulato: processu magno protenso medio, dente et fovea utrinque lateralibus; elytris subtiliter striatis. Lg. 1''. Lat. hum. 6 1/2'''.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Clypeus integer, transversim sulcatus. Frons granulata. Thorax antice retusus, excavatus, granulato-alutaceus; processu medio, magno, lato, obsoletissime tricuspidato, supra linea impressa; utrinque denticulo, et fovea impressa. Elytra laevia; singulum striis 7 longitudinalibus. Pectus ferrugineo-pubescens. Antennae piceae. Tibiae externae tridentatae: dentibus valde obtusis.

Tab. IX. f. 4.

COPRIS DECORATA. † Capite thoraceque laete viridi-aeneis; elytris ad basin fulvis, postice viridi-aeneis. Lg. 3 1/2'''. Lat. hum. 2'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput clypeo obsolete bidentato, tuberculo ante oculos parvo obtuso. Thorax convexus, laevis, linea media postice impressa. Elytra convexa, punctato-striata, ad basin aurantiaca, postice viridi-aenea. Antennae flavicantes. Pedes virides, tibiis anticis extus tridentatis.

HYBOSORUS GIBBUS. † Brevis, convexus; supra niger, nitidus; elytris marginatis, sub lente geminato-punctatis. Lg. $2\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$. Tab. IX. f. 5.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

H. oblongo multo brevior et convexior. Caput clypeo antice truncato, ad latera paullum reflexo. Labium transversum, breve, truncatum. Thorax lateribus rotundatis antice angustatus, marginulo laterali paullum reflexo. Scutellum satis magnum. Elytra thorace multo latiora, brevi-ovata, valde convexa, polita, abdomen totum amplectentia, ad apicem rotundata, marginulo laterali reflexo, epipleuris vix ullis. Subtus cum pedibus et antennis piceus. Tibiae anticae extus tridentatae: dentibus acutis; intus calcari munitae; posteriores extus emarginatae, vix dentatae.

Observatio. De genere quodammodo dubito. In antennis extra capitulum articulos tantum sex conspicio: 1^m satis magnum, obconicum, paullo curvatum, 2^m globoso-ovatum, sequentes tres minutissimos, ardue distinguendos, 6^m praecedentibus majorem, sub-obconicum, reliquos tres aut quatuor capitulum satis compactum, compressum formantes. Mandibulae a labio et clypeo e parte obtectae. Palpi subfiliformes.

Gen. Hybosorus Geotrupinos cum Hydrophilinis (saltem quoad habitum) conjungere videtur.

ACANTHOCERUS MAC LEAYI. † Nigro-aeneus; antennis tarsisque piceis; elytris longitudinaliter punctatis, apicem versus rugoso-plicatis. Lg. $2\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{2}{3}'''$. Tab. IX. f. 6.

Hab. in Prov. Piauhiensi.

Adnotatio. Hucusque, pro dolor! celeberr. Mac Leayi opus egregium, „Horae entomologicae" dictum, videre non potui. Species, quam hic offero, quoad characteres bene cum iis convenit, quos celeberr. Latreille de Acanthocero exhibet. (Regne anim. nouv. edit. tom. IV. p. 546) Cum vero species ibi indicata non descripta sit, nescio, utrum Acanthocerus hic introductus ab A. aeneo M. L. differat, an cum eo conveniat.

Habitu inter Trogem et Geotrupem. Clypeus semicircularis, muticus. Caput ante oculos utrinque in angulum prominentem dilatatum. Oculi maxima e parte inferi, septo in eorum medium contingente, sub lente etiam acutissima subtilissime lacunosi. Antennae vix capitis longitudine, 10-articulatae: articulo 1° maximo, superne in angulum dilatato, 2° quam sequentes majore, sequentibus quinque minutissimis, attamen sensim ac sensim incrassatis, 8° 9° 10° lamellatis, lamellis omnino distinctis. Labium e parte sub clypeo occultum, transversum. Mandibulae falcatae, depressae, membranaceo-corneae. Palpi filiformes: maxillares crassiusculi, mandibulis longiores, labiales tenues, minuti. Mentum subquadratum, ad apicem emarginatum, membranaceum. Jugulum politissimum. Thorax transversus, subtilissime punctulatus, antice profunde emarginatus. Collare adest breve, politum. Scutellum trigonum, punctulatum, a collari per suturam non distinctum. Elytra convexa, striolis inter se remotis brevissimis, impressis, quae in seriebus longitudinalibus positae sunt; postice ad marginem rugosa, carinis 2 aut 3 elevatis; abdomen totum amplectentia, epipleuris satis magnis. Tibiae et femora praesertim posteriora crassissima, validissima. Femora antica supra aureo-pilosa. Tibiae apicem versus dilatatae, ad

latus inferum angulatae, bisulcatae, setulosae: anticae extus subquadridentatae. Tarsi omnes completi, subfiliformes, distincte 5-articulati. Abdomen e segmentis 6 constans; in uno individuo cum femoribus brunneum.

Vocatus in honorem Dm. Mac Leay, Entomologi celeberrimi, philosophici.

Tab. IX. f. 7. PHILEURUS SINODENDRIUS. † Ater, cylindricus; capite bicorni, clypeo sexdentato; thorace antice retuso, quadrituberculato, ad medium profunde sulcato; elytris sulcato-punctatis. Lg. 8‴. Lat. hum. 3‴.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Caput ruguloso-punctatum, fronte excavata, cornu utrinque compresso, erecto, clypeo utrinque tridentato, dentibus reflexis. Thorax elytrorum latitudine, convexus, antice retusus, rugulosus, tuberculis ad medium quatuor obtusis; postice vage et subtiliter punctulatus, sulco lato medio excavato-punctato. Scutellum postice laeve, antice excavato-punctatum. Elytra convexa, ad dorsum minime deplanata, profunde sulcato-punctata, punctis excavatis. Subtus cum antennis et trophis brunneo-piceus. Tibiae anticae extus tridentatae.

Tab. IX. f. 8. PHILEURUS PILIGER. † Fuscus, brevis, latiusculus; capite bicorniculato, thorace cicatricoso-punctato, ad medium sulcato; elytris late sulcatis, piligeris, ad dorsum deplanatis. Lg. 7½‴. Lat. hum. 3⅓‴.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Caput cicatricoso-punctatum, corniculis 2 brevissimis, fronte excavata. Thorax totus cicatricoso-punctatus, sulco lato medio. Scutellum cicatricosum. Elytra sulcis vadosis, marginem versus obsoletis; piligera, cicatricoso-punctata. Subtus cum antennis trophisque piceus. Tibiae anticae extus tridentatae, dentibus acutis.

Tab. IX. f. 9. PHILEURUS BAJULUS. † Niger, latus, subdepressus, capite tricorni, thorace antice retuso, subexcavato, elytris striato-punctatis. Lg. 17‴. Lat. hum. 7½‴.

Hab. in mediterraneis Prov. Minarum.

Clypeus ad apicem in cornu acutum elevatus. Caput utrinque cornu erecto, compresso, obtusiusculo. Thorax elytris vix angustior, antice retusus, tuberculorum quatuor vestigiis; sulco medio profundo cicatricoso-punctato. Elytra insigniter seriato-punctata. Subtus cum antennis et trophis piceus. Tibiae anticae subquadridentatae.

Scarabaeus 4-tuberculatus Palis. de Beauv. (Ins. rec. en Afr. et Am. Planch. 1. b. f. 5) praecedenti affinis, sed elytrorum sculptura differt.

Tab. IX. f. 10. SCARABAEUS PAN Fabr. Thoracis cornu incurvo basi crassissimo, apice bifido; capitis recurvo unidentato.

Geotrupes Pan, Fabricius Syst. Eleuth. tom. I. p. 6.

Hab. in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum, et prope Sebastianopolin.

SCARABAEUS AÏDONEUS. † Piceus; capite cornuto, cornu erecto; thorace undique rugoso; antice retuso, declivi, laevigato, corniculo utrinque brevi; postice elevato, elevatione ad apicem emarginata; elytris ad basin ruguloso-punctatis. Lg. $23'''$. Lat. hum. $10\frac{1}{2}'''$. Tab. IX. f. 11.

Habitat in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum.

Clypei cornu thorace multo brevius, erectum, paullo recurvum. Thorax margine undique ruguloso aut punctulato. Scutellum rugoso-punctatum. Elytra ad basin punctato-rugulosa, postice laevigata, stria suturali impressa. Subtus ferrugineo-pilosus. Tibiae anticae quadridentatae.

SCARABAEUS TITORNUS. † Latus, piceus; capitis cornu erecto, paullum recurvo, compresso; thorace rugoso, disco parum impresso; elytris ad latera rugosis. Lg. $18-22'''$. Lat. hum. $9-11'''$. Tab. IX. f. 12.

Hab. in mediterraneis Prov. S. Pauli et Minarum, et prope Sebastianopolin.

Praecedentibus latior, et depressior. Supra piceo-niger. Clypei cornu thorace brevius, compressum, rugulosum. Caput pone cornu ferrugineo-tomentosum. Thorax disco paullum excavato, et postice tuberculis duobus ad medium parvis. Elytra stria suturali crenulata, disco sublaevi, margine rugoso. Subtus brunneo-piceus, podice ferrugineo-ciliato. Tibiae anticae tridentatae: dentibus obtusis.

SCARABAEUS GLAUCON. † Piceus, laevigatus; capite mutico; thorace antice excavato, bicorni: cornubus lateralibus, porrectis, ad apicem emarginatis. Lg. $16'''$. Lat. hum. $7'''$. Tab. IX. f. 13.

Hab. in mediterraneis Prov. S. Pauli.

Supra nigro-piceus, laevis, politus. Caput rugulosum. Thorax antice in medio excavatus, cornu utrinque valido, super caput prominente, ad latus externum laevi, ad internum inaequali. Scutellum et elytra laevia, polita. Subtus brunneus, ferrugineo-pilosus. Tibiae anticae extus tridentatae.

SCARABAEUS PAUSON. † Piceo-brunneus, elytris subtiliter ruguloso-punctulatis; ♂ capite cornuto, thorace nigricante, elytris latiore, ad latera scabro, disco antice in medio paullum retuso posteaque elevato; ♀ capite thoraceque inermibus: hoc antice et ad latera rugoso-punctato, disco laevigato. Lg. $11'''$. Lat. hum. $5\frac{1}{4}'''$. Tab. IX. f. 14.

Habitat in mediterraneis Prov. Minarum.

Inter minores. Caput thoraci profunde insertum, cornu nigro, quam thorax breviore, compresso. Thoracis discus in sexu utroque laevis. Subtus brunneus. Tibiae anticae sexus utriusque acute tridentatae.

Tab. IX. f. 15. CYCLOCEPHALA SCARABAEINA. † Oblonga, nigerrima; thorace antice foveola impressa; elytris punctatissimis. Lg. 14'''. Lat. hum. 6'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

C. geminata multo major. Tota nigerrima, nitida. Caput inaequale, punctulatum, clypeo utrinque emarginulato, subreflexo. Thorax sub lente vage punctulatus. Scutellum laevigatum. Elytra linea ad suturam impressa, densissime punctulata, punctis paene series valde approximatas formantibus. Tibiae anticae extus acute tridentatae.

Tab. IX. f. 16. CYCLOCEPHALA BREVIS. † Nigerrima, latiuscula, brevis; thorace punctulato; elytris subtiliter ac densissime punctulatis, substriatis. Lg. 6'''. Lat. hum. 2⅔'''.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Magnitudine fere C. melanocephalae, sed latior, robustior. Nigerrima, subnitida. Clypeus ad apicem utrinque emarginulatus, subreflexus. Scutellum punctulatum. Elytra ad latera rotundata, densissime et irregulariter geminatim punctata, punctis sub lente cicatricosis. Elytra in speciminibus nonnullis nitore paullo virescente. Antennae et trophi brunneo-picei. Tibiae anticae extus tridentatae. Tarsi picescentes; antici in maribus articulis 4 primis abbreviatis, tumidis, ultimo et unguiculo uno incrassatis, curvatis; in feminis simplices, subfiliformes, unguiculis aequalibus.

RHINASPIS Perty.

(MELOLONTHIDAE GENUINAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae 10-articulatae, articulis tribus ultimis lamellatis. Clypeus elongatus, antice recte truncatus, trophos obtegens. Tarsi elongati, unguiculis unidentatis.

Observatio. Genus Melolonthae (sensu recentissimo sic dictae) proximum, sed antennarum clava trilamellata, clypeo porrecto et tarsis elongatis sufficienter distinctum. Unum modo specimen vidi, verosimiliter femineum. Corpus totum magis elongatum et minus convexum quam Melolonthae. Clypeus elongatus, palpis paene longior, subreflexus. Oculorum canthus quam in Melolontha evidentior, angulatus. Antennae ante oculos et sub cantho insertae, 10-articulatae: art. 1° elongato-clavato, 2° quam tertius breviore, 3° sequentibus longiore, 4°—7° sensim brevioribus, ultimis tribus lamellatis. Labium superius occultum. Palpi maxillares articulo ultimo cylindrico-ovato. Mentum paullo emarginatum. Tarsi tibiis satis longiores, filiformes, biunguiculati: unguiculis aequalibus, dento ante apicem robusto acuto munitis. Anus muticus.

(Nomen genericum e verbis ῥὶν aut ῥὶς nasus et ἀσπὶς, scutum, compositum est.)

RHINASPIS SCHRANKII. † Subtus flavescenti-tomentosa; thorace et elytris cupreo-aeneis, nitidis. Lg. 1''. Lat. hum. $4\frac{1}{3}$'''. Tab. X. f. 1.

Hab. in Provincia Piauhiensi.

Caput flavescenti-tomentosum. Thorax aeneus, punctulatus, sulci medii vestigio, lateribus rotundatis, antice posticeque paullum coarctatus. Scutellum satis magnum, cupreum. Elytra cupreo-aenea, punctulata, abdominis segmentum penultimum et podicem non obtegentia; singulum striis tribus elevatis, valde obsoletis. Subtus dense flavescenti-tomentosa. Antennae et trophi picei. Pedes aenei, flavescenti-pilosi.

Vocata in honorem Dm. Drs. de Schrank, equit. ord. civ. cor. bav. consil. reg. eccles. ab intim. etc. naturae scrutatoris celeberrimi, veterani, in parvum aestimationis eximiae signum.

EUCHLORA CICATRICOSA. † Aenea; elytris castaneis, cicatricoso-punctatis. Lg. 7'''. Lat. hum. $3\frac{1}{4}$''' Tab. X. f. 2.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Caput cupreo-aeneum, punctulatum. Thorax aeneus, dense punctulatus, stria media levi impressa. Scutellum viridi-aeneum, punctulatum. Elytra castanea, marginulo extremo aeneo; substriato-punctata, punctis confluentibus, cicatricosis. Antennae et trophi picei. Subtus cum pedibus aenea.

GENIATES OPACUS. †. Subtus aeneus, supra obscure cupreus; antennis castaneis. Lg. $8\frac{1}{2}$''' Lat. hum. $3\frac{1}{3}$'''. Tab. X. f. 3.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Supra obscure cupreus, halitu quodam grisescente. Caput et thorax ruguloso-punctulata. Scutellum punctulatum. Elytra thorace parum latiora, paullo convexa, rugulosa. Subtus cum pedibus aeneus, pectoris abdominisque lateribus albido-pilosis. Unus tarsorum unguiculus bifidus.

GENIATES PRUINOSUS. † Capite, thorace, et scutello cupreis, punctulatis; elytris laevibus, pruinosis; antennis, tarsis, trophisque ferrugineis. Lg. $6\frac{1}{2}$''' Lat. hum. 3'''. Tab. X. f. 4.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Praecedente satis minor, brevior, convexior. Clypeus rotundatus. Oculi nigri, nitidi. Thorax transversus, angulis acutis, marginulo laterali reflexo, striae mediae vestigio, punctulatus, plagula utrinque laevi laterali. Elytra cinerascenti-pruinosa, striarum elevatarum vestigiis, sub lente subtilissime punctulata. Subtus piceo-brunneus, antennis, trophis, tarsisque dilutioribus. Palpi maxillares valde elongati, subfiliformes. Tibiae anticae tridentatae. Tarsi praesertim antici dilatati, subtus pulvinati.

Tab. X. f. 5. SERICA PELLICULATA. † Fusco-brunnea, tota pilis flavidis decumbentibus variegata. Lg. 5½'''. Lat. hum. 2⅓'''

Hab. prope Sebastionopolin.

Elongato-ovata, convexiuscula. Caput punctulatum, fuscum, flavido-pilosum, clypeo emarginato, a fronte per lineam impressam separato. Thorax transversus, convexus, fuscus, flavopilosus, postice ad medium paullo productus. Scutellum magnum. Elytra fusco-brunnea, pilis flavidis variegata, ante apicem et ad marginem lateralem magis denudata. Subtus cinerascentipilosa. Antennae, trophi et pedes brunnescentes. Tibiae anticae subtridentatae. Tarsi omnes bifidi.

Tab. X. f. 6. SERICA ASPERULA. † Brunnea; tota pilis cinereis, brevissimis, rigidis obtecta. Lg. 3'''. Lat. hum. 1⅓'''.

Hab. prope Sebastianopolin.

Clypeus rotundatus, reflexus. Oculi nigri, per septum divisi, maxima e parte inferi. Thorax ad latera rotundatus, postice paullum coarctatus, linea media impressa. Elytra inaequalia: plica humerali et tumulo basali elevatis, et pone tumulum paullum impressis. Antennae, trophi et tarsi brunnei. Tibiae anticae bidentatae.

Tab. X. f. 7. PELIDNOTA CHALCOTHORAX. † Capite, thorace et scutello aeneis; elytris brunneo-testaceis, ad basin et marginem versus fuscescentibus. Lg. 1''. Lat. hum. 5'''.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Magnitudine Melolonthae vulgaris. Caput aeneum, punctulatum, clypeo antice rotundato-detruncato. Thorax aeneus, rugosulus, antice angustatus, angulis anticis satis acutis, marginulo laterali reflexo. Scutellum paene semicirculare, aeneum, subtiliter punctulatum. Elytra brunneo-testacea, praesertim ad basin fuscescentia, sublaevigata, striarum nonnullarum tantum vestigiis. Subtus cum antennis et pedibus fusco-aenescens. Mesosternum minime porrectum, obtusum.

Tab. X. f. 8. PELIDNOTA CUPRIPES. † Viridis, nitidissima, laevissima, pedibus cupreo-aureis. Lg. 6'''. Lat. hum. 2½'''.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Caput punctulatum, clypeo truncato, apicem versus rufescente. Thorax punctulatus, latera versus rufescens, marginulo laterali reflexo. Scutellum breve, laevigatum. Elytra sub lente punctorum subtilium seriebus remotis; apicem versus cupreo-micantia. Antennae rufo-brunneae. Etiam subtus viridis, politissima. Mesosternum paullo porrectum, obtusum. Mesostethium planum, linea media impressa. Anus rufescens.

PELIDNOTA XANTHOGRAMMA. † Supra splendidissime viridis, nitida; thoracis margine et elytrorum signatura undulata flavis. Lg. 8 1/2‴. Lat. hum. 3 3/4‴. Tab. X. f. 9.

Hab. in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput punctulatum, clypeo antice attenuato, flavicante, reflexo. Thorax punctulatus, ad latera flavus, marginulo laterali reflexo. Elytra laevigata, linea undique marginali impressa; singulum ante longitudinis medium signatura flava, signum ~ referente; sub lente punctorum subtilium seriebus nonnullis, longe inter se remotis. Subtus virescenti-flava, metallico-nitida, tarsis nigricantibus. Mesosternum porrectum, obtusum. Mesostethium linea media impressa. Tibiae anticae extus tridentatae; posteriores spinis brevissimis nigris munitae.

PELIDNOTA CUPREA. † Tota cuprea, nitida, elytris sulcatis. Lg. 6 1/2‴. Lat. hum. 3‴. Tab. X. f. 10.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Caput subtilissime punctulatum, clypeo subreflexo, fronte parum impressa. Thorax laevis, marginulo laterali et postico reflexis. Scutellum laeve. Elytra profunde sulcata. Mesosternum paullo porrectum. Mesostethium sulco medio impresso. Antepectus nigricans. Antennae piceae. Pedes cuprei.

RUTELA FLAVOVITTATA. † Supra viridi-aenea; thoracis margine laterali et striola media, elytrorumque vittis 4 flavis. Lg. 5 1/2‴. Lat. hum. 2 2/3‴. Tab. X. f. 11.

Hab. in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

R. lineola Fabr. satis minor. Caput punctulatum. Oculi fusci. Thorax vage punctulatus, margine laterali lato, et striola media antica hastiformi flavis. Scutellum laeve. Elytra sulcata, sulcis nonnullis punctatis; singulum vittis duabus flavis, externa abbreviata. Subtus virescenti-flava, metallico-micans. Mesosternum porrectum. Mesostethium tumidulum, linea media impressa. Pedes flavidi, tibiis aenescentibus, tarsis cupreis.

A R. liturella Kirbyi (Transact. of the Linn. Soc. tom. XII. p. 406.) elytrorum sulcis punctatis aliisque notis differt.

RUTELA ORNATA. † Supra picea, polita; thoracis margine laterali et striola media, scutello elytrorumque maculis sex parvis brunneo-flavis. Lg. 10‴. Lat. hum. 4 1/2‴. Tab. X. f. 12.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

R. lineola multo major. Caput punctulatum, clypeo rufescente. Thorax punctulatus, margine laterali lato et striola media abbreviata brunneo-flavis. Elytra laevigata, sub lente seriebus nonnullis punctorum subtilium; singulum maculis parvis tribus brunneo-flavis. Podex alutaceus. Subtus dilute badia, polita, tibiis brunneis, tarsis nigricantibus. Mesosternum tumidulum, porrectum.

Tab. X. f. 13. **RUTELA HERALDICA.** † Capite nigro; thorace rufescenti-luteo, vittis duabus nigris; elytris sanguineis, ad basin et apicem nigris. Lg. 6‴. Lat. hum. 3⅓‴.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Caput punctulatum, clypeo antice emarginulato, subreflexo. Thorax luteus, latera versus rufescens, vittis duabus in disco nigris. Scutellum magnum, nigrum. Elytra irregulariter striato-punctulata. Podex luteo-rufescens. Subtus nigra, medipectore antice, et mesosterno magno, exserto, porrecto luteis. Antennae nigrae. Pedes nigri, femoribus posticis ad dimidium luteis.

Tab. X. f. 14. **RUTELA COERULEA.** † Tota coerulea, nitidissima, elytris punctulatis. Lg. 4⅓‴. Lat. hum. 2½‴.

Hab. inter S. Pauli civitatem et Villam riccam.

Inter minimas sui generis. Caput punctulatum, fronte impressa. Thorax laevis, marginulo laterali reflexo, puncto utrinque impresso. Scutellum magnum, laevigatum. Elytra irregulariter striato-punctulata, ad basin impressa. Podex subtiliter alutaceus. Subtus virescenti-coerulea, nitidissima. Mesosternum exsertum, porrectum. Antennae nigrae. Pedes coerulei, tarsis nigricantibus, femoribus anticis ad basin albido-ciliatis.

Tab. X. f. 15. **RUTELA LAUTA.** † Atra, nitida; thorace ad latera cupreo; elytris fascia sanguinea. Lg. 4½‴. Lat. hum. 2½‴.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Magnitudine praecedentis. Caput paullum aeneo-micans, fronte impressa, punctulata, vertice laevigato. Thorax valde convexus, politus, ad latera splendide et late cupreus. Scutellum magnum, laevigatum. Elytra convexiuscula, nitida, ad basin plicatula, stria ad suturam impressa; singulum fascia sanguineo-cuprea, suturam non attingente. Subtus cum pedibus nigerrima, nitida. Mesosternum exsertum, obtusum. Mesostethium profunde impressum, excavatum. Antennae flavicantes.

Tab. X. f. 16. **RUTELA SMARAGDINA.** † Splendidissime viridi-aurea; thorace laevigato, utrinque fovea punctulata; elytris rugosis, tarsis cyanescentibus. Lg. 9‴. Lat. hum. 4¼‴.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Affinis sane R. sumptuosae (Zoologic. Journ. tom. II. p. 542) sed multo major et distincta. Tota splendidissime nunc viridi-aurea, nunc viridi-cupreo-aurea. Caput punctulatum, clypeo alutaceo, fronte impressa. Thorax marginulo laterali reflexo, disco laevigato, fovea utrinque longitudinali punctulata. Scutellum laevissimum. Elytra substriata, interstitiis plicato-rugosis; singulum ad basin marginem versus lateralem fovea plicata impressum. Anus in uno specimine ab elytris totus obtectus. Mesosternum porrectum, subacuminatum. Mesostethium sulco obsoleto. Parapleurae flavescenti-hirtae. Antennae et trophi nigricanti-virides. Pedes aureo-virides; tibiae et praesertim tarsi cyanei. Tarsorum unguiculi subaequales: in anticis externus, in posterioribus internus paullo minor.

DICRANIA DICHROA. † Atra, laevigata; thorace sanguineo; tibiis et femoribus posticis incrassatis. Lg. 5‴. Lat. hum. 2 ½‴. Tab. XI. f. 1.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Dicraniae genus, a celeberr. Lepelletier et Serville conditum, valde distinctum et naturale. Caput nigrum, rugulosum. Antennae nigrae, capitulo triphyllo. Palpi maxillares brunnescentes, articulo ultimo compresso, sublunato. Thorax convexus, laevigatus, nitidus, marginulo laterali reflexo. Scutellum grande, laevigatum. Elytra polita, ad basin depressa, postice coarctata, podicem et penultimum abdominis segmentum non obtegentia, ad apicem rotundata. Subtus cum pedibus nigra, flavescenti-pilosa. Mesostethium maximum, dilatatum, in medio impressum. Parapleurorum pars posterior valde magna. Tibiae anticae extus bidentatae. Tarsorum articuli compressi; anticorum articulus primus in dentem curvum dilatatus. Femora postica incrassata. Tibiae posticae ad apicem dilatatae. Tarsorum omnium unguiculi compressi, brunnei, ad apicem bifidi.

INCA TAPUJO. † Subtus aeneus; clypeo maris bicorni, cornubus compressis integris; thorace griseo-punctato, ad marginem crenulato, elytris brunneo- et griseo-variis. Lg. 14—16‴. Lat. hum. 5—6‴. Tab. XI. f. 2.

Habitat in Deserto Prov. Minarum.

Affinis Goliatho fasciato et inscripto Kirbyi, (Transact. of the Linn. Soc. Tom. XII. p. 407) sed diversus. Caput maris inter cornua flavido-pilosum. Clypeus in femina muticus. Maxillae valde porrectae, pilosae, ferrugineae, ad apicem bifidae. Palpi nigricantes. Thorax suborbicularis, ad marginem lateralem crenulatus; inaequalis, ubique griseo-punctatus. Scutellum fuscum, griseo-varium. Elytra brunneo-fusca, griseo-varia; postice fascia fusca undata, obsoleta; humeris elevatis. Subtus aeneus, flavescenti-pilosus. Podex subacuminatus, albo-punctatus. Antennae ferrugineae, articulo basali nigro. Pedes aenei, tibiis cupreo-aeneis.

Tapujo in lingua brasilica, quae generalis dicitur, Indum barbarum significat.

INCA FABRICII. † Thorace atro, albo-lineato; elytris brunneis, albo-irroratis; clypeo bipartito. Tab. XI. f. 3.

Cetonia Inca, Fabr. Syst. Eleuth. tom. II. p. 136.

Habitat in Deserto Prov. Minarum.

MACRODACTYLUS HAEMORRHOUS. † Niger, thoracis lateribus, elytrorum basi et sutura anoque sanguineis; abdominis lateribus et stria in elytris prope suturam albis. Lg. 4‴. Lat. hum. 1 ½‴. Tab. XI. f. 4.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput punctulatum. Thorax elongatus, antice latior, postice paullum coarctatus, rotundatus; laevis, niger; lateribus, maculis duabus posticis et margine undique angusto, sanguineis. Scutellum

nigrum. Elytrorum stria albida e pilis decumbentibus constat. Subtus cyanescenti-niger, abdomine rufo, lateribus et segmentorum basi albis. Antennae brunneae, capitulo nigro. Trophi brunnei. Pedes fusco-brunnei, tibiis tarsisque nigricantibus, unguiculi apice bifido rufo.

Tab. XI. f. 5. HOPLIA VARIEGATA. † Nigra, e squamulis parvis albo-variegata; pedibus rufis. Lg. $3\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Serra de Tuba, in mediterraneis Prov. Bahiensis.

Caput nigrum, striolis duabus albis, clypeo antice truncato, subreflexo. Thorax subdiscoideus, antice posticeque truncatus, convexiusculus, niger, margine et striis tribus longitudinalibus albis. Scutellum albo-squamosum. Elytra nigra: margine, stria ad suturam et striolis in singulo sex abbreviatis albis. Podex albus. Subtus tota albido-squamosa. Antennae ferrugineae. Pedes pallide ferruginei, tarsis nigricantibus. Unguiculi anteriores subinaequales.

Tab. XI. f. 6. MACRASPIS BADIA. † Supra badia, polita; scutelli margine et elytrorum sutura fusca; thoracis marginulo et puncto utrinque pallidiore. Lg. $8'''$. Lat. hum. $4'''$.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput sub lente subtilissime punctulatum, clypeo profunde emarginato. Thorax fusco-badius, laevissimus, margine undique extremo, et utrinque macula parva laterali dilute badiis. Scutellum laevissimum, triangulare, ad latera fuscum. Elytra laevissima, clare badia, nitida, sutura et marginulo angustissime fuscescentibus. Podex niger, macula utrinque magna badia. Subtus nigricans, anum versus et ad segmentorum abdominalium latera castanea. Mesosternum exsertum, valde elongatum, apice obtuso. Antennae castaneae. Pedes badii, tibiis externe nigricantibus.

Tab. XI. f. 7. MACRASPIS TAENIATA. † Capite, thorace et scutello cupreis; thoracis vitta utrinque laterali et scutelli apice fuscis; elytris castaneis, subtiliter alutaceis. Lg. $8'''$. Lat. hum. $4'''$.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Caput planum, nitidum, subtiliter punctulatum, clypeo integro. Thorax nitidus, subtiliter et vage punctulatus, latera versus utrinque vitta longitudinali virescenti-nigra. Scutellum laeve, nitidum. Elytra castanea, minime metallico-nitida; subtiliter punctato-rugulosa. Subtus cum pedibus castanea, metallico-nitida. Mesosternum exsertum, valde elongatum. Antennae castaneae.

Tab. XI. f. 8. MACRASPIS BRUNNEA. † Sanguineo-brunnea, polita, complanata; mesosterno plano, depresso, lato. Lg. $10\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $5\frac{1}{3}'''$.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput laeve, clypeo profunde exciso, ciliato, foveola utrinque ad oculos impressa, oculis nigris. Thorax valde brevis, transversus, antice angustatus, laevissimus, marginulo undique pallidiore. Scutellum maximum, laevissimum. Elytra planiuscula, laevissima, ad basin impressa. Podex ferrugineo-ciliatus. Subtus concolor, pedibus paullo pallidioribus.

GYMNETIS CINCTA. † Atra; elytrorum margine sulphureo. Long. 11'''. Lat. hum. 6½'''. Tab. XI. f. 9.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Supra tota atra, vix nigro-irrorata, opaca, glabra, elytrorum margine basin vero non contingente, undulato, laete sulphureo. Scapularia ad angulum externum nigerrima, nitida. Scutelli apex extremus a prothorace non obtectus, niger, nitidus. Subtus nigra, pectore et abdomine ad latera laminatis, opacis, ad medium nitidis. Mesosternum maximum, corniforme, deorsum curvatum, acuminatum. Maxillae ferrugineo-hirsutae. Antennae et pedes nigri.

GYMNETIS SCUTELLATA. † Subtus griseo-flavescens, nigro-punctata; supra nigra, ferrugineo-varia, scutelli apice flavo. Lg. 8½'''. Lat. hum. 4⅔'''. Tab. XI. f. 10.

Caput ferrugineum, nigro-punctatum, clypeo integro, antice truncato. Thorax praesertim antice et ad latera ferrugineo-variegatus. Scutelli apex a prothorace non obtectus, flavus. Elytra sutura elevata; sicuti scapularia nigra, ferrugineo-variegata. Mesosternum porrectum, obtusum. Maxillae ferrugineo-hirsutae. Antennae nigrae. Pedes flavicantes, nigro-punctati.

GYMNETIS BAJULA Fabr. Livida; thorace elytrisque fusco-variis, sterno antice cornuto. Tab. XI. f. 11.

Cetonia bajula, Fabr. syst. Eleuth. tom. II. p. 142.

Hab. prope Sebastianopolin.

PSILODON Perty.

(LAMELLICORNIA: LUCANIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Caput brevissimum, transversum, emarginatum, eclypeatum. Antennae articulis ultimis pectinatis. Trophi maxima e parte non obtecti: mandibulae exsertae, porrectae, palpi filiformes, mandibulis longiores.

Observatio. Sinodendro proximus, quod arcte cum Phileuro conjungit. Corpus cylindricum, subparallelum. Oculi valde magni, globosi. Mandibulae tenues, porrectae, apice sursum curvato. Palpi filiformes: maxillares mandibulis longiores, triarticulati; labiales mandibularum longitudine, biarticulati. Antennae ante et intra oculos insertae, 8-articulatae, articulo 1° praelongo, cylindrico, 2° — 5° brevissimis, submoniliformibus, 6° 7° 8° pectinatis. Thorax elytrorum latitudine, convexiusculus, ad latera rotundatus. Scutellum latiusculum. Elytra cylindrica, subparallela, abdomen totum obtegentia. Pedes quoad longitudinem et validitatem medii, sicuti fere in Sinodendro. Tibiae omnes extus dentatae. Tarsi subfiliformes. Unguiculi ubique duo, aequales.

(Nomen genericum e verbis ψιλος, nudus, detectus et ὀδοὺς, dens.)

Tab. XI. f. 12.

PSILODON SCHUBERTI. † Fuscus, antennarum clava brunnea; thorace sulcato; elytris carinatis, interstitiis reticulatis. Lg. 6'''. Lat. hum. $2\frac{1}{3}$'''.

Hab. in Prov. Piauhiensi.

Caput rugulosum, fronte impressa, denticulo utrinque ad oculos erecto. Thorax punctulatus, sulco medio profunde impresso. Scutellum politum, punctis aliquot impressis. Elytra carinis laevigatis longitudinalibus, interstitiis transversim carinulatis. Subtus cum pedibus piceus. Antennae piceae, articulis 3 ultimis brunneis. Mandibulae supra ciliatae, ciliis erectis. Palpi picei. Tibiae anticae extus denticulis plurimis, apicem versus majoribus; tibiae mediae dentibus aliquot validis; posticae obsolete dentatae.

Vocatus in honorem Dm. Drs. et Prof. *Schubert*, mus. zoolog. reg. Acad. scient. conservat.

Tab. XI. f. 13.

CHALCIMON SPIXII. † Clypeo prolongato, emarginato; mandibulis intus denticulis plurimis, apice acuminato, recurvo, et ante apicem dente acuto munitis. Lg. $14\frac{1}{2}$'''. Lat. hum. $3\frac{3}{4}$'''.

Ch. Humboldti quoad colorem et habitum valde affinis, sed minor et distinctus. Tantum marem mutilum vidi. Mandibulae quam in specie nominata graciliores, ebarbatae, apice magis recurvo, denticulis secundum totam longitudinem evidentioribus. Caput flavescenti-setulosum, angulis ante oculos acutioribus, clypeo magis prolongato, paullum reflexo. Elytra aenea, flavescenti-squamulosa, sicuti in specie affini; lineis in singulo duabus elevatis, quarum interna obsoleta.

Nomen Pholidoti, huic generi a celeberr. Mac Leay attributum, jam mammali cuidam impositum est.

Tab. XI. f. 14.

PASSALUS ARMATUS. † Depressus, niger, nitidus; antennarum capitulo triphyllo; capite cornu procumbenti-porrecto, ad apicem truncato, emarginato; thorace sulcato, fovea utrinque punctulata; elytris punctato-sulcatis, punctis latera versus evidentioribus. Lg. 19'''. Lat. hum. 6'''.

Hab. in Brasilia aequatoriali.

P. cornuto affinis, sed corpore magis elongato, depresso, cornuque verticalis figura facile distinguendus. Caput fronte excavata, utrinque intra oculos cantho antice acuto, subemarginato, septo oculorum paene in eorum medium contingente; cornu medio magno, paullo deorsum curvato, subparallelo, antice emarginato; margine antico utrinque obsoletissime dentato, ad medium minime emarginato. Oculi rufo-brunnei. Thorax satis planus, angulis anticis acutis, linea media profunde impressa, utrinque ad marginem punctis aliquot magnis, cicatricosis, confluentibus, foveolam efformantibus. Elytra plana, ad latera abruptim declivia, sulcis latiusculis, ad partem declivem profundius punctatis. Mandibulae a labio fere totae obtectae, apice subquinquedentato. Antennae capitulo depresso, triphyllo, fuscescenti-tomentoso.

PASSALUS SPECTABILIS. † Niger, depressus, nitidus; antennarum capitulo triphyllo; thoracis lateribus postice, elytrorumque antice ferrugineo-hirsutis; capite utrinque intra oculos impresso, carina media elevata et denticulo utrinque ad carinam; elytris planis, sulcatis, sulcis externis punctatis. Long. 23‴. Lat. hum. 7½‴. Tab. XI. f. 15.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

P. interrupto valde affinis, sed major; et maximus sui generis in hemisphaerio occidentali videtur. Caput ad marginis antici medium retusum, utrinque cantho intra oculos superne rotundato, intraque canthum excavatum, ruguloso-punctatum, carina media antice in dentem exeunte, elevata, et ad carinae basin utrinque tuberculo denticuliformi. Oculi rufo-brunnei. Thorax parum convexiusculus, angulis anticis vix acutis, posticis rotundatis; marginulo laterali crenato-punctulato; sulco medio et utrinque foveola subrotunda punctulata impressis. Elytra dorso valde plano, sulcis dorsalibus impunctatis, externis utrinque sex crenato-punctatis; interstitiis planis, passim paullo rugulosis. Antennae capitulo triphyllo, depresso, flavescenti-tomentoso. Labium mandibulas usque ad apicem obtegens, ferrugineo-hispidum, antice emarginatum. Mandibulae ad apicem obtuse tridentatae. Tibiae mediae ferrugineo-barbatae.

PASSALUS PELLICULATUS. † Niger, subdepressus, nitidus; antennarum capitulo triphyllo; capite antice subretuso, utrinque intra canthum lateralem elevatum impresso, carina media elevata; thorace convexiusculo, fovea utrinque subrotunda, punctulata, postice ad latera ferrugineo-hirto; elytris punctato-sulcatis. Lg. 18‴. Lat. hum. 5⅓‴. Tab. XI. f. 16.

Hab. in mediterraneis Prov. Minarum et Bahiae.

P. barbato propinquus, sed praesertim corpore minus depresso, et sulcis elytrorum omnibus punctatis, sicuti barbae defectu ad basin elytrorum distinctus. Caput margine antico truncato, integro, denticulo utrinque parvo; cantho laterali elevato, rotundato; oculorum cantho oblique truncato; tuberculo medio elevato, et lineis duabus divergentibus elevatis a tuberculo decurrentibus. Thorax convexiusculus, angulis anticis fere rectis, posticis rotundatis; marginulo laterali crenulato-punctato, impressione utrinque ad marginem lateralem, et foveola subrotunda laterali punctulatis, sulco medio et impressione laevi utrinque ad marginem posticum. Elytra parum convexa, punctato-sulcata, punctis latera versus evidentioribus; interstitiis subrotundatis, laevibus. Antennae capitulo triphyllo, depresso, flavescenti-tomentoso. Labium ferrugineo-setosum, antice emarginatum, mandibulas ultra dimidium obtegens. Mandibulae ante apicem emarginatae, apice obtusissime tridentato. Tibiae mediae ferrugineo-barbatae.

Nota. Passali species valde numerosae, et, cum sexus notitia nobis desit, difficile extricandae sunt. Scriptores vetustiores, etiamque celeberr. Fabricius, species plures pro una habuere, quare characteres, in species hodiernas appliciti, vagi evaserunt.

COLEOPTERA HETEROMERA.

FAMILIA: MELASOMATA.

Tab. XII. f. 1. TENTYRIA STRIIPUNCTA. † Tota atra, subnitida; capitis fovea utrinque ante oculos impressa, verticeque punctulatis, thorace laevi; elytris longitudinaliter punctatis. Lg. 8½‴. Lat. hum. 2½‴.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Magnitudine fere T. grossae Dej. Caput clypeo antice attenuato, truncato, margine laterali ante oculos reflexo, impressione utrinque subpunctata, vertice dense ac subtiliter punctulato. Thorax suborbicularis, antrorsum paullo latior, antice posticeque truncatus, laevigatus, ante marginem posticum linea, foveolisque tribus aut quatuor obsoletis, impressis. Scutellum brevissimum. Elytra ovata, ante apicem paullum ac vix paullum coarctata, marginulo ad basin reflexo, punctorum impressorum in singulo (illis epipleurorum adjectis) seriebus longitudinalibus novem. Antennae et pedes concolores. Tibiae anticae paullo curvatae. Tarsi subtus aureo-sericantes.

Tab. XII. f. 2. ASIDA PLATYNOTOS. † Nigra, supra complanata, elytrorum dimidio postico grisescenti-tomentoso. Lg. 8½‴. Lat. hum. 3½‴.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Habitu singulari. Nigra, nitidula. Caput fronte impressa, oculorum cantho antico prominente, clypeo labioque superiore emarginatis, punctatis. Thorax transversus, antrorsum angustatus, antice profunde emarginatus, angulis acutis, marginulo laterali reflexo, punctis duobus in disci medio et impressionibus aliquot. Scutellum breve. Elytra pone medium paullo latiora, dimidio postico tomento e pilis brevissimis fusco-griseis obtecto; undulatim inaequalia; singulum stria elevata, undulata, a basi usque ad dimidium decurrente, et altera obsoleta interiore; margine exteriore acuto; epipleuris maximis, glabris, vix undulatim inaequalibus. Antennae capite thoraceque parum longiores, brunnescenti-pilosae. Femora nigra, tibiae fuscae, tarsi brunnescenti-pilosi.

Tab. XII. f. 3. ASIDA PICTA. † Fusco-grisea, supra complanata; elytris brunnescenti- et albido-variegatis. Long. 5½‴. Lat. hum. 2½‴.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Habitu paene praecedentis, magis deplanata, multo minor. Supra pilis minutissimis, brevissimis nunc fuscis, nunc griseis obtecta, et passim variegata. Caput fronte parum impressa, clypeo truncato, emarginato. Thorax planus, antrorsum angustatus, antice profunde emarginatus, margine laterali sordide ferrugineo, macula albida postica. Scutellum valde minutum, impressum. Elytra satis plana, apicem versus acuminata, fusca, passim obscure ferrugineo-maculata, praesertim latera versus et apicem albido-variegata. Subtus cum pedibus grisescenti-pilosa. Antennae capite thoraceque longiores, brunnescenti-pilosae.

OPATRUM GRAMMICUM. Griseo-ferrugineo-tomentosum, scutello, et striola in elytro singulo obliqua atro-holosericeis; elytris costa abbreviata longitudinali. Lg. 10 ½‴. Lat. hum. 4⅓‴. Tab. XII. f. 4.

Inter maximas species hujus generis, habitu potius Asidae. Supra tota tomento tenui griseoferrugineo subholosericeo obtecta. Caput fronte impressa. Thorax quadratus, antice profunde emarginatus, linea margini antico parallela impressa. Elytra pone medium latiora, ante apicem paullum attenuata; margine exteriore acuto, postice ciliato-serrato; sutura et costa, quae apicem minime non attingit, in singulo elytro elevatis; epipleuris fuscis, laevibus. Subtus cum pedibus fusca, abdomine flavo-sericante. Antennae flavescenti-pilosae.

TENEBRIO OPATROIDES. † Griseo-fuscus; elytris crenato-punctatis, pedibus brunneis. Lg. 5‴. Lat. hum. 1 ½‴. Tab. XII. f. 5.

Habitat ad flumen S. Francisci.

T. molitore multo minor. Totus griseo-fuscus, opacus. Caput clypeo rotundato, fronte parum impressa. Thorax quadratus, parum convexus. Scutellum valde minutum, subtiliter punctulatum. Elytra thorace vix latiora, triplo longiora; striis elevatis, interstitiis crenato-punctatis. Antennae et trophi brunnescentes. Pedes brunnei, tibiis anticis curvatis. Alae albae.

TENEBRIO MAXIMUS Germ. Planiusculus, ater, thorace subtiliter punctato; elytris striato punctatis, interstitiis planis, subtilissime alutaceis. Tab. XII. f. 6.

Upis maxima, Germar, insect. spec. nov. etc. tom. I. p. 148.

Habitat ad flumen S. Francisci.

TENEBRIO ANGULATUS. † Ater; capite thoraceque angulatis; elytris sulcatis. Lg. 14‴. Lat. hum. 4½‴. Tab. XII. f. 7.

Habitat in Prov. Piauhiensi.


Magnitudine et fere statura T. armati Dej. Caput complanatum, subtiliter rugulosum, collo distincto, clypeo antice truncato, ante oculos utrinque acute biangulato, fronte angusta, impressa, oculis insigniter lacunosis. Thorax parum convexus, subtiliter alutaceus, per medium canaliculatus, marginibus lateralibus crenato-angulatis. Scutellum punctulatum. Elytra convexiuscula, ante apicem emarginata, sulcata: sulcis subpunctatis, subtiliter rugulosis. Subtus cum antennis pedibusque ater. Tarsi subtus ferrugineo-pilosi.

CERATUPIS Perty.

(MELASOMATA: TENEBRIONIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Caput cornutum. Antennae submoniliformes. Tibiae anticae emarginatae.



CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE capite thoraceque breviores, 11-articulatae: articulis primis subcylindricis, 2° inter reliquos brevissimo, 3° praecedentibus paullo longiore, 6°—10° compressis, ultimo discoideo. LABIUM superius transversum, antice ciliatum. MANDIBULAE breves, validae, ante apicem emarginatae, apice exciso, subtus excavatae. MAXILLAE stipite corneo, mala corneo-carnosa, bipartita: parte interna unguiculo corneo, qui Melasomatibus solemnis est, munita. PALPI omnes articulo ultimo dilatato, subsecuriformi. MENTUM fere cordiforme. OCULI insigniter lacunosi, maxima e parte inferi. CAPUT thorace duplo angustius, cornu magno inter oculos, ad basin angusto, apicem versus magis magisque dilatato, apice emarginato, paullum reflexo. THORAX subquadratus, parum convexus, antice excavatus, angulis anticis porrectis, acutis, corniformibus. SCUTELLUM minutum. ELYTRA thoracis latitudine, quare truncus evadit parallelus; subconvexa, epipleuris angustis. PEDES validi, quoad longitudinem medii: tibiis anticis ante apicem emarginatis, posterioribus simplicibus, tarsorum articulis primis brevissimis, ultimo elongato, unguiculis duobus muticis. Alata, ALIS subcompletis.

Tria vidi exemplaria, quorum unum ob capitis cornu minus, thoracis excavationem et cornua magis obsoleta femineum existimo.

Tab. XII. f. 8. CERATUPIS NIGERRIMA. † Atra, nitida; thorace laevi, elytris profunde punctatis. Lg. 9½'''—10½'''. Lat. hum. 3¼—3½'''.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Caput subtiliter punctulatum. Thorax laevissimus. Scutellum laeve. Elytra profunde longitudinaliter punctata, paene foveolata. Tarsi subtus pilosi.

BLAPIDA PERTY.

(MELASOMATA: TENEBRIONIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

ANTENNAE apicem versus articulis dilatatis, compressis. ELYTRA ad apicem mucronata. PROSTERNUM exsertum, acuminatum, a MESOSTERNO excavato recipiendum.

CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE capite thoraceque paullo breviores, sub clypei margine insertae, 11-articulatae: articulis primis cylindricis, 2° inter reliquos minimo, tertio sequentibus multo longiore, 4° et 5° obconico-cylindricis, reliquis compressis, dilatatis, ultimo subovato. LABIUM superius subquadratum, antice truncatum. MANDIBULAE breves,

validae, apice truncato, subtus excavatae. MAXILLAE corneae. PALPI, praesertim maxillares, articulo ultimo magno, securiformi. MENTUM angustum, subquadratum. CAPUT thorace multo angustius, planum, antice truncatum, paullo emarginatum. OCULI maxima e parte inferi, portione superiore satis plana. THORAX quadratus, antice minime angustatus. SCUTELLUM parvum. ELYTRA antice gibbosa, apicem versus angustata, apice mucronata, epipleuris angustissimis. PROSTERNUM exsertum, acuminatum. MESOSTERNUM profunde excavatum pro recipiendo prosterno; structura uti in Serricornibus, sed in Tenebrionidarum familia singulari. PEDES quoad validitatem et longitudinem medii, paene tenuiusculi, mutici, tarsis compressis, articulo ultimo elongato, unguiculis muticis. Alata, ALIS completis.

BLAPIDA OKENI. † Tota nigerrima, nitida. Long. 9 — 11'''. Lat. hum. 3 — 3¾'''. Tab. XII. f. 9.

Hab. in montibus Prov. Minarum.

Caput subtiliter et vage punctulatum. Thorax laevissimus, marginulo laterali reflexo, ruguloso. Scutellum laeve. Elytra subtiliter punctato-striata, ad basin et marginem exteriorem plicatula, fovea ante apicem impressa, marginulo laterali reflexo, apice mucronato canaliculato. Utrinque ad segmentorum abdominalium latera impressiones anum versus magis obsoletae.

Vocata in honorem viri praestantissimi Dm. Drs. *Oken*, Prof. Monacensis.

CYRTOSOMA PERTY.

(MELASOMATA: TENEBRIONIDAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

ANTENNAE sub clypei margine insertae, apicem versus articulis dilatatis, compressis. TARSI articulo penultimo minuto. CORPUS breve, gibbosum.

CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE capitis thoracisque longitudine, 11-articulatae: articulis primis 5 submoniliformibus, 2° inter reliquos minimo, 6°—10° dilatatis, subtrigonis, compressis, ultimo subdiscoideo. LABIUM superius transversum, lateribus rotundatis antice angustatum, ciliatum. MANDIBULAE breves, admodum validae, supra planae, subtus concavae. MAXILLA mala bipartita corneo-carnosa, lobo interno ciliato. PALPI, praesertim maxillares, articulo ultimo subsecuriformi. MENTUM angustum, transversum, angulis omnibus rotundatis. CAPUT thorace multo angustius, planiusculum, antice recte truncatum. THORAX transversus, brevis, angulis omnibus acutis. ELYTRA thorace multo latiora, valde gibbosa. PEDES quoad validitatem et longitudinem medii, femoribus et tibiis omnibus cylindricis, rectis. TARSI articulo penultimo prae reliquis minuto, ultimo valido, longitudine omnes praecedentes aequante. UNGUICULI mutici. Alatum, ALIS completis.

Nomen genericum e verbis κυρτὸς gibbosus, et σῶμα, corpus.

Tab. XII. f. 10. CYRTOSOMA UNICOLOR. † Totum atrum, nitidulum; elytris striatis. Lg. $6\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $2\frac{3}{4}'''$.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Caput laevigatum. Thorax ad marginem anticum utrinque depressus, margine laterali antice exciso; laevis, antice parum emarginatus. Elytra profunde striata, striis exterioribus apicem versus convergentibus, interstitiis laevibus, striis suturae proximis sub lente punctulatis. Antennae apicem versus fuscae. Tarsi subtus aureo-pilosi.

FAMILIA: TAXICORNIA.

Tab. XII. f. 11. DIAPERIS MACULATA. † Ferruginea; maculis pluribus thoracis et elytrorum, pectore pedibusque nigris. Lg. $3'''$. Lat. hum. $1\frac{2}{3}'''$.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Magnitudine vix D. violaceae, magis elongata. Caput laeve, oculis et macula verticali nigris. Thorax laevis, maculis novem parvis, subrotundis, in series tres dispositis. Elytra punctorum subtilium seriebus longitudinalibus, et maculis octo parvis nigris in dimidio antico. Antennae, pedes, pectus nigra.

Tab. XII. f. 12. DIAPERIS CRUENTA. † Subtus fusca, supra nigra; elytrorum signatura basali et puncto postico sanguineis. Lg. $3\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{4}'''$.

Habitat ad flumen S. Francisci.

D. submaculata Dej. major. Caput nigrum, clypeo rufescente. Thorax et elytra nigra: haec subtilissime striato-punctata, et singulum signatura ad basin, normam geometricam referente, punctisque 2 sanguineis, quorum externum valde obsoletum. Subtus fusca. Antennae fuscae. Labium superius, palpi et pedes ferruginei.

FAMILIA: STENELYTRA.

Tab. XII. f. 13. PROSTENUS PERISCELIS. † Nigro-coeruleus; femoribus ad medium fulvis. Lg. $5'''$. Lat. hum. $1\frac{3}{4}'''$.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Totus nigro-coeruleus, subtus nitidus, supra opacus. Caput punctulatum, fronte excavata. Thorax punctulatus, rare pilosus. Scutellum laevigatum. Elytra subsericantia, parce pilosa, sub lente longitudinaliter punctulata, ita ut series punctorum proxime positorum cum seriebus e punctis longe remotis alternent. Antennae nigrae, articulis 4° — 10° trigonis, compressis, magis magisque dilatatis, ultimo ovato-lanceolato. Pedes cyanei, femoribus omnibus apicem versus paullum incrassatis, ad medium ferrugineo-fulvis.

Prosteni genus, ab Helopibus separatum, etiam habitu eleganti insigne, naturale videtur. Museum species octo possidet indescriptas, omnes in America meridionali collectas.

HELOPS TIGRINUS. † Brunneo-flavus; thorace elytrisque nigro-maculatis. Lg. $4^2/_3'''$. Lat. hum. $1^3/_4'''$. Tab. XII. f. 14.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput badium, fronte impressa, oculis fuscis. Thorax transversus, antice paullum emarginatus, marginulo laterali et postico acuto reflexo, nigricante, maculis nigris in disco et ad marginem posticum. Elytra vage et inordinate punctulata, maculis multis irregularibus, nigris. Subtus brunneo-flavus. Antennae fuscae, ad basin flavae, apicem versus minime incrassatae. Pedes valde graciles et elongati, tibiis tarsisque fuscescentibus. Tibiae anticae paullo curvatae.

HELOPS FLAVUS. † Testaceus; oculis fuscis, elytris striatis, abdomine ferrugineo. Lg. $1''$. Lat. hum. $4^2/_3'''$. Tab. XII. f. 15.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Magnitudine et statura H. striati Fab. Caput planum, clypeo recta truncato. Thorax transversus, antice parum angustatus, subtiliter punctulatus. Scutellum laeve, testaceo-fuscum. Elytra striata, striis subtiliter punctulatis, apice valde acuto. Antennae et pedes testacei. Tibiae anticae et mediae paullo curvatae.

HELOPS GEOMETRICUS. † Coerulescens; elytris dilute chalybeis: sutura, fasciis duabus, et margine undique ferrugineo-rufis. Tab. XII. f. 16.

β. Elytris totis ferrugineis.

Lg. $5^1/_2'''$. Lat. hum. $2'''$.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Satis elongatus. Caput fronte impressa, siculi thorax, virescenti- aut coerulescenti-nigrum. Scutellum chalybeum. Elytra virescentia aut coerulescentia, sutura, margine undique et fasciis duabus angustis ferrugineis. Subtus cum pedibus cyaneus, nitidulus. Antennae cyaneae, filiformes, apicem versus parum incrassatae.

HELOPS HIEROGLYPHICUS. † Dilute brunneus, fasciis, annulis et punctis thoracis elytrorumque nigris. Lg. $5^1/_2'''$. Lat. hum. $2^1/_2'''$. Tab. XIII. f. 1.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Habitu omnino H. undati Fab. et forte cum eo distinctum genus constituens. Caput usque ad oculorum dimidium insertum, ad corporis longitudinem verticale, clypei margine ante oculos reflexo, et sub eo antennis insertis; fronte valde angusta. Thorax antice profunde emarginatus, signatura obcordiformi et utrinque maculis duabus nigris. Elytra annulis, fasciis undatis et strigis pluribus nigris; sub lente obsolete striato-punctata. Subtus brunneus, parum nitidulus. Antennae articulis obconicis, nigrae, ad basin brunnescentes. Pedes brunnei, femoribus ad apicem tibiisque nigricantibus.

Tab. XIII. f. 2. STRONGYLIUM HUMERALE. † Capite, thoraceque cupreis; elytris crenato-striatis, viridi-aeneis, macula humerali et fascia postica flavis. Lg. 4⅓‴. Lat. hum. 1⅙‴.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Caput rugulosum. Thorax cylindricus, antice paullum angustatus, dense punctulatus. Elytra obscure metallico-viridia, crenato-striata, plaga humerali, marginulo laterali angustissimo ultra dimidium, et fascia suturam non attingente flavis. Subtus nitidum; thorace et pectore cupreis, abdomine aureo-viridi. Antennae brunneae, apicem versus fuscescentes. Femora viridi-aenea, ad basin flavo-brunnea. Tibiae flavo-brunneae. Tarsi fuscescentes.

Tab. XIII. f. 3. STRONGYLIUM FLAVICORNE. † Cupreum; antennis et elytris antice pallidis, sutura et in singulo vitta per plagam pallidam abbreviata, nigro-cuprea. Lg. 4‴. Lat. hum. 1‴.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Affine Helopi luteicorni Germ., sed notis pluribus differt. Caput cupreum, rugulosum, clypeo sericante. Thorax cupreus, cylindricus, sub lente ruguloso-punctatus. Elytra nigro-cuprea, margine laterali ultra dimidium, macula in singulo basali longitudinali, et fascia postica, suturam vero non attingente, pallido flavis. Subtus cuprea, abdomine flavescenti-tomentoso. Antennae pallide flavae. Pedes aenei, femoribus ad basin brunnescentibus.

GONIADERA Perty.

(STENELYTRA: HELOPII.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes, articulo secundo, quam tertius sit, breviore. Thorax subquadratus, angulis acutis. Elytra apicem versus dilatata.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae sub capitis marginibus ante oculos insertae, corporis dimidio vix longiores, filiformes, versus apicem vix ac ne vix quidem crassiores, 11 articulatae: art. 2° prae reliquis minuto, subgloboso, sequentibus octo obconico-cylindricis, versus antennae apicem minus arcte inter se conjunctis, ultimo elongato-ovato. Labium superius breve, corneum, transversum, angulis rotundatis. Mandibulae brevissimae, corneae, validae, ante apicem profunde emarginatae, apice bifido. Maxillae stipite corneo, mala corneo-carnosa, biloba: lobo externo (celeberr. Fabricio in Pythonis analysi Palpus anterior dictus) interiori applicito, paullo longiore, paene penicilliformi; interiore breviore, crassiore, corneo, hirto. Palpi maxillares

4- articulati: art. 1° cylindrico, tenui, sequentibus duobus brevibus, oblique trigonis, ultimo dilatato securiformi. PALPI LABIALES triarticulati, art. ultimo incrassato, subovato, truncato. MENTUM cordatum. LIGULA apice vix emarginata. CAPUT thorace angustius. OCULI magni, insigniter lacunosi. THORAX subquadratus, postice parum angustatus, angulo laterali ante angulum anticum prominente: angulis omnibus acutis. SCUTELLUM trigonum, mediocre. ELYTRA thorace latiora, planiuscula, postice dilatata, epipleuris antice evidentioribus. PEDES quoad longitudinem medii, tenuisculi, femoribus apicem versus parum incrassatis, tibiis rectis, subcylindricis, tarsis filiformibus, unguiculis muticis. ALIS completis.

Nomen genericum e verbis γωνία, angulus, δέρη collum.

Genus Pythoni proximum, sed a celeberr. Latreille jam e parte designatum. (Cuvier, Regne animal 2. edit. tom. V. p. 40). Museum species quatuor indescriptas possidet, quarum unam exhibeo.

GONYODERA CRENATA. † Thorace rugoso-punctato, elytris carinatis, interstitiis crenato-punctatis. Lg. 6'''. Lat. hum. 2'''. Tab. XIII. f. 4.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Tota unicolor, piceo-fusca. Caput et thorax ruguloso-punctata; hic impressione longitudinali media. Elytra carinata, carinis subintegris, interstitiis serie duplici e punctis crenatis; epipleuris punctatis. Subtus, antennis, pedibusque fusco-picea. Tarsi infra flavo-pilosi. Alae albidae.

LYSTRONYCHUS EQUESTRIS FAB. Ater; elytris fascia abbreviata aurea. Tab. XIII. f. 5.

Helops equestris Fabr. Syst. Eleuth. tom. II. p. 160.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

ALLECULA HELOPINA. † Picea, latiuscula, deplanata; thorace brevi, postice impresso, elytris punctato-striatis. Lg. 4½'''. Lat. hum. 1¾'''. Tab. XIII. f. 6.

Habitat in Brasilia australi, Prov. S. Pauli.

Caput punctulatum, oculis maximis, fronte angustissima. Thorax elytrorum latitudine, transversus, punctulatus, angulis anticis rotundatis, posticis acutis, ad marginem posticum impressionibus tribus. Scutellum laeve. Elytra parum convexa, apicem versus angustata, insigniter striato-punctata, epipleuris laevibus. Antennae corporis dimidio parum longiores, tenues, brunnescentes. Pedes picei. Articulus tarsorum ultimus e praecedente.

ALLECULA CATOPINA. † Elongata, nigra, opaca; elytris laeviter striatis; pedibus elongatis, femoribus rufis. Lg. 8½'''. Lat. hum. 2½'''. Tab. XIII. f. 7.

Hab. in Provincia Piauhiensi.

Maxima hujus generis mihi nota. Caput valde deflexum, clypeo labioque paullum elongatis, fronte angustissima, oculorum portione superiore plana. Palpi maxillares articulo ultimo maximo,

securiformi. Thorax lateribus antice rotundatis angustatus, truncatus; angulis posticis parum prominentibus, subacutis. Elytra valde elongata, convexiuscula, postice angustata, apice rotundata; laeviter striata, interstitiis pilis minutissimis, decumbentibus, fuscis obtecta. Subtus atra, nitidula. Antennae nigrae. Femora elongata, ferrugineo-rufa. Tibiae, praesertim posteriores, valde elongatae, tenues; anticae subemarginatae; omnes nigrae. Tarsi nigri, articulo ultimo e praecedentis subbilobi basi.

ACROPTERON Perty.

(STENELYTRA: HELOPII.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes, apicem versus paullum incrassatae. Corpus elongatum, lineare. Elytra apicem versus acuminata. Abdomen elongatum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque parum longiores, subfiliformes, 11-articulatae: art. 1° ad dimidium sub capitis margine reconditum, 2° quam sequens paene triplo breviore, 3° subcylindrico, gracili, sequentibus magis magisque obconicis, ultimo ovato. Labium superius brevissimum, transversum, membranaceo-corneum. Mandibulae breves validae, corneae, supra planae, subtus excavatae, apice integro. Maxilla stipite membranaceo-corneo, mala membranaceo-carnosa, biloba; lobo interno angusto, paene ensiformi, paullum curvato, externo majore, apice trigono-dilatato, ciliato. Palpi maxillares 4- articulati: art. 1° brevissimo, 2° valde elongato, subclavato, 3° obconico, praecedente duplo breviore, 4° securiformi; labiales triarticulati, art. 1° tenui, subcylindrico, 2° brevi, paullo incrassato, 3° dilatato, trigono, majore. Mentum angustum, maxillarum basin non obtegens, subquadratum. Ligula apice parum dilatata, recte truncata. Caput thorace parum angustius, planiusculum, antice truncatum. Oculi globosi, insigniter lacunosi. Thorax subquadratus, elytrorum latitudine. Scutellum semicirculare, parvum. Elytra thorace quadruplo aut quintuplo longiora, linearia, apicem versus angustata, apice saepius mucronato. Prosternum exsertum, acuminatum, a medipectore emarginato recipiendum. Antepectus et medipectus satis brevia, postpectus parum longius, convexiusculum, postice pro segmenti abdominalis primi processu recipiendo emarginatum. Abdomen valde elongatum, segmento primo protracto. Parapleurae angustae, parallelae. Pedes breviusculi, quoad validitatem medii: femoribus crassiusculis, oblongo-ovatis, tibiis brevibus, anticis vix curvatis, posterioribus rectis, tarsis filiformibus, articulo penultimo maximo, ultimo longissimo, unguiculis ubique duobus, intus muticis. Alatus, alis completis.

Species duas hujus generis celeberr. Germar sub nomine Toxici geniculati et nigripedis descripsit (Magaz. IV. p. 150 et Insect. spec. p. I. p. 147); Toxicum vero celeberr. Latreillii, (Gener. Crust. et Ins. tom. II. p. 167.) animalculum valde diversum.

ACROPTERON RUFIPES. † Viridi-aeneum, nitidum; elytris substriatis, punctatis; pedibus rufis. Lg. 7'''. Lat. hum. 1 1/2'''. — Tab. XIII. f. 8.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum, et prope Sebastianopolin.

Caput punctulatum. Oculi aureo-micantes. Thorax punctulatus, subquadratus, antice parum angustatus, angulis anticis obtusiusculis, posticis acutis, impressione longitudinali utrinque ad marginem posticum. Scutellum laeve. Elytra thorace paene quintuplo longiora, apicem versus sensim angustiora, apice acute mucronato; longitudinaliter punctata, fere substriata. Subtus ut supra aeneo-viride, nitidum, pectoris lateribus punctulatis. Antennae et trophi piceo-nigri. Femora et tibiae ferrugineo-rufa, tarsi nigricantes.

ACROPTERON AENEUM. † Aeneum, nitidum; capite profunde inserto, thorace subtilissime punctulato, elytris longitudinaliter punctatis, acuminatis. Lg. 5'''. Lat. hum. 1 1/3'''. — Tab. XIII. f. 9.

Habitat prope Sebastianopolin.

Praecedente satis minor. Caput parum eminens, punctulatum, fronte lata, paullum impressa. Thorax quadratus, convexiusculus, subtilissime ac densissime punctulatus, linea margini postico parallela, impressa. Scutellum semicirculare, laeve. Elytra thorace quadruplo longiora, apicem acuminatum versus angustata, longitudinaliter punctata, stria ad suturam impressa, et altera parallela obsoletiore. Subtus brunnescenti-aenea. Antennae et trophi fusci. Pedes aenei, femoribus brunnescentibus. Alae nigricantes.

SERROPALPUS LINEATUS. † Sordide testaceus; thorace maculis tribus obscurioribus; elytro singulo linea pallidiore. Lg. 6'''. Lat. hum. 1 1/2'''. — Tab. XIII. f. 10.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput profunde insertum, oculis trophisque nigricantibus. Palpi maxillares insigniter serrati. Thorax subtilissime pubescens, sordide testaceus, medio et macula utrinque magna fuscescente. Elytra subtiliter pubescentia, margine et linea prope suturam longitudinali dilute testaceis; apice vix emarginato. Subtus sordide testaceus, pectore fusco. Antennae fuscae, capite thoraceque paullo longiores. Pedes obscure testacei; tibiis ad apicem tarsisque nigricantibus.

FAMILIA: TRACHELIDAE.

Tab. XIII. f. 11. LAGRIA EXSCULPTA. † Subtus atra, supra obscure aenea, nitidula; clytris rugosis, tuberculatis. Lg. 7'''. Lat. hum. 2 1/2'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput ruguloso-punctatum, clypeo impresso, oculis aureo-micantibus. Thorax clytris multo angustior, quadratus, convexiusculus, ruguloso-punctatus, impressione media. Scutellum punctulatum. Elytra apicem versus latiora, rugoso-punctata, tuberculorum seriebus aliquot longitudinalibus. Subtus cum antennis et pedibus atra, nitidula. Tarsorum articulus penultimus subbilobus.

Tab. XIII. f. 12. RHIPIDOPHORUS RUBROPICTUS. † Niger, thorace rufo-variegato; clytris acuminatis: maculis sex rufis. Lg. 6 2/3'''. Lat. hum. 2 1/2.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Inter maximos sui generis. Caput subtiliter punctulatum. Thorax antice angustatus, flavescenti-pubescens, postice elytrorum latitudine, scutellum versus retractus, margine laterali et postico, vittaque media antice bipartita ferrugineo-rufis. Scutellum valde minutum. Elytra apicem versus attenuata, acuminata; singulum impressione antica obliqua et puncto externo, maculaque postica majore ferrugineo-rufis. Subtus cum pedibus niger, flavescenti-sericans. Antennae capite thoraceque breviores, serratae, nigrae. Parapleurae et scapularia maxima. Alae fuscae. Pedes nigri.

Tab. XIII. f. 13. PELECOTOMA HELVA. † Tota helva, oculis nigris, pygidio truncato, retracto. Lg. 6'''. Lat. hum. 2 1/2'''.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Hoc in genere magna. Fusca, sed pilis decumbentibus densissime obtegentibus tota flavescenti-cana. Caput inferum, parvum, ad oculos usque insertum, labio superiore et maxillis flavo-hirsutis. Thorax antice valde angustatus, scutellum versus in lobum protractus. Scutellum paullum impressum. Elytra subparallela, postice minime angustata, apice rotundata, anum superantia. Subtus cum pedibus et antennis concolor. Tarsorum unguiculi dimidio externo serrulato.

FAMILIA: HORIALES.

Tab. XIII. f. 14. HORIA APICALIS. † Testacea, elytris ad basin et apicem nigris. Lg. 14'''. Lat. hum. 4'''.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Magnitudine et statura H. maculatae Fabr. Tota brunneo-testacea, subtiliter pubescens, capite, thorace scutelloque nitidulis. Antennae, mandibulae et oculi nigri. Thorax transversus, impressionibus ad angulos anticos et ad marginem posticum. Scutellum valde magnum. Elytra apicem versus involuta, marginulo laterali reflexo, ad basin et apicem nigra. Subtus testacea, nitida. Pedes nigri, femoribus ad basin testaceis. Alae brunnescenti-albidae.

FAMILIA: CANTHARIDIAE.

NEMOGNATHUS COERULEIPENNIS. † Capite thoraceque rufis, elytris coeruleis. Lg. 3⅓‴. Lat. hum. 1⅓‴. Tab. XIII. f. 15.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Caput ferrugineo-miniatum, punctulatum, oculis magnis, nigris, trophis brunnescentibus. Maxillae mala corpore satis longiore, subtilissime filiformi. Thorax capite angustior, subquadratus, subtiliter punctulatus, impressione postica. Scutellum nigro-coeruleum. Elytra thorace latiora, nigro-coerulea, sub lente subtiliter alutacea. Subtus cum pedibus niger. Alae fuscescentes. Tarsorum unguiculi apicem versus paullo dilatati, intus serrato-ciliati: apice truncato, et denticulo uno recto, altero curvato, inter se convergentibus, munito. * Caput cum trophis auctum.

TETRAONYX SEXGUTTATA. Klug. Atra, subtus argenteo-pilosa; elytris maculis tribus ferrugineis. Lg. 6½ — 8‴. Tab. XIII. f. 16.

Klug, Ent. brasil. specim. alter. in Nov. Act. Phys. med. Acad. Caes.- Leop. Carol. tom. XII. pag. 449.

Habitat circa Sebastianopolin, et in montibus Prov. Minarum.

COLEOPTERA TETRAMERA.

FAMILIA: RHYNCHOPHORI.

BRUCHUS LEUCOPYGIUS. † Capite, thorace, elytrisque nigris: his macula magna coccinea; ano albo-tomentoso. Lg. 1½‴ cum rostro. Lat. hum. 1‴ vix. Tab. XIV. f. 1.

Habitat in Brasilia australi, Prov. St. Pauli.

Magnitudine et fere statura B. granarii Fabr. capite thoraceque vero paullo magis elongatis. Oculi valde prominuli. Collum angustatum. Thorax antice valde angustatus, postice versus scutellum in lobum retractus; niger, margine postico albo-tomentoso. Scutellum minutum, albo-tomentosum. Elytra quadrata, costulata, nigra, singulum macula valde magna coccinea. Podex et hypopygium maxima, albo-tomentosa, linea fusca inter se separata. Subtus albo-tomentosus. Antennae capite thoraceque longiores, fuscae, articulis ultimis dilatatis, compressis, serratis. Pedes brunnei, tibiis posticis fuscis, canaliculatis.

BRACHYTARSUS (ANTHRIBUS) PARALLELUS. † Elongatus, parallelus, fuscus, elytrorum basi et fascia postica griseo-nebulosis. Lg. 3‴ cum rostro. Lat. hum. 1¼‴. Tab. XIV. f. 2.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Corpus totum parallelum, subcylindricum. Caput latiusculum, flavo-sericeum, rostro brevissimo, lato, truncato, supra emarginato. Thorax elytris vix angustior, quadratus, marginu-

latus, angulis omnibus subacutis; fuscus, passim griseo-nebulosus. Scutellum minutissimum, fuscum. Elytra parallela, parum convexa, ad basin recta truncata, postice rotundata, seriebus punctorum longitudinalibus; fusca, ad basin late et fascia postica griseo-nebulosa. Subtus cum pedibus griseo-fuscus. Antennae thoracis latitudine, articulis tribus ultimis dilatatis, compressis; sicuti palpi, brunneae. Tarsi brunnei, articulis difficile distinguendis.

Tab. XIV. f. 3.

STENOCERUS (ANTHRIBUS) ANATINUS. † Griseo-fuscus; thorace angulato, elytris flavo-nigroque variis, tarsis flavis. Lg. 7''' sine rostro, rostri 1¾''' Lat. hum. 3⅓'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput glabrum, fuscum. Rostrum deflexum, capite longius, planum, ad basin angustatum, ad apicem dilatatum, linea elevata media. Thorax utrinque biemarginatus, antice valde angustatus; fuscus, parce flavescenti-sericans, punctis aliquot atris. Scutellum minutissimum, flavicans. Elytra thorace vix latiora, ad basin et discum depressa, fusca; regione depressa flavescente, striolis alibi nonnullis flavis, punctisque atro-sericeis. Tomento demto in elytris punctorum series longitudinales apparent. Subtus fuscus. Antennae capitis thoracisque longitudine, fuscae, tenues, pilosulae.

Tab. XIV. f. 4.

ATTELABUS CUPRIPENNIS. † Niger, nitidus; elytris cupreis, punctato-striatis. Lg. 2⅔''' cum rostro. Lat. hum. 1¼'''.

Habitat prope Sebastianopolin.

Statura A. curculioidis, paullo tantum major. Caput nigrum, nitidum, laeve, striis duabus inter oculos impressis. Thorax postice multo latior, totus niger, nitidus, subtiliter punctulatus, punctis duobus majoribus disco impressis. Scutellum nigrum, pentagonum, laeve. Elytra obscure cuprea, nitida, punctorum seriebus longitudinalibus ad basin pro paribus confluentibus, ibique impressiones aliquot efformantibus; postice dehiscentia, ad apicem rotundata. Subtus niger, nitidulus. Pygidium punctulatum. Antennae nigrae, capite cum rostro paullo longiores, clava griseo-tomentosa. Pedes nigri, tarsis subtus flavescenti-pilosulis. Femora omnia denticulata: antica, sicuti tibiae anticae, satis elongata.

Tab. XIV. f. 5.

ARRHENODES DECORATUS. † Subtus brunneus, supra brunneo-fuscus, thoracis medio brunneo; elytris insigniter striato-punctatis, truncatis: singulum striola a basi versus medium, striola externa cum media per lineam obliquam conjuncta, fascia postica, et striola apicali ferrugineo-rufis.

♂ rostro breviusculo crasso, lato, mandibulis exsertis, paene capitis longitudine, deorsum flexis. Lg. 10½''' cum rostro, rostri 2'''. Lat. hum. 2'''.

♀ rostro cylindrico, tenui, capite longiore, mandibulis reconditis. Lg. 9''' cum rostro, rostri 2'''. Lat. hum. 2''' vix.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput maris postice angulatum, supra planum, antrorsum angustatum; rostrum pone antennas utrinque lateraliter impressum, ante antennas dilatatum, supra impressum, mandibulis elongatis, supra convexis, subtus concavis, vix decussatis. Thorax utriusque sexus ovatus, antice, posticeque truncatus, postice linea duplici cingente infibulatus; laevis, fuscus, medio brunneo. Elytra in utroque sexu aequaliter conformata, parallela, ante apicem paullo coarctata, declivia, subretusa, apice truncato, extus obtuse dentato; supra lateribusque elevato-striata, interstitiis insigniter longitudinaliter punctatis. Subtus cum pedibus brunneus. Antennae in utroque sexu thorace vix longiores, fuscae, articulis aequalibus subobconicis. Pedes brunnei, femoribus omnibus et tibiis anticis in utroque sexu dentatis.

ARRHENODES OPACUS. † Angustissimus, niger, subaeneus; rostro filiformi, thorace longitudinaliter sulcato, elytris secundum suturam impressis, apice unidentato. Lg. 10''' cum rostro, rostri 3 1/4'''. Lat. hum. 3/4'''. — Tab. XIV. f. 6.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Supra totus aenescenti-niger, opacus, laevis. Rostrum capitis thoracisque longitudine, medio attenuato, basi et apice paullum incrassatis. Caput cylindricum, breve. Thorax elytris vix angustior, antice magis attenuatus, secundum totam longitudinem sulco profundo. Elytra capite (sine rostro) thoraceque longiora, parallela, ante apicem paullo coarctata, angulo externo in dentem acutum, majusculum producto; singulum secundum suturam impressum, quare regio suturalis in utroque canaliculata apparet. Sub lente in elytris punctorum subtilium series longitudinales apparent. Subtus castaneus, nitidus. Antennae nigrae, rostri longitudine, et ultra medium rostri insertae. Pedes nigri, mutici.

ARRHENODES CHALCITES. † Angustus, laevis, aeneus, abdomine brunneo; rostro thoracis longitudine; thorace longitudinaliter sulcato, elytris secundum suturam impressis, apice oblique truncatis, pedibus muticis. Lg. 12 1/2''' cum rostro, rostri 3'''. Lat. hum. 1 1/3'''. — Tab. XIV. f. 7.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Rostrum thoracis longitudine, subplanum, nigricans. Caput cylindricum, thorace duplo brevius. Thorax elongato-ovatus, planus, sulco profundo longitudinali. Elytra aenea, nitidula, parallela, thoracis latitudine, ante apicem paullo contracta, apice oblique truncato; singulum secundum suturam impressum, quare regio suturalis in utroque canaliculata apparet. In hac impressione lineae adhuc duae incisae apparent. Subtus niger, abdomine ferrugineo. Antennae nigrae, thorace vix longiores, ultra medium thoracis insertae. Pedes nigri, nitiduli, mutici.

ARRHENODES RHINOPRION. † Breviusculus; rostro tenui, supra planiusculo, serrulato; thorace conico, aeneo; elytris nigris, fulvo-lineolatis; striatis, externe striato-punctatis, apice unidentatis; antennis longis, nigris; pedibus piceis, armatis. Lg. 8''' cum rostro, rostri 2'''. Lat. hum. 1 1/3'''. — Tab. XIV. f. 8.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Valde affinis B. duplicato Germ. (Ins. spec. tom. I. pag. 189.), praesertim vero rostri structura diversus. Caput laeve, collo distincto. Rostrum thorace paullo brevius, portione ultra antennas satis tenuiore, quam postica, supra denticulata. Thorax elongato-conicus, laevis, aeneus, postice infibulatus. Elytra thoracis latitudine, parallela, supra plana, ante apicem angustata, subretusa, apice extus acute unidentato; insigniter ad longitudinem striata, striis externis punctatis; nigra, nitida; singulum striolis quinque subparallelis, et una externa fulvis. Subtus aeneo-niger, politus. Antennae corpore breviores, ante dimidium rostri insertae, nigrae. Pedes piceo-brunnei, nitidi, femoribus omnibus dentatis, anticis elongatis, tibiis anticis angulatis.

Tab. XIV. f. 9.

RHIGUS LATRUNCULARIUS. † Griseo-albidus, thorace elytrisque nigro-tessulatis. Lg. 6½‴ cum rostro. Lat. hum. 5‴. Variat paullo major.

Habitat ad fluvium St. Francisci.

Caput grisescens, oculis et linea media, etiam rostrum percurrente, nigris. Rostrum utrinque sulco obliquo obsoleto. Thorax elytris duplo angustior, inaequalis, griseo-nigroque varius. Scutellum griseum. Elytra convexa, lineis elevatis, postice obsoletis; griseo-albida, tabulae latruncularíae instar tessulata, tessulis nigris, postice sensim obsoletis, apice mutico. Subtus cum pedibus griseo-albidus, passim nigro-varius. Antennae griseae, clava fusca.

Tab. XIV. f. 10.

RHIGUS COELESTINUS. † Coerulescenti-argenteo-squamosus, elytrorum humeris, et maculis in singulo 4 atro-holosericeis. Lg. 7‴ cum rostro. Lat. hum. 3½‴.

Habitat circa Sebastianopolin.

Caput fronte et linea media impressis. Thorax brevis, elytris duplo angustior, submarginatus, margine antico extremo infibulato, coerulescenti-argenteus. Elytra medio gibba, humeris prominulis; punctorum seriebus longitudinalibus, apice submucronato; coeruleo-viridi-argentata, humeris, maculis duabus in singuli disco, duabusque minoribus prope marginem externum atro-holosericeis. Coleoptero supra viso maculae laterales vix conspiciuntur. Subtus cum pedibus coeruleo-argenteo-squamosus. Antennae corporis dimidii longitudine, nigrae.

Tab. XIV. f. 11.

RHIGUS MUTILLARIUS. † Supra atro-tomentosus; elytris maculis sedecim rufescenti-testaceis. Lg. 7‴ cum rostro. Lat. hum. 3½‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput cum thorace brevissimum, oculis prominulis, linea media impressa, atro-tomentosum. Thorax elytris saltem duplo angustior, antice gibbus, atro-tomentosus, albido-pubescens, macula utrinque ad marginem posticum pallidiore. Elytra convexa, humeris prominulis, retrorsum parum angustata; striata, striis obsolete punctatis, atro-tomentosa: singulum macula intra humerum, quatuor suturalibus, tribusque versus marginem pallide rufescentibus. Subtus grisescenti-tomentosus. Antennae nigrae. Pedes fusci.

RHIGUS MYRMOSARIUS. † Supra atro-tomentosus, elytris maculis pluribus testaceis, duabusque coccineis. Lg. 10''' cum rostro. Lat. hum. 4½'''. Tab. XIV. f. 12.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Praecedente satis major. Rostrum brevissimum, latiusculum, antice emarginatum. Thorax ad basin flavicans. Elytrum singulum humero et maculis sex testaceis, quorum duae cum illis elytri alterius conveniunt, maculaque marginali majore coccinea. Antennae nigrae. Pedes flavicantes.

RHIGUS PHALERATUS. † Niger; rostro, thorace ad angulos, elytrorumque regione scutellari et fasciis tribus flavis. Lg. 8⅓''' cum rostro. Lat. hum. 4⅔'''. Tab. XIV. f. 13.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput breve, nigrum, linea media etiam rostrum percurrente, profunde impressa. Rostrum flavum, thorace brevius, antice incrassatum, valde dilatatum, subbilobum, foveola laterali pone antennas utrinque impressa. Thorax elytris paene duplo angustior, cylindricus, inaequalis, supra niger, subtus flavus et flavedine sursum protracta etiam angulos tingente. Scutellum minutum, flavum. Elytra humeris prominulis, et ab humeris primum parallela, deinde sensim ac sensim angustiora, apice submucronato; punctorum profunde impressorum seriebus longitudinalibus; nigra, regione scutellari, fascia media, altera pone medium, et tertia apici proxima laete flavis. Subtus flavus, nigro-varius. Antennae nigrae. Pedes nigri: posteriores macula ad femorum basin, apiceque tibiarum flavis. Femora omnia subclavata.

ENTIMUS NIGRO-SPARSUS. † Glauco-viridis; elytris elevato-lineatis, nigro-tessulatis. Lg. 7¾''' cum rostro. Lat. hum. 3''' vix. Tab. XIV. f. 14.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Inter minores, et splendore congenerum non gaudet. Rostrum apice dilatatum, valde incrassatum. Thorax elytris multo angustior, antice posticeque paullum angustatus; glauco-viridis, obsolete nigricanti-varius, inaequalis. Elytra humeris obtuse angulatis, modice convexa, striis elevatis, interstitiis longitudinaliter punctatis, nigro-maculatis. Subtus cum pedibus glauco-viridis, tarsis subtus flavescenti-tomentosis. Antennae capite thoraceque longiores, fuscae.

DINOMORPHUS Perty.

(RYNCHOPHORA GONATOCERA: Brachyrhynchi Pachyrhynchides.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae capite thoraceque breviores, validae, funiculo sensim subclavato. Rostrum brevissimum, latum, antice subemarginatum. Thorax subglobosus, antice latior, postice angustatus. Elytra ovato-globosa. Pedes validi, longiusculi, tibiis angulatis, subdentatis. Corpus grande, asperum, tuberculosum.

Observatio. Hujus Coleopteri valde singularis, a celeberr. Spixio e Brasilia misso, tantum icon (a pictore tamen eximio factum) prae oculis habeo; exemplum ipsum, proh dolor! e museo deperditum. Characteres ideo tantum rudiores eruere possum, qui vero ad formam tam insignem recognoscendam et distinguendam sufficere videantur.

Corpus grande, durum, obscurum, asperum, apterum? Caput thorace angustius, rostro brevissimo. Thorax antice subglobosus, postice coarctatus. Scutellum non conspicuum. Elytra thorace duplo longiora, ad basin thorace vix, dein cito latiora, pone medium latissima, ovato-globosa, ad basin angustiora, valde convexa, tuberculis et processibus asperata, sutura connata? Pedes validi, longiusculi; antici longiores, crassiores; tibiis omnibus subcompressis, angulatis, posterioribus intus dentatis.

Nomen genericum e verbis δεινός, horridus, vehemens, singularis et μορφή, forma, figura.

Tab. XIV. f. 15. DINOMORPHUS PIMELIOIDES. † Totus griseo-fuscus; thorace varioloso, elytris tuberculosis; tuberculis anticis minutis, posticis valde magnis, coniformibus. Lg. $12'''$. Lat. hum. $3'''$ vix.

Habitat . . . . . .

Tab. XIV. f. 16. BRACHYDERES GLAUCUS. † Capite thoraceque glaucis; elytris flavescenti-glaucis, disco punctis fuscis incluso griseo-albido. Lg. $6'''$ cum rostro. Lat. hum. $2'''$, pone med. elytr. $2\frac{1}{2}'''$.

Habitat ad fluvium St. Francisci.

Caput cum rostro thoracis longitudine, planiusculum, parallelum, glauco-squamulosum, linea media incisa, oculis nigris. Thorax elytris ad basin angustior, subcylindricus, rugosulus, glauco-squamulosus. Scutellum vix conspiciendum. Elytra ovata, convexa, punctorum seriebus longitudinalibus; sordide flavescenti-glauca, striola in singulo suturae parallela ante medium, punctisque aliquot pone medium fuscis, una cum lineolis spatium utrique commune lagenaeforme includentibus. E ventre hujus picturae puncta aliquot versus marginem contingunt. Subtus cum pedibus glaucus, cupreo-nitidulus. Antennae glaucae, capitulo fusco. Variat pictura elytrorum obsoletiore.

Tab. XV. f. 1. LEPTOCERUS LEUCOGASTER. † Fuscus, thoracis lateribus et vitta in elytro singulo flavescenti-olivaceis; pectore, abdomine et elytrorum stria apicali niveis. Lg. $7 - 8'''$ cum rostro. Lat. hum. $2\frac{1}{2} - 2\frac{3}{4}'''$.

Habitat ad fluvium St. Francisci.

Caput planiusculum, tomentosum, rostro brevissimo. Thorax elytris satis angustior, antice angustatus, brunneo-fuscus, stria utrinque laterali lata flavescenti-olivacea. Scutellum valde minutum, trigonum, fuscum. Elytra parum convexa, pone medium paullulum latiora, ante apicem coarctata; longitudinaliter punctata, punctis transversis; fusca, margine externo ad medium vittaque in singulo latis flavescenti-olivaceis, stria abbreviata apicali nivea. Pectus et abdominis latera nivea. Antennae corporis dimidio parum longiores, nigrae. Pedes fusco-grisei; antici valde elongati.

LEPTOCERUS DAPSILIS. † Niger; thoracis margine antico, maculis duabus posticis elytrorumque vitta viridi-aureis. Lg. 5 1/3‴ cum rostro. Lat. hum. 1 1/2‴. Tab. XV. f. 2.

Habitat prope Sebastianopolin.

Corpus gracile, parallelum. Caput cum rostro nigrum: hoc parallelum, medio impresso. Thorax subglobosus, niger, margine antico in medio interrupto, et macula utrinque postica longitudinali viridi-aureis. Elytra thorace parum latiora, parallela, paullum convexa, longitudinaliter ruguloso-punctata, vitta singuli, quae vero nec basin, nec apicem attingit, aureo-viridi. Subtus splendide aureo-viridis. Antennae corpore parum breviores, fuscae. Pedes fusci; antici paullum elongati.

LEPTOCERUS CAPUCINUS. † Ater; thorace maximo, gibbo, cucullato, granulato, elytris laevibus, retrorsum angustatis. Tab. XV. f. 3.

β. Coleopteris brunneis.

Lg. 5 1/2‴ cum rostro. Lat. hum. 2‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Forma valde singulari. Caput rostro brevissimo, atrum, linea media impressa. Thorax elytris latior, valde gibbus, tuberculis granuliformibus obsitus. Scutellum valde minutum, albicans. Elytra e latere compressa, epipleuris, valde conspicuis, retrorsum sensim angustiora, apice retuso; nigra, stria pone medium laterali abbreviata alba e squamulis minimis. Subtus cum pedibus ater. Antennae corporis dimidii longitudine, nigrae.

Observatio. Individua in museo occurrunt thoracis granulis sensim obsoletioribus, unde thorax paene laevigatus evadit. An species distincta? an varietas? an sexus?

CYPHUS SCHÖNHERRI. † Capite caesio, thorace atro-tomentoso, elytris caesiis: humeris, macula rotunda ante medium, fascia abbreviata pone medium et macula postica marginali atro-holosericeis. Lg. 10 — 12‴ cum rostro. Lat. hum. 4 3/4 — 5 1/4‴. Tab. XV. f. 4.

Habitat prope Contendas in deserto Prov. Minarum.

Cyphus genuinus. Caput planum, rostro brevissimo, subparallelo, plano, ad apicem emarginato, linea media impressa. Thorax subcylindricus, antice parum angustatus, dorso planiusculo; atro-holosericeus, antice maculis duabus acute triangularibus caesiis. Elytra ad basin thorace latiora, humeris obtuse angulatis, usque pone medium parallela, dein cito angustata, ad apicem dehiscentia, mucronata; a basi usque medium subconvexa, pone medium gibbosa, ad apicem abrupte declivia, longitudinaliter punctata: punctorum subtilissimorum seriebus remotis; caesia, maculis antehac memoratis e tomento elevato constantibus. Subtus niger, gula, pectore, abdominisque lateribus caesiis. Antennae nigrae, capite thoraceque breviores, clava elongata. Pedes nigri, passim caesio-pruinosi, tarsis subtus ochraceo-tomentosis. Color caesius e squamulis minutissimis et confertissimis, arcte adjacentibus oritur.

Ita vocatus in memoriam celeberr. Dom. Schönherr, Reg. Suec. Colleg. Commerc. Consil. Entomologi eximii, et Dioscurorum unius in Curculionidum systemate eruendo.

Tab. XV. f. 5.

CYPHUS SPIXII. † Viridi-argenteo-squamosus, splendidus, thoracis margine et vitta duplicata elytrorumque fasciis undatis nigris.

β. Praecedenti similis, ast coerulescenti-argenteus.

Lg. 10—11½‴ cum rostro. Lat. hum. 4¾—5‴.

Habitat in deserto Prov. Minarum.

Cyphis genuinis, adnumerandus. C. margaritaceo Sturm (Cat. mein. Ins. Samml. Tab. 3. fig. 29.) affinis, paullo tantum minor et angustior. Caput cum rostro linea profunde impressa, argenteo-viride. Thorax rugosulus, viridi-argenteus, margine laterali et vitta media duplici atro-holosericeis, saepius obsoletis. Scutellum minutum, viridi-argenteum. Elytra ad basin paene duplo latiora, humeris prominulis, e basi sensim ac sensim angustata, apice mutico; splendide viridi-argentea, longitudinaliter punctata, interstitiis rugulosis; regione scutellari, humeris, et fasciis tribus undatis atro-holosericeis. Fasciae quoad extensionem paullo variant; prima saepe cum humerorum nigredine confluit, tertia plerumque interrupta est. Subtus cum pedibus splendide viridi-argenteus. Tarsi subtus flavescenti-tomentosi. Antennae nigrae, capitulo fusco.

Tab. XV. f. 6.

CYPHUS HILARIS. † Caerulescenti-caesius; thorace punctis sex, elytris punctis decem nigris; pedibus viridulis, femoribus subtus nigro-punctatis. Lg. 7½‴ cum rostro. Lat. hum. 3¼‴.

Habitat prope Contendas in Deserto Prov. Minarum.

Cyphus genuinus. Caput cum rostro thorace satis brevius, planiusculum, linea media impressa, caesium, oculis semiglobosis atris. Thorax elytris paene duplo angustior, antice angustatus, disco deplanato; laete caesius, puncto medio, quatuor in quadratum positis et uno in margine antico atris. Scutellum atrum. Elytra subparallela, post tertiam longitudinis partem postice cito angustata, apice mutico, punctorum subtilium seriebus longitudinalibus; laete caerulescenti-caesia; singulum puncto humerali, altero ante medium, duabus oblique positis et majore lunato suturae proximo pone medium atro-holosericeis. Subtus cum pedibus virescenti-caesius, femoribus mediis et posticis punctis tribus nigris, tarsis subtus flavescenti-tomentosis. Antennae nigrae.

A Curc. 16-punctato Fabr. haec species satis distincta.

Tab. XV. f. 7.

LORDOPS (HYPSONOTUS) PRINCIPALIS GERM. Thorace subcylindrico, punctulato; ater, nitidus; subtus viridi-argenteus, nitidus; elytris margine apice maculisque oblongis impressis viridi-argenteis. Lg. 5½‴ cum rostro. Lat. hum. 2″ vix.

Germ. Ins. spec. tom. I. pag. 373.

Habitat prope Sebastianopolin.

Tab. XV. f. 8.

HYPSONOTUS CATHETOPLATEUS. † Totus niger; rostro asperato, bisulcato, elytris compressis, punctato-striatis, postice truncatis, barbatis. Lg. 9‴ sine rostro; rostri 1⅔‴. Lat. hum. 3‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Hypsonotus genuinus. Caput breve, punctulatum. Rostrum crassum, thorace brevius, asperatum, bicanaliculatum, sub lente albido-setosum. Canaliculus ab oculis descendens satis magnus. Thorax elytris paullum angustior, altior quam latus, supra punctulatus, opacus, ad latera laevior, politus, squamulis aliquot argenteis, postice impressione utrinque e latere. Scutellum valde minutum, semicirculare. Elytra e lateribus valde compressa, quare altiora quam lata; postice convergentia, apice recta truncata, supra rude longitudinaliter punctata, opaca, ad latera nitidiora, punctis subtilioribus, passim squamulis albidis, ad apicem pilosula. Subtus niger, passim squamulis albidis minutissimis obsitus. Antennae capite thoraceque paullo breviores, nigrae. Pedes nigri, tarsis subtus flavescenti-spongiosis.

HEILIPUS TUBERCULOSUS. † Brevis tuberculosus, fusco-niger, elytrorum quovis macula alba. Lg. $5\frac{1}{2}'''$ sine rostro, rostri $2'''$ vix. Lat. hum. $2\frac{1}{3}'''$. Tab. XV. f. 9.

Rostrum capitis thoracisque latitudine, crassiusculum, paullo curvatum, sublaevigatum. Caput brevissimum, laeve. Thorax antice angustatus, praesertim postice et ad latera tuberculosus. Scutellum albido-squamosum. Elytra thorace vix duplo longiora, tuberculis aspera, passim fusco-squamulosa, ante apicem callosa, macula postica in singulo transversa albida e squamulis minutissimis. Subtus fuscus, postpectore et abdomine utrinque macula flavicante. Antennae fuscae, clava elongato-ovata. Pedes fusci, femoribus omnibus insigniter dentatis.

HEILIPUS TRICOLOR. † Thorace nigro, margine laterali flavo, elytris flavis, vitta lata suturali et margine externo denticulatis nigris; tibiis tarsisque ferrugineis. Tab. XV. f. 10.

β. Femorum basi, tibiis tarsisque ferrugineis.

Lg. $7\frac{2}{3}'''$ sine rostro; rostri $2\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $2\frac{2}{3}'''$.

Habitat ad flumen St. Francisci.

Rostrum teres, nigrum, flavo-pruinosum, capitis thoracisque longitudine. Caput minutum, nigrum. Thorax antice valde angustatus, niger, margine laterali late flavo. Scutellum minutum; subtrigonum, atrum. Elytra thorace multo latiora, ad dorsum satis plana, punctorum remotorum subtilium seriebus longitudinalibus; flava, margine laterali angusto, inaequali, et vitta lata denticulata, apicem non attingentibus, nigris. Flavedo nunc magis, nunc minus laeta, est tomentum e squamulis minutissimis et confertissimis. Subtus niger, pectoris et abdominis lateribus flavo-pruinosis. Antennae piceo-brunneae, clava fusca. Femora omnia acute dentata, nigra, saepius basi rufa. Tibiae compressae, curvatae, cum tibiis ferrugineo-rufae.

HEILIPUS RUFIPES. † Niger, thorace elytrisque flavo-variis, rostro pedibusque ferrugineo-rufis. Lg. $7\frac{2}{3}'''$ sine rostro; rostri $3'''$. Lat. hum. $3'''$. Tab. XV. f. 11.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput minutum, laeve, nigrum, oculis inferis. Rostrum crassiusculum, teres, curvatum, capite thoraceque vix longius. Thorax rugosus, linea media elevata, utrinque flavo-varius. Scutellum minutum, albidum. Elytra thorace satis latiora, rugosula et rude longitudinaliter punctata; nigra, nitida, flavo-varia, fascias tres irregulares undatas, maculas plures et puncta ostendentia. Subtus fuscus, pectoris abdominisque lateribus flavo-variis. Antennae fusco-brunneae. Pedes cum coxis ferrugineo-rufi, femoribus omnibus acute dentatis, tibiis curvatis. Flavedo in thorace et elytris e tomento arcte appresso constat.

Tab. XV. f. 12. HEILIPUS MELANOPUS. † Niger, nitidus; thorace elytrisque punctatis, rugulosis, flavo-variis; rostro et pedibus piceo-fuscis. Lg. 6 ½‴ sine rostro; rostri 2‴. Lat. hum. 2 ½‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Praecedente paullo minor. Rostrum thoracis longitudine, crassum, curvatum, piceo-fuscum. Caput brevissimum, flavo-pruinosum. Thorax exasperato-rugosus, ad latera flavo-varius. Scutellum flavicans. Elytra insigniter punctata, punctis interdum confluentibus, flavo varia, fascias aliquot indeterminatas referentia. Subtus niger, pectoris abdominisque lateribus flavo-variis. Antennae piceae. Pedes picei, femoribus acute dentatis, tarsis subtus ochraceo-tomentosis. Flavedo e tomento arcte adjacente constat.

Tab. XV. f. 13. HEILIPUS PLANIUSCULUS. † Niger; thorace elytrisque ad latera flavo-variis: his longitudinaliter punctatis (punctis transversis), ad dorsum deplanatis. Lg. sine rostro 6‴; rostri 1 ¾‴. Lat. hum. 2 ⅓‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Rostrum thoracis longitudine, crassum, supra bisulcatum, sulcis vero apicem versus obsoletis. Caput punctatum, fronte flavo-pruinosa. Thorax ruguloso-punctatus, linea media elevata, glabra; niger, vitta utrinque laterali denticulata flavo-tomentosa. Scutellum minutum, albido-squamulosum. Elytra thorace plus quam duplo longiora, ad dorsum planiuscula, ad latera maculis flavis tomentosis varia. Subtus niger, passim flavescenti-pollinosus. Antennae piceae. Pedes nigri, femoribus acute dentatis, tarsis subtus flavescenti-tomentosis.

An H. adspersus Dej. (Berl. Doubl. Verz. p. 6.) huc referendus sit, e diagnosi tantum brevi discernere non possum.

Tab. XV. f. 14. HEILIPUS VARIEGATUS. † Subtus albido-cinereus, supra fuscus, cinereo-varius, elytris planatis, substriatis. Lg. 3 ¾‴ sine rostro; rostri 1 ½‴. Lat. hum. 1 ⅔‴.
Baridius variegatus Tab. nostr.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Rostrum crassiusculum, nigrum. Caput olivaceo-cinereoque varium. Thorax fuscus, passim olivaceus, lateribus et punctis pluribus in disco cinereo-albidis. Scutellum nigrum, impressum. Elytra thorace plus quam duplo longiora, ad basin satis latiora, postice sensim angustiora, ad dorsum deplanata; striata, versus marginem lineis duabus elevatis et striis profundioribus; fusca, passim obsolete olivacea, praesertim ad marginem et apicem albido-conspersa. Subtus cinereo-albida. Antennae piceo-brunneae. Pedes cinerei, femoribus omnibus subdentatis, tarsis subtus flavescenti-tomentosis.

Tab. XV. f. 15. BARIDIUS EBENINUS. † Rhombeus breviusculus aterrimus, politus; elytris ad basin, suturam et ante apicem impressis; antepectore, medipectoris lateribus et tarsis flavo-tomentosis. Lg. 3 ½‴ sine rostro, rostri 2‴. Lat. hum. 2″.

Habitat circa Sebastianopolin.

Affinis Baridi auritarsi Germ., sed notis exactissimis distinctus. Rostrum capite thoraceque paullo longius, curvatum, teres, atrum, laeve. Caput laevigatum, fronte planiuscula. Thorax antice coarctatus, valde angustatus, postice utrinque bisinuatus, scutellum versus in lobum productus, ad marginem posticum utrinque impressus; aterrimus, laevissimus, nitidus. Scutellum transversum, truncatum, politum. Elytra aterrima, polita, triangularia, postice sensim angustiora, infra humeros callosos impressa, ad basin striolis pluribus abbreviatis impressis, suturae dimidio antico impresso, impressione in dimidio postico, ante apicem callosa; ad marginem inflexum lineis tribus, ad apicem striolis pluribus, profunde impressis; sub lente seriebus longitudinalibus punctorum subtilium in disco. Subtus aterrimus, medipectore latissimo, antepectore et macula laterali medipectoris aurulento-holosericeis. Antennae piceo-brunneae. Pedes nigri, femoribus omnibus subdentatis, tarsis flavo-tomentosis.

BARIDIUS RUBINUS. † Rhombeus, subtus viridi-aureus, supra pulcherrime purpureo-aureus, elytris striatis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$ sine rostro; rostri $2'''$ vix. Lat. hum. $2\frac{1}{4}'''$. Tab. XV. f. 16.

Habitat in Prov. Minarum districtu Minas novas dicto.

Caput nitidissimum, punctulatum, fronte impressa. Oculi nigri. Thorax convexiusculus, laevissimus, politissimus ad marginem anticum extremum coarctatus, punctulatus, postice lobatus. Scutellum punctulatum. Elytra ad basin thorace vix latiora, postice angustata, ad basin impressa, humeris prominulis, callosis; nitidissima, cupreo-aurea, punctulato-striata. Antennae nigro-coeruleae. Pedes coerulei, nitidi.

E hoc coleoptero aeque ac Eumolpo ignito, Entimo imperiali aliisque simili splendore fulgentibus aurifices brasilienses at parisienses varia mulierum ornamenta, inauries, torques rel. fabricant.

DIORYMERUS ALTUS Germ. Oculis distantibus; laevis, ater; thorace gibbo, ferrugineo, apice angustato, elytris ferrugineis substriatis. Tab. XVI. f. 1.

Orobitis altus Germar, Ins. spec. nov. tom. I. p. 247.

Habitat prope Sebastianopolin.

CENTRINUS BASALIS. † Aterrimus, nitidus, thorace et elytrorum basi sanguineis. Lg. $2\frac{1}{4}'''$ sine rostro; rostri $1'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$. Tab. XVI. f. 2.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Stirpi primae celeberr. Schönherri adscribendus. Brevis, valde convexus. Rostrum nigrum, capitis thoracisque longitudine, parum curvatum. Caput brevissimum, nigrum. Thorax antice valde angustatus, postice scutellum versus in lobum productus et ibi utrinque foveola impressa; glaberrimus, nitidus, sanguineus, ad apicem nigricans. Scutellum nigrum. Elytra ad basin thorace multo latiora, postice angustata, valde convexa, tenuiter striata, nigerrima, nitida, antice, sutura excepta, nigro-sanguinea. Subtus nigerrimus, nitidus. Antennae fuscae, clava satis magna, elongata. Pedes nigri, femoribus laevigatis, tibiis asperis, compressis, extus ad basin acute dentatis.

GUIOPERUS Perty.

(CRYPTORHYNCHIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Rostrum brevissimum, crassiusculum. Antennae breves, validae, clavam versus incrassatae. Pedes breviusculi, valde validi. Corpus durum, breve, crassum, apterum?

CHARACTER NATURALIS.

Antennae rostri medio insertae, perbreves, caput parum superantes, 11- articulatae: articulo 1° clavato, sequentium trium longitudine, 2° 3° subobconicis, 4° 5° 6° 7° subglobosis, sensim crassioribus et brevioribus, cum clava ovata paene contiguis. Rostrum deflexum thorace multo brevius, vix curvatum, crassiusculum, subtetragonum inaequale, dimidio antico crassiore. Caput breve. Oculi subrotundi, parum prominuli. Thorax convexiusculus, antice angustatus, margine antico extremo constricto, postice elytrorum latitudine; subtus postice excavatus pro pedibus anticis replicandis. Scutellum majusculum, triangulare. Elytra thoracis latitudine, valde convexa, margine laterali inflexo, abdominis partem amplectentia, apice rotundato, anum superante. Antepectus canaliculo pro rostro recipiendo satis profundo, latiusculo. Pectus sub elytris compressum, pro pedibus mediis et posticis applicandis. Pedes antici, satis remoti, elongati, medii et postici breves; omnes validi, femoribus clavatis, tibiis parum curvatis et compressis, tarsorum articulo primo et secundo trigonis, tertio profunde lobato, unguiculis quarti valde approximatis. Corpus durum, apterum? breve, convexum, asperum, pedibus, rostro antennisque applicandis in pilulam se convolvere potest. Verosimiliter in terra et arena degit.

Nomen genericum e verbis γυῖον artus et πηρὸς, claudus.

Observatio. Aliquantisper haesitavi, an haec forma huc collocanda esset. Rostrum brevissimum, et corpus, uti videtur apterum, affinitatem indicant satis propinquam cum Brachyrhynchis Pachyrhynchidibus. Notae vero momenti gravioris, praesertim canaliculus pectoralis satis profundus, deliberationem mox inciderunt, et coleopteron hunc ad tribum referendum mihi videbatur.

Tab. XVI. f. 3. GUIOPERUS GRISEUS. † Cinereo-griseus; rostri apice et scutello nigris, elytris vitta obsoleta fusca, et in vitta punctis duobus albis. Lg. 5½''' sine rostro, rostri 1½'''. Lat. hum. 2⅔'''.

Habitat circa Sebastianopolin.

Magnitudine paene Byrrhi gigantis F. Caput fusco-griseo-tomentosum. Thorax punctis elevatis nigris. Scutellum nigro-holosericeum. Elytra cinereo-grisea, extus fuscescentia, singulum

vitta media interrupta fuscescente et puncto in hujus medio et apice. Subtus fuscescenti-griseus, canaliculo pectorali nigro, medipectoris lateribus niveis. Antennae piceae, clava flavicante. Pedes fusco-grisei, tarsis subtus fulvo-spongiosis.

LARINUS OCELLIGER. † Cinereo-fuscus, capitis, thoracis elytrorumque lateribus albomarginatis; his punctis aliquot niveis. Lg. 5⅔''' sine rostro; rostri 2''' vix. Lat. hum. 2''' vix. Tab. XVI. f. 4.

Habitat ad flumen Amazonum.

Rostrum capite thoraceque parum longius, curvatum, apice paullo incrassatum, nigrum, linea utrinque laterali, apicem vero non attingente, alba. Canaliculus antennalis rectus. Caput breve, rugosulum, fuscum, margine laterali albo. Thorax postice elytrorum latitudine, antice angustatus, alutaceus, dorso plano; griseo-olivaceo-fuscus, vitta utrinque laterali alba. Scutellum subquadratum, fuscum. Elytra ad basin thoracis latitudine, dein versus medium paullo latiora, apicem versus sensim angustata, ad dorsum, praesertim antice, planiuscula, apice mutico; seriebus punctorum subtilium longitudinalibus et punctorum margine anteriore elevato; nigra, sed tomento griseo-olivaceo-fusco tecta, margine laterali albo, et albedine infra limite nigro terminata; singulum postice punctis tribus aut quatuor niveis, oblique positis, quorum extremum maximum est. Subtus griseo-flavescenti-squamulosus. Antennae brunneae, thoracis fere basin attingentes. Pedes griseo-squamulosi, femoribus obtuse dentatis, tarsis subtus fulvo-spongiosis. An potius Heilipo adscribendus?

CRATOSOMUS FASCIATUS. † Crassus, niger, elytris punctato-striatis; subtus, elytrorum marginulo basali, fasciis duabus et puncto ante apicem ochraceis. Lg. 10½''' sine rostro; rostri 2½'''. Lat. hum. 5'''. Tab. XVI. f. 5.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Stirpi primae celeberr. Schönherri adscribendus. Rostrum thoracis longitudine, latiusculum. Thorax niger, laevis, lateribus punctis elevatis. Scutellum ochraceo-squamosum. Elytra thorace satis latiora, convexa, sulcata, sulcis punctatis, interstitiis rotundatis, passim tuberculis aliquot laevigatis, ad apicem rotundata, mutica; nigra, margine extremo basali, fasciis duabus, quarum posterior interrupta et macula ante apicem ochraceo-squamulosis. Subtus ochraceo-squamulosus. Pedes nigri, femoribus posticis denticulo parvo munitis, tarsis omnibus flavescenti-sericeis. Antennae piceae, clava albido-pilosa. Variat interdum elytris brunneis, fasciis flavis obsoletioribus.

CRATOSOMUS PHALERATUS. † Niger; thorace tuberculis parvis, elytris longitudinaliter punctatis; thoracis maculis quatuor, elytrorum fasciis duabus, sutura antice, et puncto ante apicem flavis. Lg. 9½''' sine rostro; rostri 3'''. Lat. hum. 4''' vix. Tab. XVI. f. 6.

Habitat cum praecedente.

Stirpi secundae celeberr. Schönherri adscribendus. Praecedente satis angustior. Rostrum nigrum, thoracis longitudine, satis curvatum, cicatricoso-asperatum, carina elevata media. Caput brevissimum, opacum, oculis nitidulis. Thorax subglobosus, tuberculis parvis elevatis obsitus, niger, macula utrinque postica, et antica flavis: hac cum lateribus infra flavis confluente. Scutellum nigrum. Elytra thorace non multum latiora, seriebus longitudinalibus e punctis profunde incisis, apice submucronato; nigra, macula basali, suturae dimidio antico, fascia antica interrupta, postica nigra, punctoque ante apicem flavo-squamulosis. Subtus niger, pectoris lateribus flavo-squamulosis. Antennae nigrae, albido-pilosulae. Pedes nigri, femoribus posticis denticulo armatis, tarsis flavescenti-sericeis.

Tab. XVI. f. 7. CRATOSOMUS TUBERCULATUS. † Niger; thorace utrinque macula postica flavicante; elytris longitudinaliter punctatis, flavescenti-fasciatis, tuberculosis: tuberculis laevibus. Lg. 9½''' sine rostro; rostri 3'''. Lat. hum. 4'''.

Habitat prope Sebastianopolin.

Stirpi primae adscribendus. Praecedentis magnitudine et fere statura. Rostrum satis curvatum, laevigatum, ad apicem complanatum, linea basali impressa. Caput opacum. Thorax antrorsum contractus, modice convexus, macula utrinque postica et lateribus subtus antice flavicantibus. Scutellum fuscum. Elytra thorace non multum latiora, punctorum seriebus longitudinalibus, tuberculis laevigatis majoribus in disco, minoribus juxta suturam, apice mucronato; nigra, basi, fascia media curvata, altera postica et apice obsolete flavicantibus. Subtus fusco-niger. Antennae nigrae, clava fusca. Pedes nigri, femoribus posticis acute dentatis, tarsis omnibus subtus ferrugineo-tomentosis.

Observatio. Exemplum meum paullisper detritum videtur.

Tab. XVI. f. 8. GORGUS HOPLITES. † Niger; thorace laevi, postice utrinque macula pallida; elytris clathratis, apice mucronatis, macula flavicante ad basin; tarsorum articulo tertio fulvo-pulvinato. Lg. 1'' sine rostro; rostri 3½'''. Lat. hum. 5'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Stirpi primae celeberr. Schönherri adscribendus. Rostrum curvatum, laevigatum, ad basin utrinque asperulum, ad apicem complanatum, dilatatum, leviter impressum. Oculi magni, paene conniventes, fronte angustissima separati. Thorax antice angustior, laevis, linea media elevata, macula ad basin utrinque albicante, e pilis minutissimis arcte adjacentibus et altera infera laterali. Scutellum impressum, laevigatum. Elytra thorace satis latiora, humeris callosis, margine late inflexo; postice angustata, acute mucronata; elevato-striata, interstitiis clathratis; singulum macula ad basin flavo-pollinosa, et tuberculo pone basin laevi. Subtus niger, medipectore et abdominis medio albo-piloso. Antennae fuscae, clava minuta, flavicanti-pilosa. Pedes nigri, femoribus omnibus acute dentatis, tibiis omnibus extus ad apicem barbatis, unco valido et penicillis duobus fulvis munitis; tarsorum articulo tertio magno, subtus fulvo-pulvinato.

HOMALINOTUS COLOSSEUS. † Totus ater, latus, complanatus; thorace transverso, punctato, aspero, elytris subparallelis, sulcatis: sulcis vadosis punctis elevatis. Lg. 16‴ sine rostro; rostri 6‴ vix. Lat. hum. 7½‴. Tab. XVI. f. 9.

Habitat prope Sebastianopolin.

Rostrum thoracis longitudine, leviter curvatum, cicatricosum. Thorax cicatricoso-punctulatus, brevior quam latus, planus, lateribus rotundatis, antice abrupte coarctatus; supra alutaceus, subtus et ad latera elevato-punctatus. Scutellum majusculum, punctulatum. Elytra ad basin thoracis latitudine, retrorsum sensim at parum angustiora, ad dorsum plana, ante apicem declivia, ad latera inflexa; obsolete sulcata, sulcis elevato-punctatis, interstitiis alutaceis. Subtus concolor, alutaceus, medipectore flavo-hirto. Antennae nigrae. Pedes nigri, alutacei, valde robusti, femoribus et tibiis anticis et mediis dentatis, tibiis mediis et posticis ad apicem externe alatis, tarsorum articulis subimbricatis, sensim latioribus, subtus fusco-tomentosis.

Dionychus platymotus Germ. species affinis videtur.

DIONYCHUS ALBOGUTTATUS Germ. Ellipticus, niger, sulphureo-squamosus; pedibus rufis; elytris transversim rugosis, maculis septem albis. Tab. XVI. f. 10.

Germ. Ins. spec. nov. tom. I. pag. 314.

Habitat prope Contendas, et in deserto versus St. Francisci fluv. in Prov. Minarum.

DESMOSOMUS Perty.

(MECORHYNCHI: CHOLIDES).

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae longiusculae, tenues, funiculo 7-articulato, clava fusiformi-ovata. Rostrum capite thoraceque longius, arcuatum. Thorax postice vix lobatus. Elytra elongato-ovata, pygidium vix obtegentia. Pedes elongati, tenues. Corpus totum elongatum, supra planum, subtus convexum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae medio rostri insertae, capite thoraceque longiores, tenues, 12-articulatae: articulo primo reliquis omnibus longiore, filiformi, apice subclavato, 2° tribus sequentibus longiore, cylindrico, ad apicem paullo crassiore, 3°, 4°, 5° cylindrico-obconicis brevibus, 6°, 7°, 8° cylindrico-globosis, clava 4-articulata, fusiformi-ovata. Rostrum capite thoraceque satis longius, arcuatum, cylindricum, apice parum incrassatum, canaliculo antennali oculos attingente. Caput parum convexum. Oculi laterales, ovati, mediocres. Thorax elytris plus duplo brevior, postice elytrorum longitudine, antice valde angustatus; planiusculus, immarginatus; postice utrinque vix bisinuatus, medio parum lobato. Scutellum minutum, subcirculare. Elytra ad basin thoracis latitudine, ad medium vix latiora, pone medium

sensim angustata, dorso planiusculo, margine laterali inflexo, apice mutico, subacuminato, pygidium vix obtegente. PYGIDIUM subrotundatum, nudum. POSTPECTUS linea media impressa. SCAPULARIA triangularia. PARAPLEURAE valde angustae, parallelae. ABDOMINIS segmenta primum et secundum prae reliquis longa. PEDES longi, graciles, femoribus tibiis satis longioribus, subcylindricis, vix clavatis, subtus ante apicem dente acuto brevi munitis; tibiis compressis muticis; tarsorum articulis primo et secundo praecedente minore trigonis, tertio profunde bilobo, quarto cylindrico, arcuato, unguiculis minutis. Alatus.

Nomen genericum e verbis δεσμὸς, vitta, taenia, et σῶμα, corpus.

Observatio. Habitus paullulum Calandrae, sed antennarum et rostri structurae Cholidibus adjungendus. Pedes antici parum remoti.

Tab. XVI. f. 11. DESMOSOMUS LONGIPES. † Olivaceo-fuscus, thoracis vittis tribus, elytrorum sutura vittaque laterali sulphureis. Lg. 8''' sine rostro; rostri 4'''. Lat. hum. 2 1/4'''.

Habitat prope oppidum dos Ilheos, Prov. Bahiensis.

Rostrum nigrum, laevigatum. Caput vix punctulatum, nigrum, vitta utrinque pone oculos flavicante. Thorax rugulosus, niger, vitta media et utrinque laterali flavicantibus. Scutellum sulphureum. Elytra crenato-punctata, nigra, sutura et vitta marginali sulphureo-flavicantibus. Subtus flavicans, vitta utrinque ad totam corporis longitudinem nigra. Flavedo ubique e squamulis minutissimis, confertissimis oritur. Antennae piceae, clava fusca. Pedes nigri, asperi, tarsis subtus ochraceo-spongiosis.

Tab. XVI. f. 12. CALANDRA GERMARI. † Aterrima, polita; thorace capite cum rostro satis longiore, tibiis anterioribus dense barbatis. Lg. 19''' sine rostro; rostri 5 1/2'''. Lat. hum. 7'''.

Habitat in Brasilia aequatorali, in sylvis ad flumen Amazonum.

Affinis C. palmarum, sed barbae rostralis defectu, statura longiore, thorace magis elongato, et superficie tota polita facile distinguenda. Rostrum crassiusculum, cylindricum, parum curvatum, apicem versus sensim paullo gracilius. Caput laeve, politum, oculis minime prominulis. Thorax planus, laevissimus, lobo postico maximo. Elytra profunde striata, polita. Subtus concolor etiamque polita. Antennae nigrae. Tibiae anteriores intus barba densa ferruginea. Alae violaceae.

Sacra sit celeberr. Dom. Prof. et Dr. Germar, Entomologo eximio, et Dioscurorum alteri in Circulionidum systemate eruendo.

Tab. XVI. f. 13. CALANDRA CINNAMOMINA. † Ferrugineo-badia; thorace laevi, medio obscuriore, elytris striatis, maculis aliquot obscurioribus. Lg. 5 3/4''' sine rostro; rostri 2'''. Lat. hum. 2'''.

Habitat in sylvis ad Amazonum flumen.

Rostrum compressum, glaberrimum, badium. Caput badium, laeve, oculis nigricantibus. Thorax ad discum laevigatus, ad latera punctulatus, ferrugineo-badius, medio et plaga utrinque postica obscurioribus. Scutellum majusculum, elongatum. Elytra striata, striis alternis sub lente punctatis; ferrugineo-badia, humeris, sutura, macula in quovis media, postica marginali et regione apicali obscurioribus. Subtus concolor, griseo-sericans, punctulata. Antennae nigricantes, clava brunnea, antice albo-tomentosa. Pedes ferruginei, tarsis nigricantibus.

COSSONUS BULBIROSTRIS. † Niger, planiusculus; rostro brevi antice incrassato, thorace cicatricoso-punctulato, elytris crenato-punctatis. Lg. 4''' vix sine rostro; rostri ½''' vix. Lat. hum. 1'''. Tab. XVI. f. 14.

Habitat in sylvis ad flumen Amazonum.

Totus niger, vix nitidulus. Rostrum capite parum longius, punctulatum, antice dilatatum, incrassatum. Caput breve, laeviusculum. Thorax profunde cicatricoso-punctulatus, antice angustatus. Scutellum vix conspicuum. Elytra thoracis latitudine, planiuscula, profunde crenato-punctata. Subtus cum pedibus concolor. Antennae breviusculae, piceae, clava griseo-pilosa. Tibiae omnes, sicuti in speciebus congeneribus, unco armatae.

Observatio. Rostro brevissimo, corpore autem planato, haec species intermedia est inter Cossonum proprie sic dictum et Rhyncholum.

APATE FURCATA. † Brevis, brunneo-picea; thorace aspero, antice cornubus duobus deorsum flexis denticulatis; elytris punctulatis, postice retusis, bidentatis. Lg. 4'''. Lat. hum. 1½'''. Tab. XVI. f. 15.

Habitat in sylvis in Provincia Piauhiensi.

Affinis Bostricho bicornuto Latr. (Humb. Voy. Part. Zoolog. Tab. XXXIV. f. 6. Tom. II. pag. 65.) sed paullo minor, et colore sicuti sculptura diversus. Caput sub thorace deflexum, piceo brunneum, densissime striolatum. Thorax subgibbosus, antice asperatus, utrinque processu deflexo denticulato, apice ungulato. Elytra thoracis latitudine, plus quam duplo longiora, punctulata, nitida, marginulata, postice retusa, singulum dentibus duobus, infero longiore. Subtus fusco-brunnea. Antennae flavae, articulis tribus valde dilatatis. Pedes brunnei.

FAMILIA: PLATYSOMATA.

PALAESTES Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae corpore multo breviores, filiformes. Mandibulae maximae, falcatae.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae corpore paene duplo breviores, filiformes, 11-articulatae: art. 1° cylindrico, capite paene triplo breviore, 2° brevissimo, 3° primi longitudine, 4°—8° cylindricis, paene aequalibus; 9° et 10° obconicis, ultimo ovato, acuminato. Mandibulae exsertae, capitis longitudine, falcatae, tenues, ad basin dente valido seu potius angulo, ad apicem bifidae. Palpi filiformes. Caput thoracis latitudine, planum, inaequale, dente utrinque pone oculos. Oculi globosi, valde prominuli. Thorax transversus, antice profunde emarginatus, angulis omnibus acutis, anticis prominentibus, margine laterali undulato, denticulato. Scutellum semicirculare. Elytra plana, thorace parum latiora, parallela, apice rotundata. Pedes quoad longitudinem et validitatem medii.

Παλαιστής, pugnator, gladiator.

Observatio. Trophorum analysin, exemplo tantum uno concesso, offere non valeo. Habitus Cucuji, a quo vero antennarum et mandibularum structura essentialiter differt.

Tab. XVI. f. 16. PALAESTES BICOLOR. † Laevis, badius; antennis, tibiis, abdomine et elytrorum dimidio postico nigris. Lg. 4¼''' sine mandibulis. Lat. hum. 1⅓'''.

Habitat in Brasilia australi?

Caput badium, laeve, sulco pone oculos profundo, transverso. Mandibulae nigrae, ad basin flavae. Thorax badius, inaequalis, sulco medio abbreviato et impressione utrinque postica, magna. Scutellum semicirculare, badium, laeve. Elytra glaberrima, marginulo laterali reflexo, punctulato, disco impresso; antice badia, postice nigra. Caput subtus, antepectus et medipectus badia, abdomen nigrum. Antennae nigrae, pilosulae. Femora badia, tibiae et tarsi nigri.

FAMILIA: LONGICORNIA.

Tab. XVII. f. 1. PARANDRA MANDIBULARIS. † Badia, laevissima; mandibulis nigricantibus, capitis longitudine. Lg. 13''' ad mandibularum apicem. Lat. hum. 3⅓'''.

Habitat in sylvis ad Amazonum flumen.

Caput nigricans, laevissimum, pone oculos punctatum, antice utrinque leviter emarginatum. Mandibulae nigricantes, subarcuatae, supra planiusculae, ad apicem emarginatae, medio denticulo munitae. Thorax badius, politus, subcordatus, lateribus et marginulo reflexis. Dorsulum punctulatum, scutellum parvulum, laeve. Elytra thoracis latitudine, paene triplo longiora, badia, polita, marginulo reflexo. Mentum barba flava, densa. Subtus cum pedibus concolor, polita, Antennae brunneo-nigricantes.

Observatio. Parandra affinitatem satis claram cum Lucanidibus exhibet, et imprimis species hic descripta. Tarsorum articulus ultimus grandis, clavatus, arthrium praecipue evidens; plantula cum pseudonychiis sicuti in Lucanidibus adest.

TROPIDOSOMA Perty. PRIONUS Kirby.

(LONGICORNIA: PRIONIDES).

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae corpore dimidio breviores, compressae, subserratae. Thorax et elytra carinata. Pedes breviusculi. Corpus parallelum, convexiusculum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae 11-articulatae, art. 1° subclavato, 2° minimo, reliquis compressis subserratis, ultimo ovato-lanceolato. Caput parvulum, thorace plus quam triplo angustius, fronte excavata. Mandibulae brevissimae, validae, curvatae. Palpi breves, articulo ultimo crassiusculo. Thorax transversus, inaequalis, carinatus, margine undulato. Scutellum parvulum, subtrigonum. Elytra fere parallela, thorace paullo latiora, carina elevata, apice mutico rotundato. Prosternum exsertum, postice paullum emarginatum, pro metasterni processu parvo recipiendo. Segmentum abdominis primum antice in processum elongatum. Pedes breviusculi, femoribus compressis, tibiis tenuiusculis.

TROPIDOSOMA SPENCII Kirby. Thorace inermi, testaceo, vittis duabus nigris; elytris nigris, fascia obliqua fulva. Lg. 16‴. Tab. XVII. f. 2.

Transact. of Linn. Soc. tom. XII. pag. 438.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

PRIONUS PICTUS. † Piceo-brunneus; thorace acute spinoso, elytris signaturis 6 testaceis; antennis praelongis, tibiis tarsisque ferrugineis. Lg. 16‴. Lat. hum. 6½‴. Tab. XVII. f. 3.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Species insignis, elegantissima. Caput grande, elongatum, piceo-brunneum, utrinque vitta griseo-tomentosa, sulco medio profunde impresso. Mandibulae nigrae, paene capitis longitudine, medio unidentatae. Palpi badii. Thorax brevis, piceo-brunneus, utrinque acute mucronatus, sulcis duobus longitudinalibus, et eorum fundo sicuti lateribus flavescenti-tomentosis. Scutellum grande, triangulare, laeve, macula utrinque flavescenti-tomentosa. Elytra ad basin thorace paullo latiora, humeris prominulis, submucronatis, retrorsum angustiora, apice truncato, mutico; tota insigniter punctulata, piceo-brunnea: singulum macula antica longitudinali obliqua, media juxta marginem subrotunda striaque postica flavis. Subtus brunneo-piceus. Antennae corpore paene duplo longiores, articulis muticis: primo nigro, aspero, reliquis ferrugineis glabris. Pedes femoribus omnibus brunneo-piceis, anticis paullo incrassatis, asperis, reliquis subcompressis, glabris, Tibiae et tarsi omnes ferruginei.

Tab. XVII. f. 4.

PRIONUS PULCHERRIMUS. † Latus, virescenti-coeruleus, nitidus; thorace laevi, utrinque unispinoso; elytris fascia media lata testacea. Lg. 13'''. Lat. hum. 5'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput satis elongatum, sulco medio antrorsum profunde excavato, laevigatum; oculis angustis fuscis, mandibulis nigris, palpis piceis. Os subtus recta emarginatum, genis antice prominentibus, acuminatis. Thorax capite satis latior, antice posticeque truncatus, margine laterali antice crenulato, pone medium utrinque dente acuto munito, pone dentem emarginatus; coeruleo-aeneus, inaequalis, punctulatus, nitidus. Scutellum magnum, elongatum, trigonum, punctulatum, coeruleo-aeneum, antice emarginatum. Elytra thorace latiora, subparallela, apice rotundata; coerulea, nitida; rugosula, ad basin plicatula, fascia media ternionem longitudinis obtinente testacea. Subtus cum pedibus viridi-aeneo-coeruleus, politus. Mesosternum prosterni recipiendi causa emarginatum. Antennae corpore paene dimidio breviores, aeneo-coeruleae, articulis tribus ultimis nigris; art. 1° grandi, curvato, compresso, 2° brevissimo, 3° quam primus longiore, compresso, sequentibus 5 cylindricis, fere aequalibus, 9°, 10° paullo crassioribus, ultimo ovato. Pedes tenuiusculi, tarsis subtus fusco-tomentosis.

Tab. XVII. f. 5.

PRIONUS COEUS. † Piceo-brunneus; thorace brevi, transverso, medio laevi, polito, lateribus cicatricosis, margine laterali denticulato-crenato; elytris marginatis, medio dilatatis; subtiliter alutaceo-rugulosis, lineis aliquot longitudinalibus elevatis. Lg. 3¾''. Lat. hum. 13'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Inter maximos hujus generis, fere habitu P. Luzonum Fabr. Caput magnum, elongatum, inaequale, antice asperatum, sulco profundo frontali. Thorax transversus, elytris satis angustior, disco laevi, polito, lateribus late cicatricosis, margine laterali denticulato-crenato, antico pilis aureis ciliato. Scutellum parvulum. Elytra planiuscula, elongato-ovata, pone basin dilatata, ad marginem lateralem depressa, margine ipso lato; tota alutacea, piceo-brunnea; singulum lineis 3 aut 4 longitudinalibus subobsoletis; apice rotundato. Subtus cum pedibus piceo-brunneus, tarsis subtus ochraceo-tomentosis. Antennae corporis longitudine, articulis tribus primis nigris, tertio valde elongato, compresso; reliquis piceo-brunneis, nitidis, compressis.

Tab. XVII. f. 6.

PRIONUS MARTII. † Piceus; thorace utrinque macula coccinea, elytris fascia latissima flavicante. Lg. 1''. Lat. hum. 3¾'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum, super arbusta camporum.

Caput nigrum, inaequale, angustulum, parum elongatum. Thorax inaequalis, cicatricoso-punctatus, utrinque dente obtuso; niger, opacus, macula utrinque postica coccinea. Dorsulum laevigatum. Scutellum cicatricoso-punctatum, nigrum. Elytra glaberrima, polita, apice rotundata, thorace parum latiora, parallela; piceo-nigra, fascia latissima albido-flava, postice emarginata. Subtus niger. Antennae capite breviores, nigrae, subserratae, articulis compressis. Pedes nigri, tibiis posticis compressis apicem versus dilatatis.

PRIONUS FLAMMIGER. † Coerulescenti-niger, opacus; thorace utrinque unispinoso, elytris maculis duabus coccineis. Lg. 10½'''. Lat. hum. 3⅔'''. Tab. XVII. f. 7.

Habitat in Prov. Bahiensi.

Caput punctulatum, fronte impressa, linea media incisa, oculis nigris, palpis piceis. Thorax transversus, ad angulos anticos paullo deflexus, postice bisinuatus, dente utrinque pone medium acuto, retrorsum recto; pone dentem emarginatus, angulis posticis prominulis, rotundatis; praesertim ad latera punctulatus. Scutellum majusculum, punctulatum. Elytra thorace parum latiora, triplo longiora, satis parallela, subtiliter et confluenter punctata, margine laterali reflexo, postice rotundata; coerulescenti-nigra, singulum maculis duabus mediis transversim positis coccineis. Subtus coerulescenti-niger, parum nitidulus, pygidio supra elytra prominente, rotundato. Antennae corpore breviores, coerulescenti-nigrae. Pedes nigro-coerulei, laeviusculi, femoribus tibiisque compressis, tarsis subtus ochraceo-tomentosis.

Observatio. Species Prioni hic descriptae habitum sane distinctum offerunt, et si respicis distributionem hujus generis, quam autores recentissimi perfecerunt, generibus pluribus adscribi possunt. Quum vero characteres eorum, quae celeb. Lepelletier et Serville inde constituerunt, (Annal. d. scienc. natur. t. 21. p. 170. seqq.) nondum exstent, species paucas nostras sub Priono enumeravi.

ANACOLUS PRAEUSTUS. † Niger, abdomine, thorace elytrisque testaceis: his apice nigris. Lg. 8½'''. Lat. hum. 4''' vix. Tab. XVII. f. 8.

Habitat prope Sebastianopolin.

Statura et fere magnitudine Anacol. sanguinei Lepel. et Serv. Caput nigrum, excavatum, macula verticali testacea. Mandibulae valde porrectae, decussatae, introrsum concavae. Palpi brunnei. Thorax testaceus, ad latera niger, angulo utrinque prominulo, pone angulum emarginatus. Scutellum fuscescens. Elytra thorace multo latiora, subtiliter punctulata, striolis aliquot elevatis, valde obsoletis; testacea, apice nigro. Subtus cum pedibus niger, abdomine testaceo, segmento anali valde elongato, exserto, attenuato, oviscapto simili. Antennae nigrae, corporis longitudine, articulis apicalibus paullo dilatatis, subserratis. Alae pellucidae, flavicantes.

Species hujus generis in duas familias distribuo, quorum I^ma^ elytra offert ovata, antennas ad apicem serratas, corpus latiusculum; II^da^ elytra ovato-lanceolata, brevissima, antennas pectinatas, corpus angustulum. Fam. I^mae^ A. sanguineus Lep. et Serv. praeustus mihi, II^dae^ A. lugubris Lepel. et Serv. et A. flavipes mihi, species adhuc indescripta adscribendi sunt.

PSYGMATOCERUS Perty. PHOENICOCERUS Latr.
(LONGICORNIA: CERAMBYBINI).

CHARACTER NATURALIS.

Antennae 11-articulatae: maris articulis novem ultimis flabellatis. Mandibulae corneae, validae, breves. Elytra postice emarginata, bimucronata. Corpus elongatum, parallelum. Tab. XVII. f. 9.

Conf. Isis, 1828. p. 737. seqq. Perty *über einige Fühlerformen der Käfer und eine neue Sippe: Psygmatocerus.*

Phoenicocerus Dejeanii Latr., Regne anim. tom. V. p. 1830.

Tab. XVII. f. 10. PSYGMATOCERUS WAGLERI. † Testaceo-rufescens, pilosulus; thorace supra piceo, cicatricoso, elytris pallide cinnamominis glabris. Lg. 16‴. Lat. hum. 4‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Observatio. Species altera, sine dubio huic generi adscribenda, est Prionus suturalis Koll. in litt. Psygmatoceri Wagleri tantum marem vidi. Antenna feminae, quae in tabula nostra depicta est, ad Prionum suturalem Koll. pertinet.

Tab. XVII. f. 11. TRACHYDERES VARIEGATUS. † Niger, politus; thorace tuberculoso; elytris nigro-flavoque variis, antennarum articulis et femoribus ad basin dilute badiis. Lg. 13‴. Lat. hum. 4⅔‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Statura fere T. rufipedis Fabr. Caput nigrum, inaequale, vertice impresso. Thorax antice asperatus, postice tuberculosus, politus, dente utrinque obtuso. Scutellum magnum, elongatum, nigrum. Elytra ad basin thoracis latitudine, retrorsum angustiora, apice truncato, mutico; polita, dilute badia, macula in singulo pone basin, posticaque maxima communi nigris. Subtus niger, prosterno exserto. Antennae corpore multo longiores, muticae, nigrae; articulo primo et secundo nigris, reliquis nigris, dimidio basali badio. Pedes nigri, femorum basi et tibiarum medio badiis, tarsis subtus ochraceotomentosis.

Tab. XVII. f. 12. TRACHYDERES MICROTHORAX. † Piceus, politus; thorace brevissimo, tuberculoso; tibiis tarsisque flavis. Lg. 14‴. Lat. hum. 5‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput inaequale. Thorax inaequalis, punctulatus, dentibus utrinque duobus munitus. Scutellum elongatum, angustatum. Elytra thorace plus quam duplo longiora, ad basin thorace vix angustiora, retrorsum angustata, apice truncato, extus denticulo parvo munita; polita, ad basin punctulata, inaequalia, secundum suturam paullulum involuta. Subtus, uti supra, piceus. Antennae corpore breviores, tenuiusculae, articulis 2 basalibus nigris, sequentibus fulvis, apicalibus fuscescentibus. Pedes picei, tibiis tarsisque laete flavis.

HOMALOPTERUS Perty.

(LONGICORNIA: CERAMBYCINI).

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae corpore dimidio breviores, serratae, compressae. Labium superius majusculum, porrectum, transversum. Mandibulae porrectae, decussatae, acutissimae. Palpi elongati. Elytra ad dorsum plana.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae ex oculis interne leviter emarginatis, 11- articulatae: artic. 1° subcylindrico, 2° minuto, obconico, reliquis compressis, trigonis, serratis, ultimo ovato-lanceolato. Palpi maxillares et labiales satis elongati, longitudine fere aequa-

les, articulo penultimo apicem versus incrassato, ultimo cylindrico, subacuminato. Caput subtriangulare, subrostratum, pone oculos coarctatum, fronte lata, oculis prominentibus thorace perpaullum latius. Clypeus a fronte linea transversali separatus. Thorax subquadratus. Scutellum semicirculare. Elytra thorace circiter quadruplo longiora, postice paullum dilatata, extus carinata, late inflexa, ad dorsum planiuscula, ad apicem rotundata, mutica. Pedes quoad longitudinem et validitatem medii, femoribus posticis paullum incrassatis, tibiis posterioribus paullo curvatis, tarsorum articulo unguiculari longulo, unguiculis muticis. Corpus pubescens.

Nomen genericum e verbis ὁμαλὸς, planus, πτερὸν ala. Genus satis distinctum, Ctenodi Klug. affine videtur, a quo vero trophis et habitu differt.

HOMALOPTERUS TRISTIS. † Fuscus, thoracis clytrorumque lateribus rufescentibus. Lg. 6½‴. Lat. hum. 2¼‴. Tab. XVIII. f. 1.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput fuscum, pubescens, punctulatum. Thorax linea margini antico et postico parallela impressa; fuscus, nitidus, disco convexiusculo, margine laterali rufescente. Scutellum fuscum, punctulatum, pubescens. Elytra tota tenuiter hirta, subtilissime punctulata, fusca, margine laterali, sed non usque ad apicem ferrugineo, epipleuris fuscis. Subtus fuscus, subnitidus. Parapleurae macula ferruginea. Abdomen ad apicem flavicans. Antennae atrae. Pedes fusci, pilosuli.

CHRYSOPRASUS AURIGENUS. Germ. Viridi-aeneus, punctatus, antennis nigris, elytris margine aureis, apice truncatis, extus mucronatis. Tab. XVIII. f. 2.

Callichroma aurigena Germ. Ins. spec. tom. I. p. 496.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

STENOCHORUS PLANUS. † Sordide ferrugineus; antennis ciliatis, corpore longioribus; elytris aeneis, punctulatis. Lg. 9⅓‴. Lat. hum. 1½‴. Tab. XVIII. f. 3.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Corpus parallelum, angustum, planum. Caput et thorax sordide ferruginea, opaca. Scutellum minutissimum, ferrugineum. Elytra vix thoracis latitudine, parallela, subaenea, nitidula, densissime et confluenter punctulata, ad latera et postice pilosula, apice mutico, rotundato. Subtus cum pedibus grisescenti-ferrugineus. Antennae corpore dimidio longiores, fuscae, ad basin ferrugineae, subtus ciliatae. Pedes posteriores femoribus et tibiis satis elongatis.

COSMIUS OCHRACEUS. † Fusco-brunneus, scutello et stria elytrorum longitudinali albis; antennis fasciculatis. Lg. 6‴. Lat. hum. 1⅓‴. Tab. XVIII. f. 4.

Habitu fere Saperdae hirsuticornis Kirby. Caput parum elongatum. Thorax elytris parum angustior, cylindricus, ad medium perpaullum incrassatus, antice constrictus, ad marginem posticum linea impressa, antrorsum curvata. Scutellum subquadratum, argenteo-sericeum. Elytra ad basin thorace parum latiora, apicem versus sensim ac paullum angustiora, apice mutico, margine tantum ad basin inflexo; linea in singulo e pilis albis minutissimis a basi usque ad apicem et impressione extra lineam ei parallela postice obsoleta. Subtus fusco-brunneum, tenuiter albo-sericeum, segmentis abdominalibus ad basin argenteo-sericeis. Antennae corpore longiores, articulo quinto ad apicem fasciculo denso e pilis longiusculis brunneis. Pedes fusco-brunnei.

Tab. XVIII. f. 5. STENOCHORUS SUTURALIS. † Niger, thorace asperato, elytris laevibus: vitta lata ferruginea. Lg. 10½‴. Lat. hum. 3⅓‴.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput nigrum, inaequale, asperatum. Thorax elytris angustior, modice convexus, asperatus, medio parum incrassatus, denticulo utrinque parvo, obtuso. Scutellum nigrum. Elytra thorace parum latiora, subparallela, apice rotundato, mutico; laevia, parum nitida, sub lente vage punctulata; nigra, singulum vitta per totam longitudinem ferruginea, lata. Subtus niger, pectoris lateribus griseo-tomentosis. Antennae corporis longitudine, muticae, nigrae. Pedes nigri, tarsis fuscis, subtus ochraceo-tomentosis.

Tab. XVIII. f. 6. ACANTHOPTERA VIOLASCENS. † Capite, thorace, pedibusque flavis; elytris violascentibus, striato-punctatis, retrorsum angustatis, apice mucronatis. Lg. 10½‴. Lat. hum. 2‴.

Habitat prope oppidum dos Ilheos, Prov. Bahiensis.

Caput et thorax plana, grisescenti-flava, sericantia, laevia. Scutellum violascens. Elytra ad basin thorace parum latiora, retrorsum angustiora, apice emarginato, extus mucronato; violascentia, plana, insigniter striato-punctata, punctis apicem versus obsoletis. Subtus brunneus, capite et antepectore flavis. Antennae corporis longitudine, fuscae, ad basin flavae. Pedes flavi, tibiis anticis nigricantibus.

Tab. XVIII. f. 7. ACANTHOPTERA GUMMOSA. † Fusco-nigra, opaca, tuberculosa; elytris postice nitidis, apice unispinosis. Lg. 7½‴. Lat. hum. 2‴.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput rugoso-punctatum, denticulo ad antennarum basin utrinque erecto, oculis supra excavatis. Thorax capitis latitudine, cylindricus, inaequalis, denticulis duobus mediis. Scutellum minutum, flavicans. Elytra thorace non multum latiora, tuberculose et rugulose punctata, parce pilosa, linea media elevata, ad discum paullo complanata; opaca, ternione postica quasi gumine illita, nitida; sutura elevata, margine externo ad apicem in dentem acutum producto. Abdomen brunnescens. Antennae corporis longitudine, fusco-nigrae, apicem versus subserratae, articulo primo subclavato, reliquis compressis. Pedes fusco-nigri, femoribus omnibus clavatis, tibiis compressis, ad apicem paullo dilatatis, tarsis flavicantibus, pilosis.

ACANTHOCINUS HUMERALIS. † Fuscus, thoracis medio, scutello et humeris flavis; elytris apice cinereis. Lg. $4\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$. Tab. XVIII. f. 8.

Eryphus humeralis Tab. nostr.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput fuscum. Thorax brevis, utrinque postice spina retrorsum directa, et pone hanc coarctatus; elytris parum angustior, fuscus, obsolete griseo-varius, stria flava postice dilatata. Scutellum fulvum. Elytra fusca, nitore grisescente, infra humeros fulva, fulvedine paullo ad marginem retrorsum tracta, humeris ipsis fuscis; linea, praesertim postice juxta suturam impressa; ad apicem grisescentia, emarginata, extus acute mucronata. Sub lente in elytris punctorum series longitudinales videntur. Subtus cum pedibus fuscus, griseo-pruinosus. Antennae nigrae, corpore dimidio longiores, articulo primo satis elongato.

CALLIDIUM TRICOLOR. † Nigrum, thorace sanguineo, striis tribus nigris; elytris humeris fasciaque flavis. Lg. $5\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$. Tab. XVIII. f. 9.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Caput nigrum, punctulatum. Thorax elytris parum angustior, lateribus rotundatis, antice posticeque truncatus; sanguineus, striis tribus, quorum media abbreviata, et punctis lateralibus utrinque duobus nigris. Scutellum nigrum. Elytra subparallela, postice paullulum dilatata, apice vix emarginato, tota punctulata; nigra, humeris et fascia media latiuscula flavis. Subtus niger, antepectore sanguineo. Antennae corpore longiores, filiformes, muticae, nigrae. Pedes nigri.

ERYPHUS BIPUNCTATUS. † Capite nigro; thorace aurantiaco, postice maculis duabus nigris; elytris planis, coerulescenti-nigris. Lg. $3\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $1'''$. Tab. XVIII. f. 10.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput nigrum, angustulum. Thorax subglobosus, elytris vix angustior, laevis, aurantiacus, maculis duabus nigris quadratis ad basin. Scutellum valde minutum, nigrum. Elytra plana, ferreonigra, in medio perpaullum contracta, apice extus mucronato; sub lente praesertim ad basin longitudinaliter punctata. Subtus cum pedibus pilosulis cyaneus, nitidulus, antepectore aurantiaco. Antennae corpore vix longiores, nigrae.

STENOCHORUS CONSPICUUS. † Parallelus, politus; capite thoraceque ferrugineis; elytris obscure brunneis, maculis quatuor testaceis, antennis pedibusque nigris. Lg. $10'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{3}'''$. Variat multo minor. Tab. XVIII. f. 11.

Habitat circa Sebastianopolin.

Caput thorace parum angustius, crassum, inaequale, punctulatum. Thorax convexiusculus, inaequalis, antice latior, postice coarctatus. Scutellum parvulum, griseo-tomentosum. Elytra parallela, thoracis latitudine, polita, planiuscula, maculis in singulo duabus testaceis; praesertim postice setulosa, apice rotundato, mutico. Subtus ferrugineus, abdomine obscuriore. Antennae corpore fere dimidio longiores, articulis ad apicem incrassatis, pilis aliquot munitis. Pedes nigri, mutici, femoribus subclavatis, tibiis rectis, tarsis subtus ochraceo-tomentosis.

postice nigra, fascia ante apicem alba, suturam versus dilatata. Subtus flavescenti-farinosus. Pedes nigri, albicanti-tomentosi, medii et praesertim postici femoribus tibiisque elongatis; tibiae anticae et femora media paullo curvata. Antennae corpore satis breviores, filiformes, nigrae.

Tab. XIX. f. 1. RHINOTRAGUS MARGINATUS. † Niger; thoracis margine rufo; elytris pallidis, apice et macula discoidea communi nigris. Lg. 6½'''. Lat. hum. 1⅓'''.

Habitat in Brasil. australi, Prov. St. Pauli.

Rh. dorsigero Germ. valde affinis. Caput punctato-rugulosum, rostro parallelo. Thorax rugoso-punctulatus, carinis tribus deplanatis, laevigatis, marginem vero posticum non attingentibus; niger, margine laterali et antico ferrugineo-rufis; antice paullum angustatus. Scutellum minutum, subquadratum. Elytra punctulata, ad dorsum planata, linea longitudinali elevata, antrorsum obsoletiore; ad latera paullum inflexa, marginulo reflexo, apice truncato; flavido-albida, humeris rufescentibus, macula suturali longitudinali et apice nigris. Subtus niger, pectore punctulato, segmentis abdominalibus ad apicem argenteo-micantibus, pygidio subacuminato. Antennae corpore breviores, nigrae, articulis primis cylindricis, reliquis compressis, subserratis. Pedes nigri, tarsis subtus flavescenti-pilosis.

Tab. XIX. f. 2. RHINOTRAGUS FESTIVUS. † Subtus niger; thoracis margine laterali et vitta media flavis; elytris flavis, sutura et humeris nigris. Lg. 9'''. Lat. hum. 2⅓'''.

Habitat circa Sebastianopolin.

Praecedente satis major. Caput nigrum, vitta media lata flava, rostro parallelo, latiusculo, plano. Oculi nigri. Thorax flavus, carina media rotundata, laevigata, vitta utrinque nigra, elevata, rugulosa. Scutellum nigrum. Elytra punctulata, plana, postice angustiora, apice truncato, linea media elevata, antrorsum vero obsoleta; extrorsum aliquantulum inflexa, margine laterali reflexo; flava, sutura latius et macula humerali nigris. Pectus punctulatum. Abdomen segmentis ad apicem argenteo-sericeis, segmento anali acuminato. Antennae articulis tribus primis cylindricis, secundo minutissimo, tertio quam primus longiore, quarto brevi, obconico, sequentibus dilatatis, subserratis, compressis, ultimo lanceolato; articulis duobus basalibus et apicalibus nigris, intermediis flavis. Pedes femoribus clavatis nigris, ad basin, tibiis tarsisque flavis. Alae fuscae.

Tab. XIX. f. 3. STENOPTERUS BRACONIDES. † Fusco-niger, nitidus, pectoris lateribus ferrugineis, elytris angustissimis, alis macula flava. Lg. 7½''' ad alarum extensarum apicem 9½'''. Lat. hum. 1¼'''.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput punctulatum, fronte angusta, ore breviter rostrato. Thorax subcylindricus, ad medium parum incrassatus, tuberculis utrinque duobus et carinula media abbreviata. Elytra abdomine satis breviora, ad basin angustata, e medio in acumen longum, parallelum, sulcatum, punctatum protracta. Abdomen ad basin coarctatum, ferrugineum, ano tubuliformi. Antennae corpore parum breviores, nigrae, apicem versus serratae. Pedes nigri, postici valde elongati. Alae fuscae macula ante apicem marginali flava.

MESOSA SERICEA. † Fusco-grisea, holosericea; elytris antice tuberculis duobus parvis, fascia postica pallida. Lg. 4¼'''. Lat. hum. 1½'''. Tab. XIX. f. 4.

Habitat prope oppidum dos Ilheos, Prov. Bahiensis.

Habitu satis proprio, paullo Parmenae simili. Caput latiusculum, crassum, fuscum. Thorax subcylindricus, in medio incrassatus, denticulo utrinque parvo, punctisque duobus elevatis in disco. Elytra ad basin thorace parum latiora, postice paullo dilatata; holosericea, ad apicem rotundata, declivia, ad dorsum impressa, punctis parvis elevatis; singulum tuberculo antico elevato, impressione media transversa, angusta, fusca, suturam non attingente, et fascia angusta sulphurea, antrorsum curva. Epipleurae linea longitudinali impressa. Subtus griseo-fusca, medipectore et postpectore flavescenti-tomentosis. Antennae corpore longiores, fuscae. Pedes fusci; postici femoribus et tibiis satis elongatis: his compressis. Alata, alis completis.

ACANTHOCINUS SPECULIFER Kirby. Cinereus; thorace, elytrisque ad basin spinosis: his lunula laevigata nitidissima. Lg. 6'''. Occurrit satis major. Tab. XIX. f. 5.

Lamia speculifera, transact. of the Linn. Soc. tom. XII. p. 439.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

ACANTHOCINUS SCOPIFER Germ. Thorace spinoso, dorso binodoso; fusco-tomentosus, antennis medio fasciculato-pilosis; elytris albo-fasciatis, atro maculatis, apice rotundatis. Tab. XIX. f. 6.

Lamia scopifera Germ. nov. Ins. spec. tom. I. pag. 476.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

TAPEINA PICEA Lepel. et Serv. Nigro-picea, punctata; fronte lateribus mediocriter dilatata, in medio supra emarginata, utrinque appendiculata: appendiculis brevibus externe subangulatis. Tab. XIX. f. 7.

Encyclop. method. tom. X. pag. 546.

Habitat in Bras. australi, Prov. St. Pauli.

HYPSELOMUS Perty.

(LONGICORNIA: LAMIARIAE).

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae setosae, corpore parum longiores. Thorax muticus. Elytra humeris prominentibus, ad basin latiora, retrorsum angustata, mutica. Alae completae.

CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE corporis longitudine, interdum parum longiores, articulo primo et tertio praelongis, 2° brevissimo, reliquis sensim ac sensim brevioribus et tenuioribus. LABIUM SUPERIUS transversum, lateribus rotundatis, antice ciliatum. MANDIBULAE exsertae, validae, decussatae. PALPI subfiliformes, crassiusculi. CAPUT perfecte verticale, fronte lata elongata. OCULI ovati, omnino non prominuli. CLYPEUS antice angustior, recta truncatus. THORAX elytrorum basi angustior, supra convexiusculus, e lateribus compressus. SCUTELLUM subsemicirculare. ELYTRA ad basin thorace multo latiora, humeris prominentibus angulatis; convexiuscula, postice angustata, ad apicem mutica, rotundata. PEDES validi, quoad longitudinem medii, FEMORIBUS pro tibiis recipiendis subtus canaliculatis, TIBIIS apice crassioribus, extus subangulatis, TARSORUM articulis duobus primis triangularibus, 3° profunde bilobo. Alatus, ALIS completis. COLORES sordidi, obscuri, saepius griseo- aut albido- variegati.

Nomen genericum e verbis ὑψηλὸς altus, elevatus, ὦμος, humerus.

Observatio. Ab Acanthocinis thorace armato et elytris postice muticis, a Lamiis sensu strictiore sic dictis etiam thorace mutico et elytris postice angustatis differt, quibus notis Colobotheis appropinquat. Species huc pertinentes in familias duas distribui possunt, quarum I^ma^ articulum antennarum primum subcylindricum, II^da^ clavatum habet. Fam. I^mae^ H. cristatus, adspersus, fam. II^dae^ sordidus, nivosus, pica mihi adscribendi sunt.

Tab. XIX. f. 8. HYPSELOMUS CRISTATUS. † Ochraceus, elytris ad basin cristatis, granulatis. Lg. 11‴. Lat. hum. 4⅔‴.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput retusum, fusco-ochraceum, fronte plana, linea media impressa, oculis fuscis. Thorax elytrorum basi satis angustior, e lateribus compressus, supra inaequalis, lineis aliquot transversis et obliquis impressis, carinula media elevata. Elytra sericantia, punctis nigris inordinate positis, humeris elevatis, granulo nigro nitido; crista in singulo elevata, granulis nigris obsita; postice angustiora, apice rotundato. Subtus cum pedibus fuscescenti-ochraceus. Antennae corpore parum longiores, fusco-ochraceae. Alae completae, fuscae.

Tab. XIX. f. 9. COLOBOTHEA LEUCOSPILA GERM. Holosericea, atra; thorace vittis duabus albis; elytris maculis quatuor oblongis pallidis.

Saperda leucospila, Germ. nov. Ins. spec. tom. I. p. 487.

Habitat prope Sebastianopolin.

Variat praeter magnitudinem maculis testaceis, silaceis, albis.

COLOBOTHEA HISTRIO. † Capite thoraceque flavo-sericeis; elytris fusco-griseo-flavoque variegatis, apice flavo-holosericeis; antennis ante apicem albis. Lg. 5‴. Lat. hum. 1⅔‴. Tab. XIX. f. 10.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Inter minores hujus generis, habitu aliquantulum Clyti. Caput fuscum, flavo-sericans. Oculi aureo-micantes. Thorax subcylindricus, postice magis incrassatus, elytris paullum angustior; flavo-holosericeus, linea margini antico posticoque parallela impressa. Scutellum fuscum, apice albo. Elytra subtiliter fusco-setulosa, ad basin planiuscula, humeris parum exsertis, dimidio antico griseo-variegato, sutura basique fuscis; pone medium fusca, ad apicem late flavo-holosericea, apice truncato, subbidentato. Subtus fusca, abdomine albicante, mesostethio et parapleuris e parte albis. Antennae corpore duplo longiores, fuscae, articulo sexto, apice excepto, albo. Pedes fusci.

SAPERDA INCENSA. † Capite nigro; thorace fulvo; elytris costatis, ad apicem emarginatis, ad basin nigro-fulvis, medio nigris, postice testaceis. Lg. 5‴. Lat. hum. 1‴. Tab. XIX. f. 11.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput aterrimum. Thorax parce pilosus, fulvus, ad basin ater. Elytra thoracis latitudine, e lateribus compressa, costata, punctulata, pilosula, ad apicem excisa. Pectus fulvum. Abdomen nigrum. Antennae corpore satis longiores, atrae. Palpi flavi. Pedes nigri, femoribus quatuor anticis fulvis. Alae fuscae.

SAPERDA TRIANGULARIS Germ. Nigra; antennis basi pedibusque rufis; coleopteris basi testaceis, macula trigona nigra, apice nigris. Tab. XIX. f. 12.

Germ. spec. Ins. tom. I. p. 493.

Habitat prope Sebastianopolin.

SAPERDA CAVA Germ. Occipite profunde excavato, nigra, albo-tomentosa, pedibus rufis, thorace maculato, elytris linea laterali et punctis longitudinaliter positis brunneis. Tab. XIX. f. 13.

Germ. nov. Ins. spec. tom. I. p. 493.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Variat antennis pedibusque flavis et punctis elytrorum brunneis saepius obsoletis.

SAPERDA LICHENIGERA. † Flavicanti-cinerea; elytris ad apicem acute mucronatis, griseo-albidis, fusco-punctatis, margine exteriore et linea flavicantibus, basi aspera. Lg. 11½‴. Lat. hum. 3‴ vix. Tab. XIX. f. 14.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput retusum, latiusculum, linea verticali impressa. Thorax cylindricus, griseo- et flavescenti-varius, elytris angustior. Scutellum semicirculare, flavescenti-tomentosum. Elytra thorace paene quintuplo longiora, ad dorsum deplanata, postice sensim ac sensim angustiora, apice in mucronem acutum producto; basi flavescenti-tomentosa, confluenter nigro-punctata, quasi lichenis initium simulante; linea prope suturam et margine flavis, antrorsum obsoletis. Subtus griseo-flavescens, tomentosa. Mandibulae nigrae. Antennae corpore parum longiores, griseae, infra subtiliter ciliatae. Pedes griseo-flavescentes.

Tab. XIX. f. 15. SAPERDA DIOPHTHALMA. † Fusco-grisea; elytro singulo macula subrotunda testacea; antennis ad basin barbatis. Lg. 10‴. Lat. hum. 3¼‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput retusum, supra magis prominens, fronte linea impressa, torulis antennarum marginulo antico elevato. Thorax capitis latitudine, elytris satis angustior, subcylindricus, e lateribus compressus, subtiliter et inordinate annulatus. Scutellum transversum, perbreve. Elytra thorace plus quam triplo longiora, basi recta truncata, humeris aliquantulum exsertis; postice sensim angustiora, dorso paullulum complanato, apice rotundato; tota punctulata, punctis ad basin evidentioribus, postice lineis aliquot elevatis passim obsoletis, convergentibus; macula in singuli medio pallide flava. Subtus flavescenti-grisea, fusco-punctulata. Antennae corpore longiores, articulo primo et tertio longissimis, barbato-ciliatis. Femora grisea, tibiae et tarsi flavicantes.

Tab. XIX. f. 16. RHAGIUM DAEDALEUM. † Sanguineum; elytris nigris, ruguloso-reticulatis, maculis quatuor coccineis. Lg. 9‴. Lat. hum. 2¾‴.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Rh. salicis parum majus. Caput ferrugineo-sanguineum, oculis fuscescentibus. Thorax ferrugineo-sanguineus, tuberculis quatuor externis acutis. Scutellum cinnabarinum. Elytra insigniter reticulato-rugosa, parce pilosa, nigra; marginulo externo, sutura praesertim ad medium, et maculis in singulo duabus cinnabarinis. Subtus sanguineum, vix nitidum. Antennae ferrugineae, apicem versus fuscescentes. Pedes ferruginei. An potius Stenochoro adscribendum?

Nota. Cupide novam hujus familiae distributionem a celeberr. Lepelletier et Serville perficiendam exspectamus. Hucusque, cum tantum conspectus generum eorum, sed notis nondum adjectis existat, (Annal. des sciences nat. tom. XXI. pag. 170 seqq.) impossibile mihi fuit, omnibus uti. Quod attinet ad species hic descriptas, quae ad genus Fabricianum Stenochori referendae essent, tantum eas, quae elytra habent inarmata, sub Stenochoro enumeravi, species elytris armatis, corpore latiore, planiusculo, sub Acanthoptera Latr. introduxi, et e speciebus corpore longo angusto cylindrico, elytris armatis, quae habitu paullum Obrii generi sunt affines, genus proprium sub nomine Compsa formavi.

FAMILIA: EUPODA.

MEGASCELIS PURPUREA. † Cuprea, pedibus brunneo-flavis, elytris subtiliter crenatis. Lg. $2\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $1'''$. Tab. XX. f. 1.

Habitat in Brasil. austr. Prov. St. Pauli.

Magnitudine M. aeneae Sturm, sed statura et colore diversa. Caput subtiliter alutaceum, cupreo-aureum, oculis nigris. Thorax cylindricus, cupreo-purpureus, subtilissime alutaceus, medio constrictus. Scutellum subquadratum, subtilissime punctulatum. Elytra thorace satis latiora, humeris parum prominulis, rotundatis; subparallela, postice paullum modo angustiora, apice rotundata, longitudinaliter striata, tota transversim et densissime crenulata, disco planiusculo. Subtus aeneo-cuprea, grisescenti-sericea. Antennae corporis longitudine, filiformes, tenuissimae, nigricantes, ad basin flavae. Pedes brunneo-flavi, mutici, tarsis nigricantibus, subtus pilosis, femoribus posticis modice incrassatis, coxis posticis subexsertis.

FAMILIA: CYCLICA.

ALURNUS THORACICUS. † Ater, capitis macula, thoracis lateribus, et femoribus coccineis. Lg. $10'''$. Lat. hum. $4'''$. Tab. XX. f. 2.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Statura et magnitudine A. corallini Vig. (Zoolog. Journ. tom. 2. p. 240). Caput nigrum, medio punctulatum, oculis brunneis, macula interoculari coccinea. Thorax rugosulus, lateribus late coccineis. Scutellum impressum, ad apicem laevigatum, atrum. Elytra rugosa, aterrima. Subtus fusco-niger, segmentis abdominalibus utrinque macula miniata. Antennae atrae. Pedes nigri, femoribus, apice excepto, coccineis, tarsis subtus ochraceo-tomentosis.

ALURNUS DICHROUS. † Nitidus; capite thoraceque nigris; elytris ferrugineis, longitudinaliter punctulatis. Lg. $3'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$. Tab. XX. f. 3.

Habitat ad flumen Rio negro dictum.

Cum sequente inter minimos hujus generis. Caput nigrum, glabrum, obtusum. Thorax niger, glaber, sub lente passim punctulatus; antice angustatus, margine laterali undulato, subdentato. Scutellum transversum, ferrugineum. Elytra thorace latiora, ovata, glabra, rufo-ferruginea, punctorum seriebus longitudinalibus, margine laterali subreflexo. Caput subtus, et antepectus nigra, medipectus et postpectus ferruginea. Antennae capite thoraceque longiores, nigrae. Pedes perbreves, nigri, tarsis subtus ochraceo-tomentosis.

ALURNUS CYANIPENNIS. † Capite nigro; thorace rufo; elytris cyaneis. Lg. $3\frac{1}{3}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$. Tab. XX. f. 4.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Thorax antrorsum rotundatus, angulis posticis acutis; punctulatus, juxta marginem lateralem reflexum utrinque impressus. Elytra thoracis latitudine, nitida, longitudinaliter punctulata, postice rotundata, margine laterali reflexo. Subtus nigro-cyaneus, nitidus. Antennae nigrae. Pedes nigri, tarsis subtus albido-pulvinatis.

Observatio. Vix mandibularum structura ad Alurni, et Hispae genera distinguenda sufficiat, quare melius videtur, si species inarmatae et habitu convenientes ad Alurnum revocantur (sicuti species duae praecedentes), aliaeque spinis munitae sub Hispa proprie sic dicta comprehenduntur.

Tab. XIX. f. 5. CHALEPUS DICTYOPTERUS. † Capite cum antennis nigro; thorace nigro, ad latera ferrugineo; elytris costatis, interstitiis crenatis; postice dilatatis, ad apicem denticulatis; fulvo-ferrugineis, regione scutellari et apicali nigris. Lg. $4\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{4}'''$.

Habitat ad flumen Amazonum.

Caput nigrum, minutum, inaequale. Thorax punctulatus, antice angustatus, lateribus fulvo-ferrugineis, disco nigro. Scutellum nigrum, impressum. Elytra ad basin thorace satis latiora, postice valde dilatata; ad apicem latissima, rotundata, acute denticulata, dentibus majoribus et minoribus alternantibus; acute costata, interstitiis dense crenato-punctatis; antice fulvo-ferruginea, regione scutellari et postice nigra. Subtus niger, vitta media ferruginea. Antennae capite thoraceque paene duplo longiores, nigrae, compressae. Pedes nigri, puncto ad femorum basin ferrugineo.

Tab. XIX. f. 6. CHALEPUS GONIAPTERUS. † Fulvo-ferrugineus, glaber; thorace mutico; elytris pictura coerulescente, crenato-punctatis, postice dilatatis, angulo postico externo in dentem producto. Lg. $3\frac{2}{3}'''$. Lat. hum. $1\frac{2}{3}'''$.

Habitat ad flumen Amazonum.

Caput breve, glabrum, oculis fuscis. Thorax capite latior, elytris multo angustior, punctulatus. Elytra planiuscula, densissime et insigniter crenato-punctata, fulvo-ferruginea, pictura coerulescente subretiformi; humeris prominulis, apice dilatato, dente ad angulum externum latiusculo, compresso, acuto. Subtus cum pedibus breviusculis ferrugineo-fulvus. Antennae fulvo-ferrugineae.

ARESCUS Perty.

(CYCLICA: HISPARIAE).

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae articulo basali unco armato, apicem versus incrassatae. Clypeus porrectus. Thorax quadratus. Elytra mutica.

CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE subclavatae, 11-articulatae, capitis thoracisque longitudine: articulo primo intus unco valido, antrorsum porrecto munito, 2° quam primus breviore, 3° quam primus longiore, reliquis sensim crassioribus, clavam elongatam efformantibus. CLYPEUS elongatus, porrectus, antice recta truncatus. Os inferum, minutum, MANDIBULIS et MAXILLIS brevibus, occultis, LABIO SUPERIORE latiusculo convexo, os totum a fronte claudenti; LABIO INFERIORE membranaceo-corneo, PALPIS breviusculis, articulis duobus ultimis subincrassatis. OCULI majusculi, semiglobosi. CAPUT totum transversum, thorace parum angustius. THORAX quadratus, elytris parum angustior. ELYTRA thorace triplo longiora, subparallela, convexiuscula, mutica, ad apicem rotundata, paullum dehiscentia. MEDIPECTUS satis breve, POSTPECTUS elongatum, quare pedes anteriores valde approximati, a posticis remoti. PEDES breviusculi, validi: FEMORIBUS crassis, tibiis parum longioribus; TIBIIS apicem versus sensim dilatatis, ante apicem excavatis, apice ipso denticulato; TARSIS brevissimis, articulis duobus primis cordatis, 3° bilobo, 4° apice dilatato, unguiculis brevissimis, sub lente tantum valde augenti conspicuis.

Ἀρέσκος, comis, blandus.

ARESCUS LABIATUS. † Capite et thorace rufo-testaceis, elytris testaceis, fascia media et maculis quatuor nigris. Lg. 5⅓‴. Lat. hum. 2¼‴. Tab. XX. f. 7.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput fronte clypeoque excavatis, oculis nigris. Thorax planus, laevis, nitidulus, rufo-testaceus, marginulo undique extremo, macula parva ad marginem anticum et punctis duobus nigris. Scutellum nigrum. Elytra testacea, fascia media et margine laterali in medio nigris; singulum macula transversa antica, et postica obovata nigris. Subtus rufescenti-testaceus. Antennae fuscae, ad basin flavae. Pedes rufescenti-testacei, tarsis fuscescentibus.

HIMATIDIUM COMPTUM. † Testaceum, capite et elytrorum fasciis tribus nigris. Lg. 2⅔‴. Lat. hum. 2‴ vix. Tab. XX. f. 8.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput totum exsertum, nigrum, parvum, oculis prominulis. Thorax transversus, antice profunde excisus, postice utrinque impressus; testaceus, ad discum obscurior. Scutellum nigrum. Elytra testacea, fasciis tribus nigris, undatis, antica interrupta; disco longitudinaliter punctato, margine punctato-ruguloso. Subtus testaceo-rufum, lora nigra. Antennae corpore paene dimidio breviores, nigrae, filiformes, articulis arcte distinguendis. Pedes testaceo-rufi, tarsis supra fuscis, subtus ochraceo-tomentosis.

Tab. XX. f. 9.

HIMATIDIUM DECORUM. † Subovatum nitidulum; subtus aeneum, supra nigro-aeneum, inaequale, cicatricoso-punctatum. Lg. 4½‴. Lat. hum. 3¼‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput exsertum, parvulum, inaequale, oculis prominulis. Thorax antice angustatus, scutellum versus lobatus, inaequalis, marginulatus, ad angulos posticos utrinque impressus. Scutellum minutum, laeve. Elytra thorace latiora, gibba, inaequalia, tota cicatricoso-punctata, margine laterali postice undulato. Subtus cum pedibus metallica. Antennae nigro-aeneae.

Tab. XX. f. 10.

HIMATIDIUM NIMBATUM. † Orbiculare; thorace miniato; elytris punctulatis, nitidis, cyaneis, margine externo undique miniato. Lg. 2¾‴. Lat. hum. 2¼‴.

Habitat in Prov. Bahiensi.

Caput minutum, exsertum, miniatum. Thorax elytris satis angustior, glaber nitidus, miniatus. Elytra splendide cyanea, nitida, secundum longitudinem at irregaliter punctulata, marginata, margine laete miniato. Subtus cum pedibus fulvum. Antennae fuscescenti-flavidae.

Tab. XX. f. 11.

CASSIDA HAEMATODES. † Orbicularis nigra; thorace antice sanguineo; elytris reticulatis: quovis maculis tribus sanguineis. Lg. 6½‴. Lat. hum. 4⅓‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput nigrum, a thorace totum reconditum. Thorax duplo latior, quam longus, elytris satis angustior, antice vix emarginatus, lateribus rotundatis, laevis niger, antice sanguineus, linea media impressa. Scutellum minutum, laeve, nigrum. Elytra orbicularia, valde convexa, reticulata, tota punctulata, nigra: singulum maculis anticis duabus posticaque laete sanguineis. Subtus, siculi etiam elytrorum margine valde prominente amplectente, sanguinea. Antennae thorace vix longiores, fuscae. Pedes nigri, tarsis subtus fusco-tomentosis.

Tab. XX. f. 12.

CASSIDA IRIS. † Orbicularis, gibba, diaphana, nitida, testacea: disco coccineo, maculis quatuor testaceis: elytrorum sutura ad medium et annulo discum coccineum cingente nigris. Lg. 3¾‴. Lat. hum. 2¾‴.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput totum sub thorace reconditum, valde minutum, testaceum, oculis semiglobosis nigris. Thorax nitidissimus, margine antico rotundato, parenchymatosus, praecipue supra oculos pellucidus. Scutellum trigonum, obscure testaceum. Elytra gibba, aurulenta, margine lato, diaphano, parenchymatoso, disco coccineo, maculis quatuor testaceis confluentibus, annulo aterrimo, qui etiam thoracem attingit, discum cingente. Subtus cum pedibus rufescenti-testacea. Antennae thoracis longitudine, testaceae.

Observatio. Thorax Cassidarum et Coccinellarum supra oculos saepius pellucidus est, ut animalculum sursum respicere possit.

CASSIDA VITREATA. † Orbicularis nitida, badio-fusco-varia; thoracis margine antico, elytrorum macula laterali magna, et apice pellucidis. Lg. 3'''. Lat. medii elytr. 3'''. Tab. XX. f. 13.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput totum reconditum, oculis magnis, nigris. Thorax antice laevis pellucidus, flavescens, postice fuscus, punctulatus. Scutellum trigonum, badium, medio fuscum. Elytra inaequalia, antice gibbosa, ad discum longitudinaliter punctulata, fusco- et badio-varia; macula humerali et postica fusco-badiis, macula magna laterali et apice pellucidis, flavescentibus. Subtus nigra, abdomine flavo. Antennae corpore dimidio breviores, flavae, apice fuscescente. Pedes flavi, tarsis obscurioribus.

Observaio. Parenchyma elytrorum et thoracis praesertim in plagis pellucidis clarum et pulchrum apparet; reticuli maculae marginem versus minores et densiores sunt.

CASSIDA QUINQUE-FASCIATA. † Flava, thorace postice et macula media, elytrorumque fasciis quinque nigris. Lg. 6'''. Lat. hum. 4 1/4'''. Tab. XX. f. 14.

Habitat ad Amazonum flumen.

Magnitudine et fere statura C. miliaris Fabr. Caput totum sub thorace reconditum, flavum, ore et oculis fuscis. Thorax margine antico reflexo, brunneo-flavus, margine postico et macula media nigris. Scutellum nigrum. Elytra flava, dense punctulata, fasciis quinque nigris, parum undulatis. Pectus nigrum, nitidulum. Abdomen nigrum, ad latera flavum. Elytrorum fasciae etiam subtus visibiles. Antennae flavae, ad apicem fuscescentes, flavo-sericeae. Pedes brunneo-flavi.

CLYTHRA HETEROGRAMMA. † Nigra, nitida, laevis; elytris vitta suturae parallela, basin, humeros et marginem externum attingente, aliaque postica sanguineis. Lg. 4'''. Lat. hum. 2'''. Tab. XX. f. 15.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput totum thoraci insertum, laevigatum, fronte leviter impressa. Thorax elytris paene latior, politus, paene marginulatus. Scutellum majusculum, laeve. Elytra parallela, nigra: vitta suturae propinqua, apicem non attingente, humeros et marginem lateralem antice tangente, aliaque a sutura remota a medio ad apicem dilatata sanguineis; sub lente obsolete longitudinaliter punctata. Subtus cum pedibus cinereo-flavo-sericea. Pedes antici nullomodo elongati. Antennae thoracis longitudine, fuscae.

CLYTHRA SERICATA. † Viridi-aenea, albo-sericea; elytris fascia media et apice rufis. Lg. 5 1/2'''. Lat. hum. 3'''. Tab. XX. f. 16.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput prominulum, punctulatum, fronte impressa, oculis fuscis. Mandibulae exsertae, validae, nigrae. Labium superius brunneum. Thorax convexus, antice angustatus, ad marginem

posticum impressus, marginulo laterali reflexo. Scutellum trigonum, subacuminatum. Elytra thoracis latitudine, parallela, ad dorsum planiuscula, subtiliter alutacea, margine laterali pone humeros emarginato; vitta media suturam non attingente et apice late ferrugineis. Tota superficies viridi-aenea, e setulis minimis brevissimis albido-sericans. Subtus cum pedibus cinereo-sericea. Pedes antici satis elongati, femoribus intus subdentatis, tibiis curvatis.

Tab. XXI. f. 1.

CRYPTOCEPHALUS CARNEOLUS. † Thorace punctulato elytrisque crenato-striatis purpurascentibus; subtus cum pedibus et capite rufescenti-testaceis. Lg. $2\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Habitu fere alieno. Caput totum thoraci insertum, testaceum, oculis maximis, nigris, sublunatis. Thorax purpurascens, alutaceus, margine infero antico campanulato. Scutellum elongatum, elevatum. Elytra thorace perpaullum latiora, striis elevatis, interstitiis crenatis, regione scutellari et humeris quodammodo callosis; ad apicem rotundata pygidium non obtegentia; purpurascentia, albido-micantia. Subtus rufescenti-testaceus. Antennae corporis longitudine, tenuissimae, fuscae, ad basin flavicantes. Pedes rufescenti-testacei, tarsis fuscescentibus.

Tab. XXI. f. 2.

CRYPTOCEPHALUS KOLLARI. † Capite thoraceque variis, elytris flavis: fasciis duabus et macula transversa communi nigris. Lg. $3\frac{3}{4}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{3}'''$.

Habitat circa Sebastianopolin.

Inter majores hujus generis. Caput planum, punctulatum, nigrum, fronte rufa. Thorax rufus, postice macula magna, transversa, nigra, emarginata. Scutellum albo-tomentosum. Elytra flava, sutura, fasciis duabus marginem non attingentibus, quarum prima undulata est, et macula postica communi nigris. Subtus albo-sericeus. Antennae paene corporis longitudine, fuscae, ad basin rufae. Pedes albido-tomentosi; antici parum elongati.

Vocatus in honorem Dm. Drs. Kollar, Monographiae Chlamydum auctoris, Entomologi celeberrimi.

Tab. XXI. f. 3.

LAMPROSOMA AMETHYSTINUM. † Totum saturate cyaneum, nitidum, politum, tarsis subtus flavescenti-tomentosis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$ vix. Lat. hum. $2\frac{2}{3}'''$.

Habitat inter Tejuco et St. Francisci fluvium in montibus Prov. Minarum.

Caput planiusculum, sulco medio leviter impresso, sub lente punctulatum. Thorax postice in lobum productus; sub lente subtiliter punctulatus. Scutellum valde minutum, trigonum. Elytra valde convexa, sub lente seriebus aliquot longitudinalibus punctorum subtilium; margine laterali ante medium exciso. Subtus cum pedibus cyaneum, nitidum, tarsis subtus flavescenti-tomentosis. Antennae nigrae.

Observatio. Lamprosomatis genus capitis retracti, pedum et antennarum in corporis cava retractilium, siculi corporis brevis, ovato-globosi causa affinitatem aliquam cum Byrrhis, praesertim metallicis (siculi B. aeneo Fab. punctato Germ. etc.) offert. Prosternum Lamprosomatis apparens adest, et cavum utrinque inter prosternum et trochanterem pedum anticorum, in quod antennae replicari possunt, et eorum tantum basis conspici potest.

LAMPROSOMA AURICHALCEUM Germ. Aureum, nitidissimum, subtus atrum, impunctatum, elytris subtiliter striato-punctatis. Tab. XXI. f. 4.

Germ. Ins. spec. tom. I. p. 574.

Habitat ad fluvium St. Francisci.

EUMOLPUS CERASINUS. † Brevis, crassiusculus, rufobadius; tibiis, tarsis antennisque nigris; elytris punctulatis. Lg. 4'''. Lat. hum. 2 ½'''. Tab. XXI. f. 5.

Habitat prope oppidum dos Ilheos, Prov. Bahiensis.

E speciebus crassis, brevibus, convexis hujus generis, quae transitum ad Lamprosoma offerunt. Caput profunde insertum, planiusculum, punctatum, fronte parum impressa, oculis nigris. Thorax transversus, nitidus, punctulatus, margine laterali reflexo. Scutellum parvulum, laevigatum. Elytra thorace vix latiora, convexa, tota dense punctulata. Subtus uti supra rufobadius. Antenae corpore breviores, articulis mediis dilatatis, compressis, subserratis; nigrae, articulis tribus basalibus ferrugineis. Pedes femoribus rufo-badiis, tibiis canaliculatis, nigris, tarsis nigris, subtus rufescenti-tomentosis, unguiculis ferrugineis.

EUMOLPUS PICTUS. † Capite thoraceque ferrugineis: hoc ad discum nigro; elytris coeruleis, sutura et maculis in quovis duabus flavis. Lg. 2 ½'''. Lat. hum. 1 ¼'''. Tab. XXI. f. 6.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Species elegantula. Caput profunde insertum, ferrugineum, punctulatum, mandibulis nigricantibus. Thorax brevis, nitidus, ferrugineus, macula magna media nigra. Scutellum nigrum, nitidum laeve. Elytra thorace parum latiora, sub lente punctulata, latera versus punctulato-striata; laete viridi-coerulea, nitida, sutura et maculis duabus in quovis lateralibus flavis. Subtus niger. Antennae corpore dimidio breviores, ferrugineae, versus apicem nigrae. Femora ferruginea, apice nigro; tibiae nigrae, mediae extus bidentatae; tarsi nigri.

COLASPIS GEMMA. † Capite thoraceque aureis; elytris viridi-coeruleis, nitidissimis, ad apicem cupreo-aureis. Lg. 4'''. Lat. hum. 2'''. Tab. XIX. f. 7.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput viridi-aureum, nitidum, inaequale, punctulatum, oculis fuscis, trophis piceis. Thorax cupreo-aureus, nitidissimus, marginulo laterali et postico reflexis; sub lente punctulatus. Scutellum parvulum, viridi-aureum, laeve, nitidum. Elytra nitidissima, viridi-coerulea, ante apicem violaceo-micantia, apice late viridi-aureo; sub lente insigniter punctulata. Subtus viridi-coerulea, nitida. Antennae tenues, corpore breviores, ad basin ferrugineae, artic. 4° et 5° coerulescentibus, ultimis fuscis. Pedes viridi-coerulei, nitidi, tibiis et tarsis nigricantibus: his subtus flavicanti-tomentosis.

COLASPIS TRICOLOR. † Elongato-ovata, parum convexa, subtus et capite ferruginea, supra viridis aut coerulea, metallica, nitida; elytris costulatis, interstitiis ruguloso-punctulatis. Lg. 4⅔'''. Lat. hum. 2 ¼'''. Tab. XXI. f. 8.

Variat α. Capite ferrugineo; thorace coeruleo; elytris viridi-aureis, aut coeruleis.
β. Capite thoraceque ferrugineis; elytris coeruleis, aut viridi-aureis.
γ. Capite ferrugineo; thorace aeneo-brunneo; elytris cyaneis.

Habitat in montibus Provinc. Minarum.

Caput fronte impressa, punctulata, labio majusculo, pallidiore. Thorax brevis, parum convexus, subtiliter punctulatus, antice angustatus. Scutellum coeruleum aut ferrugineum, parvulum, laeve. Elytra thorace multo latiora, parum convexa, subparallela, ad apicem abrupte angustata; costulata, costis suturam versus obsoletis, interstitiis praesertim marginem versus ruguloso-punctatis. Interdum occurrunt exempla costis satis obsoletis. Subtus rufa, aut ferruginea. Antennae nigricantes, ad basin rufae. Pedes ferruginei, aut fusco-brunnei.

Tab. XXI. f. 9. DORYPHORA SUPERBA. † Capite testaceo, maculis duabus in vertice nigris; thorace nigro, macula media et margine laterali flavis; elytris aeneis, maculis quatuor et fasciis duabus flavis. Lg. $8\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $6'''$.

Habitat in montibus Prov. Minarum, ad St. Joao d'El Rey.

Inter maximas hujus generis. Thorax transversus, capite duplo latior, antice pro capite recipiendo profunde excisus, ad latera punctulatus, macula ovata in disco et margine laterali late flavo-brunneis. Scutellum nigrum. Elytra thorace paene duplo latiora, valde convexa, ruguloso-punctata, aeneo-viridia: fasciis duabus mediis undatis, macula in singulo juxta scutellum alteraque ad apicem aurantiacis. Epipleura antice flava, postice aeneo-coerulea. Subtus brunneo-testacea, nitidula. Processus mesosternalis valde grandis. Antennae fuscae, articulo primo flavo. Pedes brunneo flavi.

Tab. XXI. f. 10. DORYPHORA ANASTOMOZANS. † Testacea, capite et thorace postice aeneis; elytris pallidis: sutura, macula antica majore posticaque minore aeneis. Lg. $3\frac{2}{3}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Provinc. Bahiensi.

Suborbicularis, convexiuscula, glabra. Caput testaceum, vertice aeneo. Thorax testaceus, macula magna postice aenea, antice emarginata. Scutellum aeneum. Elytra corpore reliquo pallidiora, subtiliter punctulata, sutura ad medium aenea: singulum macula anteriore magna oblonga postice oblique truncata, minore postica lanceolata margineque extremo aeneis. Subtus rufescenti-testacea. Antennae fuscae, ad basin flavae. Pedes rufescenti-testacei.

Tab. XIX. f. 11. DORYPHORA QUATUORDECIM-OCULATA. † Subtus rufo-testacea; elytris rufo-cinnamominis, ocellis quatuordecim flavis, nigro-cinctis. Lg. $4\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $3\frac{1}{4}'''$.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Orbicularis, valde convexa. Caput rufum, punctulatum, oculis fuscis. Thorax rufus, laevigatus, antice profunde excisus, marginulatus. Scutellum nitidum. Elytra cinnamomino-rufa:

singulum maculis septem subrotundis flavis, nigro-cinctis. Antennae nigrae, ad basin rufae. Pedes rufi.

DORYPHORA PHALERATA. † Nigra, elytris pallidis, sutura postice et fasciis duabus retrorsum curvatis nigris. Lg. 5⅔'''. Lat. hum. 3⅔'''. Tab. XXI. f. 12.

Habitat in Serra do Caraça, Provinc. Minarum.

Caput, thorax et scutellum nigra, laevia. Thorax transversus, marginulatus, antice profunde excisus. Elytra pallide testacea, geminato-punctulata, sutura in dimidio postico, fascia antica parum curvata et postica fere semicirculari, marginem exteriorem non attingentibus nigris. Subtus atra, nitidula. Antennae nigrae. Pedes nigri, tarsis subtus flavescenti-pulvinatis.

DORYPHORA CHELONE. † Orbicularis, nigra, glabra; elytris brunneo-flavis, piceo-reticulatis, antice inordinate punctulatis. Lg. 5½'''. Lat. hum. 3⅔'''. Tab. XXI. f. 13.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput nigrum, glabrum, opacum. Thorax brevis, niger, opacus, laevis, puncto utrinque impresso. Scutellum piceum, politum. Elytra nitida, brunneo-flava, piceo-reticulata, reticuli maculis subrotundis; antice inordinate seriatim punctulata, punctis postice obsoletis. Subtus cum antennis pedibusque coerulescenti-nigra.

A D. reticulata (Erotylo reticulato Fabr.) haec species praeter magnitudinem minus insignem elytris aliter coloratis reticulique maculis subrotundis non subquadratis differt.

CHRYSOMELA DECORATA. † Globosa, ferruginea; elytris flavis, maculis nigris, in fascias tres dispositis. Lg. 5'''. Lat. hum. 4'''. Tab. XXI. f. 14.

Habitat in montibus Prov. Minarum, ad St. Joao d'El Rey.

Species elegans, haemisphaerica. Caput glabrum, ferrugineum. Thorax elytris parum angustior, lateribus rotundatis; ferrugineus, glaber. Elytra valde convexa, flava, sutura et margine externo ferrugineis, maculis nigris, quasi fascias tres interruptas ostendentibus; sub lente geminato-punctulata. Subtus cum antennis pedibusque ferruginea.

CHRYSOMELA VENUSTISSIMA. † Violacea, elytrorum margine antico undulato et macula postica dentata flavis. Lg. 4¾'''. Lat. hum. 3⅓'''. Tab. XXI. f. 15.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Suborbicularis, convexa, glabra. Caput et thorax nigro-coerulea. Frons puncto impresso. Thorax transversus, subtilissime punctulatus, lineola ad marginem anticum impressa. Scutellum nigrum, laevigatum. Elytra nitida violacea, ad basin, humeris exceptis flava, flavedine dentata; singulum macula postica magna, dentata, flava; sub lente irregulariter geminatim punctulata. Subtus violacea. Antennae fuscae. Labium superius brunescens. Pedes violacei.

Tab. XIX. f. 16. CHRYSOMELA LEUCOMELAENA. † Ovata, glabra; supra flavescenti-albida; capite et thorace postice nigris; elytris sutura, striis et punctis nigris. Lg. $4\frac{2}{3}'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput nigrum, breve, inaequale, punctulatum. Thorax duplo latior, quam longus, glaberrimus, flavo-albus, macula postica magna nigra, antrorsum emarginata, sub lente punctulata. Scutellum nigrum politum. Elytra flavescenti-alba, glaberrima; singulum macula infra humerum, striis duabus ad medium, macula parva marginali postica, sutura antice posticeque dilatata, nec apicem vero nec basin attingente, nigris. Subtus nigra. Antennae capitis thoracisque longitudine, nigrae, ad basin pallidiores. Pedes nigri, tarsis subtus ochraceo-tomentosis.

Tab. XXII. f. 1. GALLERUCA XANTHOPUS. † Capite thoraceque ferrugineis; elytris striatis, coeruleo-nigris, ferrugineo-marginatis; antennis pedibusque flavis. Lg. $3\frac{1}{3}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput ferrugineum, oculis prominulis, fuscis, trophis flavis. Thorax elytris multo angustior, subquadratus, ferrugineus, sulco transverso impresso. Scutellum parvulum, trigonum, ferrugineum. Elytra postice dilatata, apice rotundato, marginulo laterali reflexo; costulata, interstitiis crenato-punctatis; nigro-coerulea, margine laterali et postico ferrugineo. Subtus sordide flava. Pedes tenuiusculi, elongatuli, testacei. Antennae utriusque sexus corporis longitudine, testaceae: maris artic. 3° dilatato, emarginato, intus dentato, 4° obtrigono, postice emarginato, reliquis filiformibus; feminae filiformes. Pedes tenuiusculi, elongatuli, testacei.

Observatio. Haec species, et aliae etiam indescriptae, (sicuti G. leucogramma, impressicollis, lucida, aeneipennis, xanthogramma mihi in museo monacensi) praeter antennarum structuram in maribus diversam a congeneribus etiam habitu differunt, et propriam saltem familiam Gallerucae constituunt.

Tab. XXII. f. 2. GALLERUCA AUGUSTA. † Ferruginea, elytris coeruleis fascia media, apice et margine ferrugineis. Lg. $6'''$. Lat. hum. $2\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Inter majores. Caput impressione triplici frontali. Thorax elytris satis angustior, punctulatus, marginulatus, impressione utrinque transversali, margine laterali denticulis aliquot. Scutellum ferrugineum, minutum. Elytra laete coerulea, nitida, dense punctulata, plica humerali, regione apicali irregulariter sulcata; fascia media, macula apicali et margine laterali reflexo angusto rufo-ferrugineis. Subtus sordide ferruginea. Antennae corpore parum breviores, tenues, pilosulae, fuscae, ad basin ferrugineae. Femora ferruginea, tibiae et tarsi nigricantes.

CHARIESSA PERTY.

(CYCLICA: GALLERUCITAE).

CHARACTER ESSENTIALIS.

ANTENNAE 11-articulatae, articulis tribus ultimis maximis, 9° et 10° furcatis. MAXILLAE porrectae, exsertae.

CHARACTER NATURALIS.

ANTENNAE corpore multo breviores, 11-articulatae: art. 1° subclavato, curvato, 2° brevi, sequentibus filiformibus, sensim brevioribus, ultimis tribus maximis: 9° et 10° furcatis, ramo furcae interno quam externus multo majore, ultimo elongato-ovato, compresso. LABIUM SUPERIUS transversum, brevissimum, antice truncatum, vix emarginatum. MANDIBULAE validae, corneae, decussatae. MAXILLAE exsertae: lobo interno minuto, trigono, acuminato; externo multo majore obovato, antice ciliato. PALPI omnes articulo ultimo magno, securiformi. CAPUT thorace parum angustius, deorsum flexum. OCULI parum prominuli, antice profunde emarginati. THORAX elytrorum basi vix angustius, modice convexus, ad latera rotundatus. SCUTELLUM valde minutum. ELYTRA pone basin sensim angustiora, ad apicem latissima rotundata, ad dorsum parum convexa, epipleuris nullis. PEDES quoad longitudinem et validitatem medii, mutici, tarsorum articulis tertio et quarto trigonis: unguiculis ultimi muticis, coxis posticis subexsertis. ALAE completae.

Genus statura elegante, quod antennarum forma, clypeo porrecto maxillisque exsertis facile distinguitur. Nomen genericum a verbo χαρίεις, amoenus, elegans.

CHARIESSA RAMICORNIS. † Subtus ferruginea, supra coerulea, elytrorum fasciis duabus flavis. Lg. 5⅔'''. Lat. hum. 2'''. Tab. XXII. f. 3.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput coeruleum, punctulatum, pubescens, oculis nigris, mandibulis piceis, trophis reliquis fulvis. Thorax coeruleus, albido-pubescens, sub lente punctulatus. Scutellum nigrum. Elytra subtiliter punctato-rugulosa, coerulea, pubescentia, fascia basali et media pallido-flavis. Subtus cum pedibus rufo-ferruginea, capite et antepectore nigricantibus. Antennae nigrae, ad basin fulvae. Alae nigrae.

OEDIONYCHUS SERICEUS. † Testaceo-pallidus; elytris obscuris, maculis sex pallidis. Lg. 3'''. Lat. hum. 1⅓'''. Tab. XXII. f. 4.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput fronte, labio superiore palpisque testaceis, mandibulis et vertice nigris. Thorax testaceus, subtilissime pubescens et punctulatus, antrorsum paullum angustatus. Scutellum fuscum.

Elytra fusco-brunnescentia, tenuiter holosericea, maculis in quovis tribus pallidis, quarum una scutellaris; sub lente longitudinaliter punctata. Subtus sordide testaceus. Mesostethium linea impressa. Antennae corpore parum breviores, flavicantes, pilosulae, articulis mediis obscurioribus. Pedes anteriores testacei, tibiis tarsisque fusculis. Pedes postici femoribus pubescentibus, testaceis, apice nigro; tibiis brunescentibus, tarsorum articulo vesiculoso brunneo.

Tab. XXII. f. 5. OEDIONYCHUS LEPTOCEPHALUS. † Thorace sordide ferrugineo, flavido-farinoso; elytris violaceo-nigris: sutura, fascia media et apice flavescenti-farinosis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Statura satis elongata. Caput nigricans, ore protracto angusto ferrugineo. Thorax elytris multo angustior, parum convexus, marginulo laterali reflexo; ferrugineus, flavescenti-farinosus, seu potius tomento e pilis minutissimis obsitus. Scutellum flavido-farinosum. Elytra nigro-violacea, sutura, fascia lata media et regione apicali flavido-farinosis, humeris ferrugineis. Subtus ferrugineus; grisescenti-pilosulus. Antennae corporis dimidio parum longiores, nigricantes, ad basin ferrugineae. Femora ferruginea, postica crassissima; tibiae et tarsi nigricantes; postici articulo unguiculari maximo, inflato, piceo.

Tab. XXII. f. 6. OEDIONYCHUS VIRIDIS. Subtus et femoribus posticis flavus, supra pallide viridis; elytris punctato-striatis. Lg. $2\frac{1}{2}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{4}'''$.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Habitu Lemis affinis. Caput viride, linea utrinque flava, oculis fuscis. Thorax viridis, elytris paene duplo angustior, vitta utrinque flavicante. Scutellum flavicans. Elytra pallide viridia, subparallela, insigniter punctato-striata, ad dorsum deplanata. Subtus cum ore flavus. Mesosthethium linea impressa. Antennae flavicantes, corporis dimidio parum longiores. Femora et tibiae anteriores virides, tarsi flavicantes. Pedes postici femoribus flavis, articulo tarsi ultimo valde inflato unguiculisque minutissimis brunneis.

Tab. XXII. f. 7. OEDIONYCHUS PORCULUS. † Politus; capite, thorace et elytris antice badiis: his postice atris. Lg. $3\frac{1}{4}'''$. Lat. hum. $1\frac{1}{3}'''$ vix.

Habitat ad flumen Rio negro dictum.

Caput breve, latiusculum, badium, oculis nigris. Thorax transversus, badius, angulis omnibus subacutis, puncto utrinque ad discum impresso. Scutellum badium, laevigatum. Elytra thorace latiora, polita, antice clare badia, sub lente longitudinaliter punctata, postice aterrima, laevia. Subtus flavo-badius, nitidus. Antennae ad basin valde approximatae, corporis dimidio parum longiores, flavo-badii. Pedes flavo-badii, articulo tarsorum posticorum ultimo inflato obscuriore.

Tab. XXII. f. 8. EROTYLUS INCOMPARABILIS. † Ovalis, gibbus, niger; elytris coccineis, ad basin nigris flavo-punctatis, postice nigro-undulatis. Lg. $8'''$. Lat. hum. $3\frac{3}{4}'''$.

Habitat ad Amazonum flumen.

Familiae primae celeb. Duponchel adscribendus, species ovatas, pedibus plus minusve elongatis continenti. Caput laevigatum, inter oculos impressum. Thorax laevis, foveolis passim impressis, antice valde angustatus, profunde emarginatus. Scutellum nigrum, laeve. Elytra gibbosa, profunde punctata, coccinea, ad basin late nigra, punctis in singulo tribus flavis, quorum unum marginale; pone medium fasciis undatis interruptis, macula communi suturali et apice nigris. Subtus niger, epipleuris coccineis, ad basin nigris. Antennae capite thoraceque parum longiores, nigrae. Pedes nigri, tarsis subtus fusco-tomentosis.

EROTYLUS PRETIOSUS. † Ovalis, gibbus, niger, nitidus, punctatus; elytris fascia latissima coccinea, medio flava: punctis sex nigris. Lg. 7½‴. Lat. hum. 3⅓‴. Tab. XXII. f. 9.

Habitat ad flumen Rio negro dictum.

Praecedente paullo minor, etiamque familiae primae adscribendus. Caput nigrum, impressionibus duabus inter oculos. Thorax niger, antrorsum angustatus, antice profunde emarginatus, postice in medio lobatus; profunde punctatus, punctis discoidalibus regulariter dispositis. Scutellum nigrum. Elytra gibbosa, profunde punctata, punctis in parte gibbosa paullum obsoletioribus; nigra, fascia latissima basin ad humeros attingente coccinea, medio flava, et parte flava in elytro singulo punctis tribus nigris. Subtus aterrimus, nitidulus, epipleuris coccineis, versus apicem nigris. Antennae capitis thoracisque longitudine, nigrae. Pedes nigri, tarsis subtus fusco-tomentosis.

COLEOPTERA TRIMERA.

FAMILIA: FUNGICOLAE.

ENDOMYCHUS PICTUS. † Brunneus; thorace punctis quatuor nigris; elytris ad basin et apicem flavo-variegatis. Lg. 2‴. Lat. hum. 1‴. Tab. XXII. f. 11.

Habitat ad flumen Rio negro dictum.

Nitidus, totus subtilissime pubescens. Caput brunneum, oculis nigris. Thorax transversus, elytris parum angustior, antice profunde emarginatus, angulis omnibus acutis; brunneus, antice pallidior, punctis quatuor nigris transversim positis; sub lente subtiliter punctulatus, ad angulos posticos parum impressus. Scutellum parvulum, laeve, brunneum. Elytra thorace paene triplo longiora, ad medium paullum latiora; modice convexa, brunnea: antice posticeque flava, maculis brunneis variegata, sub lente tota subtiliter rugoso-punctulata. Subtus brunneus, pedibus paullo pallidioribus. Antennae corpore circiter duplo breviores, flavo-brunneae, articulis tribus ultimis fuscis, satis dilatatis, quare Coleopteron hoc ad genus, non ad Lycoperdinam revocandum est.

STENOTARSUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae versus apicem articulis incrassatis, ultimis tribus dilatatis. Tarsi angusti. Corpus latiusculum, convexum, pubescens.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae corpore paene duplo breviores, 11-articulatae: artic. quinque primis filiformibus, (tertio longitudine quarti) sequentibus tribus paullo crassioribus, 9° et 10° dilatatis, ultimo obovato, majusculo. Caput minutum, Labio superiore porrecto paullo rostratum. Palpi filiformes, breves, articulo ultimo subacuminato. Thorax valde brevis, transversus. Scutellum trigonum. Elytra thorace latiora, convexiuscula, ad medium dilatata. Pedes breves, Tarsorum articulis angustis, 2° bilobo, unguiculis muticis. Alatus, Alis completis.

Nomen genericum e verbis *στενὸς*, angustus, tenuis, *ταρσὸς* tarsus.

Genus inter omnia Endomycho proximum, notis vero indicatis non minus quam etiam habitu diversum. Species tres aut quatuor huc referendae corpus offerunt pubescens, latiusculum, convexiusculum, in medio dilatatum, brunneo- aut badio-unicolorum.

Tab. XXII. f. 12. STENOTARSUS BREVICOLLIS. † Brevi-ovatus, totus brunneus, pubescens; antennis ad apicem fuscis; thorace brevissimo, antrorsum angustato, postice utrinque impresso, linea utrinque margini laterali parallela incisa. Lg. 2½‴. Lat. hum. 1⅓‴.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Caput minutum, laeve, impressione utrinque infra oculos. Thorax elytris saltem triplo brevior, nitidulus, antrorsum angustatus, antice profunde excisus, postice utrinque impressione magna, linea utrinque infra marginem lateralem incisa. Scutellum laeve. Elytra nitidula, thorace satis latiora, ad medium latissima, marginulo laterali reflexo, impressione utrinque infra humerum. Subtus cum pedibus concolor. Antennae articulis primis badiis, ultimis sex fuscis.

FAMILIA: APHIDIPHAGI.

Tab. XXII. f. 13. COCCINELLA VIOLACEA. † Subtus ferruginea, supra nigro-violacea, nitida; thoracis lateribus elytrorumque apice griseis. Lg. 3‴. Lat. hum. 1⅔‴.

Habitat ad flumen Rio negro dictum.

Caput aeneum, griseo-pilosum, oculis nigris. Thorax transversus, planus, lateribus griseopilosis, marginulo extremo laterali dilatato, acuto, ferrugineo. Scutellum nigrum. Elytra nigroviolacea, ad basin impressa, humeris elevatis, lateribus praesertim antice et apice griseo-pilosis; sub lente tota ruguloso-punctulata. Subtus cum pedibus rufo-ferruginea. Antennae rufo-ferrugineae, ad apicem obscuriores.

SUPPLEMENTUM AD COLEOPTERA.

DYSIDES Perty.

(FAMILIA: PTINIORES?)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae 9-articulatae, articulis tribus ultimis dilatatis. Oculi magni, semiglobosi. Tarsi filiformes. Corpus elongatum, parallelum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque breviores, 9-articulatae: artic. 1° elongato, subcylindrico, 2° sequentibus majore, 3° 4° 5° 6° minimis, arcte distinguendis, tribus ultimis magnis, dilatatis, compressis. Mandibulae breves, corneae. Palpi fere aequales, articulo apicali reliquis parum crassiore. Oculi valde magni semiglobosi, prominuli. Caput thorace angustius. Thorax inaequalis, antice angustatus, postice elytrorum latitudine. Scutellum parvulum, subquadratum. Elytra parallela, thorace paene triplo longiora, ad apicem mutica. Pedes quoad longitudinem et validitatem medii, mutici; antici ad basin valde approximati. Sterna omnino non exserta. Alatus, alis completis.

Nomen genericum a verbo δυσειδής, deformis.

De familia hujus generis adhuc dubito, cum animalculum notis nonnullis a Ptinioribus (illius sectionis, quae genera articulis tribus ultimis dilatatis comprehendit, nam altera antennis filiformibus notis differt adhuc majoris momenti) recedit, et Cleris affine videtur, quare in termino quasi utriusque familiae situm est. Speciei tantum unius exemplum unicum vidi.

DYSIDES OBSCURUS. † Fuscus; capite et thorace inaequalibus cinerascentibus; antennis flavis, ad basin fuscis. Lg. 4⅔‴. Lat. hum. 1⅔‴. Tab. XXII. f. 14.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Caput fuscum, cinerascenti-pilosulum. Thorax inaequalis, ad marginem tuberculis aliquot, in medio duobus; fuscus, cinerascenti-pilosulus. Scutellum fuscum. Elytra fusco-brunnea, lineis duabus elevatis, obsoletis; sub lente subtiliter rugosula. Subtus cum pedibus fuscus. Antennae fuscae, articulis tribus ultimis flavis.

ISONOTUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae moniliformes. Mandibulae breves validae. Corpus elongatum, parallelum, depressum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque vix longiores, 11-articulatae, articulis subaequalibus, obconico-subglobosis. Labium superius brevissimum, bifidum. Clypeus nullus. Mandibulae breves, corneae, validae. Palpi brevissimi. Maxillae totae occultae. Caput thoracis latitudine, paullo brevius, inaequale. Thorax elytris parum angustius, postice paullum angustatus, angulis omnibus subacutis. Scutellum minutum, semirotundum. Elytra thorace saltem duplo longiora, parallela, plana, ad apicem mutica. Pedes omnes parum elongati, satis validi, tibiis ad apicem latioribus, acute bimucronatis, tarsis omnibus distincte quinque-articulatis, articulis versus apicem sensim minoribus, unguiculis intus muticis. Corpus totum elongatum, paene lineare, valde depressum, glabrum, badium aut brunneum, unicolor.

Nomen genericum e verbis: ἴσος, aequalis, planus, νῶτος, dorsum.

Observatio. Inter Pentamera nulla Familia existit, cui hoc Coleopteron inseri posset, quamvis affinitas aliqua cum genere Ips adest. Affinitas vero summa apparet inter Tetramera cum Platysomatibus, et praesertim Cucujis Fabr. quare suppono, species aliquot hujus generis (forsan C. rufus, oblongus Fabr.) ad Isonotum revocandas esse. Praeter speciem Isonoti hic descriptam alteram vidi valde minutam, etiam Brasiliae incolam. Genus Tribolium Mac Leay, in Colydium castaneum Hbst. (Trogosita ferruginea? Fabr.) fundatum mihi non visum forma forsan affinis, sed antennarum structura et thorace transverso generice differt. Sine dubio Isonoti quoad habitationem et victum Cucujis valde similes sunt.

Tab. XXII. f. 15. ISONOTUS CASTANEUS. Fusco-badius; capite inaequali; thorace ad medium sulcato; elytris striatis. Lg. 7'''. Lat. hum. 1¾'''. Occurrit valde minor.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput glabrum, linea media et utrinque externa, impressionibus duabus frontalibus, et sulco verticali profundo. Thorax capite parum longior, retrorsum angustatus, angulis omnibus subacutis; ad discum impressus, insignius punctulatus. Scutellum punctis aliquot impressis. Elytra glabra, profunde secundum longitudinem striata, seu potius sulcata. Subtus cum pedibus nitidulus, fusco-badius, mesostethio sulco medio profundo, tibiis tarsisque nigricantibus. Antennae nigricantes.

ARTEMATOPUS Perty.

(PENTAMERA: PTINIORES?).

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes, corporis longitudine. Tarsi artic. 2° 3° 4° appendiculis membranaceis muniti. Corpus ovatum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae filiformes, 11-articulatae, articulis subaequalibus: 1° crassiusculo, 2° et 3° minutissimis, reliquis tenuibus elongatis aequalibus. Mandibulae corneae, decussatae, paene totae sub clypeo occultae. Palpi filiformes; maxillares articulo ultimo subcrassiore, labiales cylindrico. Oculi parum prominuli, e parte sub thorace reconditi. Caput thorace angustius, et ei ultra oculos insertum. Thorax transversus, elytris fere triplo brevior. Scutellum minutum, trigonum. Elytra ovata, convexiuscula, ad apicem mutica. Pedes tenuiusculi, quoad longitudinem medii, femoribus et tibiis compressis, tarsis distincte 5-articulatis; artic. 2° 3° 4° appendiculis membranaceis, bilobis muniti: illo art. quarti majore, duplici. Unguiculi mutici. Prosternum apparens, e lateribus compressum. Pedes anteriores valde approximati in cavum e prothorace et medipctore efformatum replicandi. Corpus totum minutum, ovatum, pubescens. Alatus, alis completis.

Nomen genericum e verbis ἄρτημα, appendix, πούς pes.

Observatio. Vix alii Pentamerorum familiae hoc coleopteron adscribi potest, nisi Ptiniorum illi sectioni, quae antennas offert filiformes. Sane habitus et prosterni structura paullum differunt, sicuti generaliter apparet, familias naturales adhuc plures creandas esse.

ARTEMATOPUS LONGICORNIS. Brunneus, pubescens, elytris striatis, fusco-badioque variis. Lg. 2''' vix. Lat. hum. 1'''. Tab. XXII. f. 16.

Habitat in Brasilia aequatoriali?

Totus pubescens. Caput fusco-brunneum, punctulatum, fronte impressa. Thorax fusco-brunneus, subtilissime punctulatus. Scutellum fuscum. Elytra fusca, passim badio-varia, longitudinaliter striata. Subtus brunneo-fuscus, abdomine dilutiore. Antennae fuscae. Pedes brunnei, pilosuli.

SPHENISCUS COMTUS. † Capite thoraceque ferrugineis, elytris coeruleis, humeris et apice rufis. Lg. 3⅓'''. Lat. hum. 1¾'''. Tab. XXII. f. 10.

Eumorphus comtus Tab. nostr.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Habitu et statura Eumorphi speciebus nonnullis valde similis. Caput ferrugineum, subtiliter rugulosum, clypeo impresso. Thorax ferrugineus, subtiliter rugulosus, dente utrinque laterali obtuso. Scutellum ferrugineum. Elytra laete coerulea, parum nitida, humeris et margine apicali rufis; sub lente tenuiter et remote striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis. Subtus nigricans, pectore ferrugineo. Antennae nigrae, articulo ultimo ad apicem ferrugineo. Pedes ferruginei, geniculis et tibiis ad basin nigris.

ORTHOPTERA.

FAMILIA: BLATTARIAE.

Tab. XXIII. f. 1. BLATTA COMPLANATA. † Corpore valde depresso; thorace fusco-brunneo, margine antico et laterali maculisque duabus posticis testaceis; hemelytris dimidio antico brunneo, dimidio postico membranaceo et margine laterali albidis. Lg. 10‴ vix. Lat. hum. 3‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Blattis genuinis celeb. Serville adscribenda. Corpus totum valde depressum, glabrum, nitidulum. Caput testaceum, fronte rotundata, fuscescente. Thorax ad latera rotundatus, postice recta truncatus; inaequalis, nitidulus, ad discum fusco-brunneus, maculis duabus posticis et margine antico et laterali testaceis, pellucidis. Hemelytra thorace latiora, decussata, dimidio obliquo (externo) antico brunneo, corneo-membranaceo, dimidio postico membranaceo reticulato et margine laterali depresso albido-hyalinis. Linea arcuata ad elytrorum basin satis obsoleta. Subtus brunnea. Palpi et pedes testacei. Antennae corpore breviores, glabrae, brunneae.

Tab. XXIII. f. 2. BLATTA SEX-NOTATA Thunbg. Livida, hemelytris linea humerali et maculis tribus atris.

Thunberg, Memoir. de l'Acad. d. St. Petersb. tom. X. p. 276.

Bl. macularia Tab. nostr.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Blatta genuina.

Tab. XXIII. f. 3. PHORASPIS LEUCOGRAMMA. † Thorace albido, pellucido, ad discum rubro, linea media nigra; hemelytris fusco-brunneis, stria testacea abbreviata in quovis. Lg. 8½. Lat. hum. 3⅓‴ med. 6‴.

Blatta leucogramma Tab. nostr.

Habitat in Bras. aequatoriali.

Statura omnino Bl. pictae Fabr. Caput totum sub thorace reconditum, nigrum, macula interoculari fulva. Thorax albidus, pellucidus, in medio elevatus, ad latera deflexus, dis-

co postice rubro, linea media nigra. Elytra ad basin thorace latiora, ad medium latissima, disco gibbo; subtiliter alutacea, glabra, nitidula, fusco-brunnea, stria juxta marginem a basi usque ad medium vivide testacea, punctis multis versus apicem nigricantibus. Linea arcuata omnino non visibilis. Alae fuscae, pellucidae. Subtus nigra, nitida, ano flavo, macula in segmento anali ferruginea. Antennae et pedes picei. Stria elytrorum pallida subtus valde vivida apparet. Appendicula articulata utrinque ad anum.

PSEUDOMOPS LATICORNIS. † Thorace antice ferrugineo, postice nigricante, marginulo postico testaceo; elytris fuscis, margine laterali antice testaceo. Lg. 6'''. Lat. hum. $1\frac{2}{3}$'''. Tab. XXIII. f. 4.

Blatta laticornis Tab. nostr.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput nigrum, oculis magnis prominulis rufescentibus. Thorax politus, glaber, antice angustior, postice latior, margine postico rotundato; ferrugineus, postice nigricans, marginulo omni, praesertim vero postico testaceo. Hemelytra nitidula fusca, apicem versus dilutiora, margine laterali antice testaceo, linea arcuata ad basin obsoleta; sicuti alae fuscae, pellucidae, corpore multo longiora. Subtus fuscus, segmentis abdominalibus ad apicem pallidis. Antennae fere corporis longitudine, atrae, dimidio basali piloso medium versus crassiore, dein articulis abrupte tenuibus testaceis, articulis ultimis fuscis. Pedes picei, coxis ad apicem pallidis. Appendiculae ad anum nullae conspiciuntur.

Nota. Species hujus generis antennarum forma et habitu memorabilis, sicuti multa alia Orthopterorum ordinis a celeb. Lepelletier introducti (Annal. d. scienc. natur. tom. XXII. pag. 28 seqq.) hucusque tantum una cognita fuit, Bl. oblongata Lin. Fabr.

FAMILIA: MANTIDES.

MANTIS CONCINNA. † Capite, thorace, hemelytris et pedibus viridibus; alis antice ferrugineis, postice fuscis albo-reticulatis. Lg. 9'''. Lat. alar. expans. $13\frac{1}{2}$'''. Tab. XXIII. f. 5.

Habitat ad flumen Rio negro dictum.

Mantis genuina, et M. musarum Pal. d. Beauv. adhuc minor. Caput majusculum, glabrum, oculis valde prominulis, trophis flavescentibus. Thorax ad latera vix dilatatus, in medio ad longitudinem elevatus. Hemelytra infra costam mediam paullum involuta. Alae antice rufo-ferrugineae, postice fuscae, nitdulae, albo-reticulatae, apice extremo hyalino. Dorsum abdominis fusco-viride. Subtus cum pedibus et antennis viridula, abdomine breviusculo, ad apicem valde dilatato.

MANTIS HYALOPTERA. † Capite, thorace et pedibus viridibus; hemelytris antice viridibus, macula ocellari fusca, postice hyalinis; alis hyalinis, virescenti-maculatis; abdomine brunneo. Lg. 2'''. Lat. hum. 3'''. Tab. XXIII. f. 6.

Habitat ad flumen Amazonum.

Mantis genuina, et affinis M. domingensi Palis. de Beauv. Caput viride. Thorax viridis, valde elongatus, antice parum dilatatus et ad medium carinatus. Postpectus et abdomen fusco-brunnea. Hemelytra antice viridia, macula media ocellari inusta, in peripheria fusca, in centro diaphana; postice hyalina, maculis aliquot parvis viridibus. Alae hyalinae, praesertim antice maculis parvis viridibus, margine antico ad apicem flavicante. Subtus viridula, pectore et abdomine parum dilatato fusco-brunneis. Pedes antici virides, posteriores ferrugineo-virides. Antennae virides.

FAMILIA: GRYLLIDES.

Tab. XXIII. f. 7.

GRYLLOTALPA OXYDACTYLA. † Sordide brunneo-testacea, passim nigricans; tibiis, sicuti tarsis anticis bidentatis, dentibus maximis longis attenuatis, ad apicem nigris; hemelytris alis dimidio brevioribus. Lg. 20‴. Lat. thor. med. 5‴ vix.

Habitat in mediterraneis Prov. Minarum.

Magnitudine G. vulgaris, paullum vero longior. Caput testaceum, oculis fuscis, vertice nigricante, fronte elevata; ocellis posticis non rotundis, sed transversis, oblique positis, antici tantum vestigio obsoleto. Thorax sordide brunneo-testaceus, passim infuscatus, linea media (in G. vulgari elevata) vix ac ne vix quidem visibili. Hemelytra alis dimidio breviora, fere ad anum pertingentia, pallida, et quoad reticuli structuram ab illis G. vulgaris satis diversa. Alae brunnescenti-pallidae. Subtus sordide testacea, abdomine infuscato, mesosterno prominente brevi. Appendices ani styliformes thorace breviores, testaceae, pilosulae. Antennae capitis thoracisque longitudine, sordide testaceae. Pedes testacei; coxae anticae ad apicem intus biemarginatae, trochanteribus (qui in femoris cavum replicari possunt) quam in G. vulgari majoribus, tenuioribus, ciliatis; tibiae et tarsi minus validi, quam in G. vulgari, dentibus valde elongatis, acutis, extrorsum curvatis; tibiis et tarsis dentes duo, illis majores; tarsorum unguiculi satis elongati. Pedes postici, praesertim eorum tibiae et tarsi satis longiores, quam in G. vulgari.

Tab. XXIII. f. 8.

GRYLLOTALPA TETRADACTYLA. † Sordide testacea; thorace supra et abdomine paullum infuscatis; tibiis anticis sicuti tarsis bidentatis, dentibus validis, modice longis et acutis; hemelytris alis dimidio brevioribus. Lg. 13‴. Lat. thor. med. 3⅓‴.

Habitat in mediterraneis Prov. Minarum.

Praecedente multo minor, sed ejusdem statura. Caput sordide testaceum, ad verticem infuscatum, fronte elevata. Ocelli postici subrotundi, anticum plane obliteratum. Thorax tenuissime tomentosus, ad dorsum infuscatus, linea media pallidiore valde obsoleta, lateribus testaceis. Hemelytra pallida, alis dimidio breviora, fere ad anum pertingentia. Subtus sordide testacea, abdomine nigricante, sericeo-nitido. Mesosternum tuberculo parvo parum exserto simile. Appendices ani thorace breviores, fusco-testaceae. Antennae fere capitis thoracisque longitudine, sordide testaceae. Pedes anteriores testacei, postici testaceo-grisei; antici trochanteribus valde magnis, tenuius-

culis, compressis, ad apicem paene truncatis, subtus ciliatis: tibiae sicuti tarsi bidentatae, dentibus extus planis, intus carina media elevata, validis, quoad longitudinem et acumen mediis, ad apicem nigricantibus. Tarsi unguiculis modice longis.

An G. didactyla Latr. huc referenda?

GRYLLOTALPA HEXADACTYLA. † Sordide testacea; tibiis anticis quadridentatis, tarsis bidentatis; hemelytris quam alae paene duplo brevioribus, alis corpore parum longioribus. Lg. 11½‴. Lat. hum. 3‴ vix. Tab. XXIII. f. 9.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Praecedente satis minor. Caput fuscescenti-testaceum, fronte parum elevata. Ocelli postici subrotundi, anticum plane obliteratum. Thorax tenuissime tomentosus, grisescenti-testaceus. Hemelytra pallida, alis duplo breviora. Alae flavicanti-pallidae, corpore parum longiores. Subtus cum pedibus testacea. Mesosternum prominulum. Appendiculae anales fuscescenti-testaceae. Antennae capite thoraceque parum breviores, fusco-testaceae. Pedes antici trochanteribus brevibus obtusis, tibiis brevioribus, quadridentatis; dentibus ad apicem nigricantibus, validis, satis acutis, extrorsum curvatis, extus subconcavis, intus carina elevata. Tarsorum unguiculi breviusculi.

CERBERODON Perty.

(SALTATORIA: GRYLLIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Mandibulae maximae, inaequales: sinistra longior quam dextra, apice in hamum sursum curvatum producto. Pedes omnes spinosi; tibiae anticae utrinque spinis longioribus munitae.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae corpore dimidio longiores, setaceae, ad basin valde approximatae. Labium superius grande, ovatum, planum, ad basin angustius. Mandibulae maximae, exsertae, corneae, inaequales: dextra verticalis, vix ac ne vix quidem sursum curvata, planiuscula, ad basin latissima, intus dentata; sinistra major, in hamum grandem sursum et antice curvatum producta. Maxillae membranaceae, stipite extus anguloso, mala angusta, secundum totam longitudinem bipartita. Labium inferius praelongum, angustum, ad apicem dilatatum, rotundatum. Palpi filiformes: maxillares labialibus saltem duplo longiores, extus ad stipitis apicem inserti, 5-articulati: art. 1° brevissimo, 2° sequentibus breviore, reliquis quoad longitudinem aequalibus, ultimo apice vix incrassato; labiales breves, triarticulati. Caput grande, crassum, thorace latius, tuberculo carinaeformi inter antennas. Oculi semiglobosi. Ocelli omnino non conspiciendi. Thorax hemelytris parum latior, antice posticeque truncatus, transverse sulcatus. Hemelytra corpore longiora, tectiformia, plaga

ad basin semicirculari, plicata. ALAE hemelytris quoad longitudinem aequales. ANTEPECTUS praesertim evolutum longitudine MEDIPECTORIS et POSTPECTORIS; omnia spinulis duabus mediis munita. ABDOMEN breviusculum, ano utrinque processu curvato munito, cum illo lateris alterius quasi forcipem efformante; segmento ultimo ventrali in laminas duas anum superantes protracto. PEDES omnes spinis muniti: ANTICI quam medii multo longiores robusti, FEMORIBUS intus excavatis, utrinque spinis munitis; TIBIIS femorum longitudine, tenuioribus, in femora replicandis, spinis longis utrinque munitis; TARSIS omnibus quadri-articulatis, articulo tertio cordato, bilobo, PLANTULA inter unguiculos nulla. COXAE ANTICAE spina antrorsum recta munitae. PEDES POSTICI saltatorii, satis elongati, FEMORIBUS modice incrassatis, TIBIIS triquetris, spinulosis.

Κέρβερος, Cerberus, *ὀδοὺς* dens.

Observatio. Genus eximium, cum nullo alio mutandum, valde memorabile. Symmetria in Insectorum structura pro lege summa statuitur, et rarissime disharmonia utriusque lateris in eorum corpore invenitur, sicuti in genere Cerberodon aliisque paucissimis. Habitus et praecipue caput valde crassum, sicuti pedum anticorum structura, (paullum iis Grylli monstrosi similibus) hoc Orthopteron ad Gryllides ponendum esse indicant; hemelytra vero non horizontalia, sed tectiformia, alis quoad longitudinem aequalia et ani armatura affinitatem cum Locustariis offerunt, quare Insectum typos duos in organisatione sua conjungens tribus Gryllidum et Locustariarum consociat. Praeter speciem hic descriptam alia in museo exstat, *C. badius* mihi, totus ferrugineo-brunneus, nitidulus, mandibula sinistra angulo recto in hamum longum curvato, thorace transversim trifurcato. Hujus speciei tantum pupam vidi.

Tab. XXIII. f. 10. CERBERODON VIRIDIS. † Viridis, mandibulis brunneis, thorace bisulcato. Lg. a fronte usque ad hemelytr. apic. 19‴. Lat. thorac. med. 4‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput virescens fronte brunnescente, scabriuscula, oculis brunneis. Thorax brunnescenti-virescens, bisulcatus, sulco antico interrupto obsoletiore, postico profundo. Hemelytra viridia, reticuli venis clarioribus. Alae virescenti-hyalinae. Subtus cum pedibus viridulus. Antennae virescentes.

FAMILIA: LOCUSTARIAE.

Tab. XXIII. f. 11. SCAPHURA FERRUGINEA. † Ferruginea; abdomine supra et femorum apice cyaneis; antennis nigris, fascia fulva. Lg. 9‴. Lat. thorac. med. 2‴, alar. expans. 20‴.

Habitat prope Sebastianopolin.

Magnitudine et fere statura Sc. Vigorsii Kby. Caput ferrugineum, vertice nigricante, trophis dilutioribus, oculis fuscis. Thorax antice depressus, postice rotundato-truncatus, margine laterali infero macula testacea. Hemelytra corpore multo, alis perpaullum longiora, brunneo-ferruginea, venis pallidioribus. Alae brunnescenti-hyalinae, costa antica ferruginea, ad apicem et postice nigricantes. Pectus maculis aliquot lateralibus flavis. Abdomen infra ferrugineum, supra atro-cyaneum, sericans, in exemplis nonnullis macula utrinque laterali fulva. Antennae corporis longitudine, ad basin ferrugineae, ad partem incrassatam nigrae, dein fascia fulva, apice longissimo, tenuissimo, fusco. Pedes ferruginei, femorum apice, tibiarum macula basilari, tarsorum articulis primis cyaneis, unguiculo rufo. Oviscaptus brevis, compressus, sursum curvatus, asper, ferrugineus. Insectum paullo variat quoad colorum dispositionem.

SCAPHURA NITIDA. † Tota polita, piceo-nigra; hemelytris et alis fuliginosis, nitidis, abdomine macula laterali testacea. Lg. 9''' sine oviscaptu. Lat. thorac. med. 1 2/3''' alar. expans. 20'''. Tab. XXIII. f. 12.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Magnitudine praecedentis. Caput piceum, labio et palpis brunneis. Thorax brevis, angustus, antice depressus, postice elevatus, impressus. Hemelytra corneo-membranacea, nigro-fuliginosa, nitida, plaga basali triangulari aspera. Alae fuliginosae. Subtus picea, abdomine nitore coerulescente, macula utrinque rufa. Antennae nigrae. Pedes picei; tibiae anticae macula basilari, et femora postica macula ante medium pallidis. Tibiae posticae longissimae. Oviscaptus longior, quam in specie praecedente, arcuatus, compressus, bilineatus, piceo-brunneus.

Observatio. Praeter Sc. Vigorsii et species duas hic descriptas in mus. Monac. quartam observavi, Sc. intermediam mihi dictam, quia notis omnibus medium tenet inter Sc. Vigorsii et ferrugineam.

FAMILIA: ACRYDITES.

TRUXALIS RUBRIPENNIS. † Thorace tri-carinato; griseo-brunnea; alis ad basin rubiginosis, margine antico brunneo-reticulato, apice et margine postico hyalinis. Lg. 1 1/2''. Lat. alar. expans. 2'' 11'''. Tab. XXIV. f. 1.

Habitat ad fluvium St. Francisci.

Truxalis genuinus, et divisioni primae celeb. Serville adscribendus, quae species thorace tricarinato amplectitur. Caput processu frontali obtuso rotundato, carinula media, faciei lineis quatuor elevatis et utrinque externa abbreviata impressa. Thorax e lateribus insigniter compressus, capite parum latior, supra carina media et utrinque laterali. Hemelytra alis longiora, griseo-brunnea, vix fusco-variegata, apicem versus pallidiora. Alae lobo antico ad basin brunneo-reticulato, lobo postico coccineo-roseo; ala tota apice et margine postico hyalino. Corpus subtus griseo-flavescens. Antennae capitis thoracisque longitudine, ensiformes, et sicuti pedes griseo-brunneae.

Tab. XXIV. f. 2. XIPHICERA ERYTHROGASTRA. † Capite, thorace et hemelytris viridulis; femoribus posticis interne sanguineis; abdomine coccineo, nigro-annulato. Lg. 20'''. Lat. hemel. expans. 3''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput griseo-viridulum, supra paullo protractum, linea media nigricante, fronte inter antennas prominente, carinata. Facies linea utrinque elevata, duabus mediis abbreviatis. Thorax capitis latitudine, asperatus, griseo-viridulus, linea media elevata. Hemelytra viridula, unicolora. Alae fuscescenti-hyalinae, fusco-reticulatae, margine antico fusco. Abdomen coccineo-cinnabarinum, segmentorum margine antico posticoque nigro. Subtus olivacea. Prosternum compressum, emarginatum. Antennae capitis thoracisque longitudine, depressae, nigrae. Pedes fusco-brunnei, femoribus posticis externe ferrugineis, interne laete sanguineis, macula apicis cinnabarinna.

MASTAX Perty.

(SALTATORIA: ACRYDITES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae apicem versus paullo crassiores. Caput valde elevatum. Oculi maximi, globosi. Abdomen non inflatum, paullo sursum curvatum. Pedes postici saltatorii. Plantula satis magna.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae ad basin valde approximatae, 11—14-articulatae, apicem versus paullum incrassatae: art. 1° et 2° quam sequentes multo majoribus, reliquis sensim ast perpaullum crassioribus, ultimo ovato, acuminato. Caput oblique valde elevatum, obtusum, carinis mediis parallelis, valde approximatis, inter oculos usque ad verticem pertingentibus, deinde evanescentibus, externis extrorsum currentibus; oculis approximatis, valde magnis, subglobosis, subtilissime lacunosis; ocellis tribus satis distinctis; superiorum (posticorum) quovis extra carinas sito, infero (antico) inter carinas. Palpi breviusculi, filiformes. Prothorax e lateribus compressus, supra planiusculus, linea media et margine laterali elevatis; muticus, margine postico in medio parum prominente. Abdomen angustum subtriquetrum, ad apicem paullo sursum curvatum, appendiculis superis (cercis) brevibus, rectis. Prosternum vix exsertum, valde obtusum, obsolete emarginatum. Mesostethium latum. Hemelytra et alae quoad longitudinem et substantiam aequalia, hyalina, pellucida, corpore paullo longiora. Pedes longiusculi, tenuiusculi; postici modice elongati, femoribus incrassatis. Femora anteriora recta, cylindrica, mutica; tibiae anteriores rectae, angulosae, parum setulosae, posticae spinarum serie duplici munitae, quarum externae multo majores sunt. Tarsi articulo 2° minimo, plantula satis magna, involuta.

Μάσταξ, id est locusta. Genus capita valde elevato, oculis maximis prominentibus, hemelytris et alis subaequalibus facile distinguendum.

MASTAX TENUIS. † Virescens, seu fuscus, facie et pedibus testaceis, elytris et alis diaphanis. Lg. 7⅓‴ usque ad hemel. apicem. Lat. thor. med. 1‴. Tab. XXIV. f. 3.

Habitat in Provinc. Piauhiensi.

Antennae ad basin pallidae, apicem versus nigricantes. Caput virescens, seu fuscum, facie tota flavida. Thorax flavo-badius, linea utrinque laterali fusca. Hemelytra et alae diaphana, nunc albida, nunc fusca. Subtus, cum pedibus, flavescens, aut fusca.

ACRYDIUM LATREILLEI. † Thorace granulis albidis obsito, carina media quadripartita; hemelytris violascentibus, pallido-flavoque variis; alis fuscis, coccineo-variegatis; tarsis sanguinolentis. Lg. 4″. Lat. hemel. expans. 8½″. Occurrit satis minor. Tab. XXIV. f. 4.

Habitat ad Amazonum flumen.

Acrydium genuinum, e maximis hujus generis et divisioni secundae celeb. Serville, species processu prosternali recto amplectenti adscribendum. Caput ferrugineo-griseum, facie aspera, vertice et genis laevibus, processu frontali valde obtuso, emarginato, oculis olivaceis, ocellis flavis. Thorax olivaceus, ubique granulis irregularibus albidis obsitus, crista media transversim quinquepartita: cristula 2ª et 3ª praesertim elevatis. Hemelytra violascentia, flavo-pallidoque varia, reticuli venis nunc flavis, nunc violaceis; ad apicem obsoletius colorata. Alae fuscae, splendide coccineo-variae, postice coccineo-undulatae, margine et apice obscurioribus. Abdomen griseo-olivaceum. Subtus brunnescenti-olivaceum. Processus prosternalis fere rectus. Antennae capite thoraceque parum longiores, nigrae. Pedes griseo-olivacei, femoribus externe et interne albido-maculatis; tarsis omnibus sanguineis, articulorum et unguiculorum apice nigris.

Vocatum in honorem celeberr. Dom. Latreille, equit. Legion honor. Instituti Gall. sod. Entomologiae hodiernae auctoris immortalis.

Species affinis videtur: in Tab. 3. e 4. fig. 1. in *Manuel Arruda da Camara memoria sobre a Cultura dos Algodoeiros* etc.

MONACHIDIUM ACROPYRINON. Capite, thorace et pedibus flavo-brunneis; hemelytris griseo-viridibus; alis fuscis, ante apicem miniatis, apice nigro. Lg. 2¼″. Lat. hemel. expans. 3½″. Tab. XXIV. f. 5.

Acrydium acropyrinon Tab. nostr.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Speciei hucusque tantum uni cognitae (M. flavipedi Serv. Annal. des scienc. natur. tom. XXII. p. 281.) duas novas adjungo. Caput vertice laeviusculo, facie planiuscula, scabra, ocellis satis

oblitteratis in uno exemplo vix conspiciendis, processu frontali vix exserto. Thorax lineis tribus cingentibus satis obsoletis, superne in cristam antice fissam, postice rotundatam, crenulatam, scabrosam elevatus. Hemelytra grisescenti-viridia; accuratius inspecta fundo fusco, reticulo viridi-flavescenti. Alae fuliginoso-fuscae, ante apicem vivide miniatae, apice extremo fusco. Abdomen flavo-brunneum. Subtus olivaceo-brunnescens. Mesosternum processu minuto, acuto. Antennae filiformes, capite thoraceque longiores. Pedes omnes flavo-brunnei, tibiis posticis spinularum brevium seriebus duabus.

Nota. Prothorax hujus speciei (colore variantis, corpore nunc testaceo, nunc flavo-brunneo,) sane ab illo M. flavipedis Serv. et speciei sequentis differt, et orthopteron quoad ejus structuram Acrydiis affine est. Sed characteres omnes majoris momenti Monachidii sunt.

Tab. XXIV. f. 6. MONACHIDIUM CRISTA FLAMMEA. † Thoracis crista miniata, margine antico et maculis pluribus nigris; hemelytris atris, flavo-maculatis: alis cyaneo-nigris; femoribus nigris: apice, tibiis et tarsis coccineis. Lg. 2'' 2'''. Lat. hemel. expans. 3'' 10'''.

Acrydium crista flammea Tab. nostrae.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput nigrum, vix viridulum, laeve, oculis et ocellis brunneis; faciei carinis satis distinctis. Thorax lineis tribus cingentibus impressis, quarum postica deorsum obsoleta; superne in cucullum maximum compressum, intus cavum, supra rotundatum elevatus, intense miniatus, margine antico et maculis aliquot posticis nigris. Hemelytra atra, vix nitidula, maculis laete flavis, interdum fere in fascias dispositis, in utroque hemelytro quoad situm et numerum diversis. Alae cyanescenti-nigrae, carbonis instar nitidulae, parum pellucidae. Abdomen politum, nitidum, atrum, segmentorum margine antico et ano coccineis. Subtus atrum, nitidum. Processus mesosternalis parvus, acutus. Antennae nigrae, ad medium coccineae. Pedes anteriores femoribus atris, eorum apice, tibiis et tarsis coccineis; postici femoribus atris, ad apicem coccineis, tibiis coccineis, in medio nigris, tarsis coccineis.

NEUROPTERA.

FAMILIA: SUBULICORNIA.

Tab. XXV. f. 1. LIBELLULA FASCIATA Fabr. Alis planis fuscis: striga alba.

Fabricius, Ent. system. tom. II. pag. 378.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

In meo exemplo alae splendide violaceae, apicem versus fusco-violaceae, apice extremo alarum anticarum albido, pellucido. Stigmata omnia pallido-fusca. Corpus totum fuscum, thoracis lateribus flavo-variegatis, abdominis linea laterali flavo-brunnea.

LIBELLULA LAIS. † Capite fusco, corpore badio crassiusculo; alis flavescenti-pellucidis, passim badio-nubilis, stigmatibus brunneis. Lg. 8⅔‴. Lat. alar. expans. 14‴. Tab. XXV. f. 2.

Habitat ad flumen S. Francisci.

E speciebus minimis, statura scita. Caput fuscum, ore et fronte sulphureis. Thorax fusco-brunneus, vix metallico-nitidulus, stria utrinque pallidiore, lateribus flavido-variegatis. Abdomen badium, subtus planiusculum, supra convexum, breviusculum, ante apicem dilatatum. Alae subaequales, ad apicem rotundatae, flavido-hyalinae, maculis nubilis badiis, fere fascias duas incompletas efformantibus; stigmatibus omnibus obscure brunneis. Subtus flavido-brunnea. Pedes obscure testacei, fusco-spinulosi.

LIBELLULA PHRYNE. † Thorace coeruleo postice caesio; abdomine fusco, brunneo-maculato, ad apicem incrassato; alis hyalinis. Lg. 10‴. Lat. alar. expans. 16⅔‴. Tab. XXV. f. 3.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

E speciebus minimis, statura gracili, exquisita. Caput naso et postnaso flavidis, fronte splendide coerulea, oculis fuscis. Thorax pilosulus, aeneo-coeruleus, postice et ad latera caesio-pruinosus. Abdomen tenue, cylindricum, ante apicem incrassatum; fusco-nigrum, maculis utrinque aliquot badiis lateralibus, et duabus in parte incrassata superis. Pectus totum caesium; postpectus aculeo munitum. Abdomen subtus fuscum, immaculatum. Alae omnes hyalinae, nitidae, stigmatibus fuscis.

AGRION FILIOLA †. Capite fusco; thorace aeneo, ad latera brunneo; abdomine sanguineo; alis hyalinis, stigmatibus testaceis. Lg. 1″. Lat. alar. expans. 15‴. Tab. XXV. f. 4.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

A. puella parum minor, tenuis. Caput brevissimum, labio testaceo. Thorax aeneus, linea longitudinali elevata et lateribus brunneis. Abdomen sanguineum. Alae omnes totae hyalinae, stigmatibus brunneo-testaceis. Pedes pallidi, sub lente nigro-spinulosi.

FAMILIA: PLANIPENNIA.

MYRMELEON ELEGANS †. Capite thoraceque flavo-badioque variis; abdomine badio, linea laterali flava; alis hyalinis, nitidissimis, brunneo-maculatis, nervis albis; antennis nigris. Lg. 16‴. Lat. alar. expans. 2¾″. Tab. XXV. f. 5.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Caput flavum, badio-varium, oculis fuscis. Thorax flavus, badio-varius. Abdomen badium, linea utrinque lata laterali flava. Alae hyalinae, nitidissimae, maculis brunneis, fere fascias inter-

ruptas efformantibus, costa margini antico parallela, nervis transversis et stigmate antico albidis. Subtus flavum, badio-variegatum. Antennae nigrae, ad basin obscure ferrugineae. Palpi flavidi; maxillares quadruplo longiores quam labiales, articulo ultimo clavato. Pedes sordide testacei, nigro-spinulosi.

HOPLOPHORA Perty.

(PLANIPENNIA: MANTISPARIAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae setaceae, corporis longitudine. Pedes antici spinosi, prehensiles, tibiis in femora replicandis. Alae subhorizontales. Appendices filiformes ad anum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae corporis longitudine, vel parum longiores, setaceae, ex articulis numerosissimis compositae. Caput breve, transversum. Oculi laterales, semiglobosi, valde prominuli. Ocelli in una specie tres valde insignes, in altera vix vestigium eorum. Labium superius majusculum, parum convexum, antice rotundatum. Mandibulae breves, corneae, edentulae. Maxillae lineares, membranaceae, intus ad basin ciliatae. Palpi maxillares filiformes, quinquearticulati. Labium inferius usque ad basin fissum: pars unaquaeque bifida. Palpi labiales filiformes, triarticulati. Prothorax satis elongatus, supra linea transversa impressa. Abdomen depressum, appendice filiformi multiarticulato utrinque ante anum. Alae subhorizontales, subaequales, nervis longitudinalibus et inter eas striolis transversis reticulatae. Pedes posteriores longitudinis et validitatis mediae, coxis omnibus exsertis, femoribus compressis, tibiis rectis, gracilibus, subteretibus, tarsis quinquearticulatis, articulo primo valde elongato; pedes antici coxis valde magnis, femoribus incrassatis, subtus canaliculatis, canalis margine utroque spinosis, tibiis crassioribus quam reliquae, utrinque spinosis, in femora replicandis. Habitus aliquantulum Perlae. Colores luridi, tristes.

Genus memorabile, a Mantispa prothorace latiusculo, parum elongato, antennis, appendicibus ani, et alarum structura longe diversum, et Mantisparias cum Perlidibus conjungens, a quibus tarsis triarticulatis distincta. Labium hujus generis inferius usque ad basin fissum clare et aperte demonstrat, labium Insectorum tertium maxillarum par esse, plerumque connexum, hic vero partibus duabus liberis unaquaeque palpum gerente formationis modum et organi sensum indicans. Species tantum duas hic descriptas vidi.

'Οπλοφόρα: id est, arma gerens.

Tab. XXV. f. 6. HOPLOPHORA VALIDA. † Brunneo-testacea; alis grisescentibus, nervis longitudinalibus obscurioribus. Lg. corp. 7'''. Latit. alar. expans. 14'''.

Habitat in Brasilia australi.

Caput sordide testaceum, breviusculum, clypeo impresso; fronte impressione transversali rhomboidea. Prothorax sordide testaceus, breviusculus, sine nitore; marginulo undique reflexo, et linea ante medium transversa profunde impressa, prothoracem quasi in duas partes dividente. Abdomen sordide brunneo-testaceum. Alae fusco-flavido-grisescentes, nitidulae, nervis longitudinalibus obscurioribus, alternatim insignioribus. Antennae fuscae, ad basin brunneae. Pedes luride testacei, spinis anticorum nigris.

HOPLOPHORA TENUIS. † Nigra; pedibus brunneis; capitis thoracisque linea media flava; alis fuscescentibus nitidissimis. Lg. corp. 4⅔‴. Lat. alar. expans. 11‴. Tab. XXV. f. 7.

Habitat in Brasilia australi.

Praecedente satis minor, tenuior. Caput laeve, nitidulum, nigrum, linea media et utrinque striola flavicantibus, facie inaequali brunnea. Ocelli tres magni, succinei, fronti impositi. Prothorax capite multo angustior; linea media transversa obiter in dua segmenta partitus; nitidulus, niger, linea media longitudinali et marginulo undique reflexo flavicantibus. Abdomen fusco-brunneum. Alae fuscescenti-pellucidae, nitidissimae, nervorum reticulo obscuriore, nervis longitudinalibus inter se fere aequalibus. Antennae pilosulae nigrae, articulo basali flavicante. Pedes brunneo-flavi, tarsis et antennis nigro-alboque annulatis.

TERMES FATALE Fabr. Testaceum, glabrum; ore, antennis corpore triplo brevioribus et pedibus flavis; alis albidis costa flavicante. Lg. corp. 7‴. Lat. alar. expans. 27‴. Tab. XXV. f. 8.

Fabricius Entom. system. Tom. II. pag. 87.
Martius Reise, III. p. 950 *seqq.*

Habitat per omnem fere Brasiliam intratropicam.

Mandibulae ad apicem bidentatae, nigrae. Oculi nigri, parvuli. Ocelli duo succinei. Frons impressa. Thoracis segmenta mutica. Alae corpore duplo longiores.

TERMES DESTRUCTOR Fabr. Supra testaceum, capite atro, antennis flavis. Lg. 3‴. Latit. alar. expans. 15½‴. Tab. XXV. f. 9.

Fabricius, Entom. syst. tom. II. pag. 89. *sine citatis.*

Habitat per omnem Brasiliam intratropicam.

In meo individuo etiam trophi et clypeus flavi. Citatum e Degeerio apud Fabricium ad speciem sequentem pertinet.

TERMES NASUTUM †. Ferrugineo-ochraceum; alis infuscatis, ad marginem anticum obscurioribus; fronte in tuberculum protracta. Lg. 3½‴. Latit. alar. expans. 12½‴. Tab. XXV. f. 10.

Degeer, Memoir. pour serv. à l'hist. d. Ins. tom. III. pag. 568. *tab.* 27. *f.* 6. *Fausse-Frigane à nez.*
Nouveau Diction. d'histoire nat. tom. 33. *p.* 95.

Habitat per Brasiliam septentrionalem.

Individua mea omnibus notis cum specie a Degeerio descripta conveniunt; alae vero non hyalinae, sed satis infuscatae sunt, et marginem anticum obscuriorem offerunt.

Tab. XXV. f. 11. TERMES FLAVICOLLE? FABR. Ferrugineo-piceum; capite thoraceque ferrugineis politis; pedibus flavicantibus; alis corpore plus duplo longioribus, obscuris, costa piceo-fusca. Lg. corp. 7'''. Lat. alar. expans. 28'''.

Fabricius, Entom. systemat. tom. II. p. 91.
Diction. d'hist. nat. tom. 33. p. 96.

Habitat per Brasiliam septentrionalem.

In omnibus notis majoris momenti species mea cum T. flavicolli Fabr. convenit, quod vero in Barbaria et in Europa meridionali habitat.

Tab. XXV. f. 12. *Observatio.* Larvam et milites in tabula nostra vigesima quinta pingendos curavi, qui in museo exstant, quamvis proh dolor! non indicare possum, quibus speciebus supra memoratis adscribendi sint. Neutrum, quod in figura 12ª depictum est, forsan ad nostrum T. fatale pertinet. Est totum badio-testaceum, laevigatum, capite nitidulo, clypeo porrecto, fronte foveola, foveis antennalibus subrotundis, marginulo laterali postice reflexo, oculis nullomodo conspicuis, antennis corporis longitudine, thoracis segmentis tribus distinctis, quolibet spina utrinque armato; abdomine paullo pallidiore, subvesiculoso. Lg. 4½'''.

Tab. XXV. f. 13. Miles, qui figura 13ª exprimitur, badius, laevigatus, capite valde magno, tuberculo medio prominente, et plica utrinque infra antennas; mandibulis elongatis, bidentatis, nigris; antennis corpore brevioribus; thoracis segmentis tribus distinctis, utrinque spinam gerentibus, thorace et abdomine quam caput pallidioribus. Hic miles forsan ad nostrum T. flavipenne pertinet. Lg. 7'''. Exemplum unum, ad Solimoës fluvium collectum a praecedente differt capite adhuc majore, obscuriore, mandibularum dentibus basi magis approximatis, et forsan speciei alii adscribendum est.

Tab. XXV. f. 14. Miles, hic adumbratus, sine dubio ad T. nasutum revocandus est. Badio-testaceus, abdomine pallidiore; capite laevigato, parallelogrammo, maximo, reliquum corpus magnitudine superante, antice excavato, processu medio prominente, mandibulis decussatis nigris, antennis corpore duplo brevioribus thoracis segmentis indistinctis muticis, abdomine et pedibus albidis pilosulis. Collecta ad flumina Solimoës et nigrum. Lg. 3'''. Processum capitis anticum, quem in hac specie et praecedente invenimus, et qui ad apicem apertus videtur, organi secretorii terminum puto.

Tab. XXV. f. 15. Miles, hac figura depictus, forsan T. destructori nostro adscribendus est. Statura tota paullo magis elongata, quam in praecedentibus, color flavo-badius. Caput valde magnum, glabrum; tuberculi seu processus, qui in speciebus praecedentibus conspicitur, tantum apex adest, nempe porus, in eodem loco situs. Mandibulae valde elongatae, tenues, decussatae, nigrae. Thoracis segmenta satis apparentia: secundum et tertium utrinque subaculeata. Abdomen capite pallidius, subinflatum, segmentorum marginibus posticis subgranulatis. Pedes testacei. Collecta ad Solimoës

Lg. 4⅓‴. Exemplum unum, in Provincia Piauhiensi inventum, a praecedente differt capite brunneo, vix breviore, et forsan speciei distinctae, sed valde affini adscribendum est.

FAMILIA: PLICIPENNIA.

PHRYGANEA MACULATA. † Ferruginea alis; anticis brunneo- et hyalino-variis, posticis pellucidis. Lg. corp. 5½‴. Latit. alar. expans. 16‴. Tab. XXV. f. 16.

Habitat inter St. Pauli civitatem et Villam riccam.

Quoad magnitudinem media. Corpus ferrugineum, pectoris lateribus et abdomine nigricantibus. Alae superiores brunneo- et hyalino-variegatae, maculis aliquot ad marginem anticum fulvis. Alae posteriores pellucidae, immaculatae. Antennae nigro-flavoque variae. Pedes flavicantes.

HYMENOPTERA.

FAMILIA: SECURIFERA.

CIMBEX VENUSTA. † Capite thoraceque nigris; abdominis segmento primo albo, secundo nigro, reliquis ferrugineis; alis stigmate, apice et nervis brunneis; antennis flavis. Lg. corp. 9‴. Latit. alar. expans. 19‴. Tab. XXVI. f. 1.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Magnitudine et statura C. luteae Fabr. Caput nigrum, mandibulis ad basin rufo-brunneis. Thorax niger, politus, impressione uti in C. lutea. Abdomen segmento primo albo, secundo nigro, sequentibus fulvo-ferrugineis, ultimis duobus nigricantibus. Alae anticae hyalinae, vix flavicantes, nitidae, radio ferrugineo, cellula stigmoidea et apice fusco-brunneis, nervis cellulas radiales et cubitales formantibus, sicuti recurrentibus et stigmate brunneo-nigris; alae posticae hyalinae. Subtus nigra, abdomine brunnescente. Antennae flavae, articulo basali nigro. Pedes nigri, tibiis badiis, tarsis flavis.

PACHYLOSTICTA CHALYBEA. † Chalybeo-aenea, nitida; alis infuscatis: stigmate et nervis fusco-nigris. Lg. corp. 5½‴. Latit. alar. expans. 10‴. Tab. XXVI. f. 2.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

P. violaceae Klugii affinis, sed minor et colore, sicuti alis dilutioribus diversa. Caput chalybeum, nitidum, inaequale, ocellis distinctis fuscis, oculis et trophis nigris. Thorax nitidissimus, inaequalis, puncto transverso testaceo utrinque ad marginem posticum. Abdomen thorace latius, aeneum, nitidum. Subtus chalybea, nitida. Alae infuscatae, anticae ad marginem anticum obscuriores, stigmate nigro fusco; omnes nervis nigro-fuscis. Antennae nigro-aeneae, clavatae. Pedes nigro-aenei, tibiis subtiliter pubescentibus.

Tab. XXVI. f. 3. SYZYGONIA AENEA. † Chalybea, nitida; thoracis et scutelli margine, alarum stigmate et nervis flavis. Lg. 4½ Latit. alar. expans. 9‴.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput chalybeum, nitidum, inaequale, ocellis succineis. Thorax et scutellum chalybea, laevigata, nitida, margine undique flavo-badio. Abdomen chalybeum, nitidum, segmentorum basalium margine postico flavicante. Subtus chalybea, pectoris et abdominis lateribus flavis. Alae pellucidae, flavicantes, nervis omnibus et stigmate anticarum flavis. Antennae 6-articulatae, subclavatae, nigro-aeneae. Pedes omnes flavi, tibiis posticis ad apicem nigricantibus.

Tab. XXVI. f. 4. SYZYGONIA CYANOPTERA Klug. Violacea, capite thoraceque rufis. Lg. 7‴.

Klug, Entom. Monograph. pag. 179. 1.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Occurrit etiam major, ultra lineas octo longa.

Tab. XXVI. f. 5. SCHIZOCERA XANTHOPTERA. † Capite et abdomine nigris; thorace fulvo; alis flavis: anticis ad apicem, posticis postice nigris. Lg. corp. 4⅔‴. Latit. alar. expans. 11‴.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Prov. ejusdem nominis.

Caput politum, inaequale, ocellis hyalinis. Thorax intensive fulvus, nitidulus, lineis duabus obliquis postice convergentibus impressis. Abdomen nigrum, segmento basali flavo. Subtus nigra, pectoris medio flavo. Alae parum pellucidae, flavae, nervis fulvis, superiores ad apicem late, inferiores ad dimidium posticum fusco-nigrae. Antennae fuscae, ex articulis numerosissimis compositae, in mare bifurcae, in femina simplices, in utroque sexu pilosulae. Pedes antici flavi, posteriores nigri.

Tab. XXVI. f. 6. SCHIZOCERA HYALOPTERA. † Capite et abdomine ferrugineo-flavis; thoracis disco nigro; alis pellucidis, stigmate nigro, calloso. Lg. corp. 4⅔‴. Latit. alar. expans. 8‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Marem tantum vidi. Praecedentis magnitudine, at statura diversa. Caput transversum inaequale, flavum, oculis, ocellis et mandibularum apice nigricantibus. Thorax cum scutello niger; antice lineis duabus postice convergentibus spatium triangulare elevatum includentibus profunde impressis; humeris flavis. Abdomen ferrugineo-flavum, ad basin nigricans. Subtus cum pedibus ferrugineo-flava. Alae pellucidae, nervis et anticarum stigmate nigricantibus. Antennae maris bifurcae; articulis duobus basalibus flavis, reliquis furcam efformantibus nigris, dense ciliatis.

Tab. XXVI. f. 7. LOPHYRUS MELANOPTERUS. † Niger; thoracis lateribus antice fulvis; alis fuliginosis, margine antico et nervis nigris. Lg. corp. 3⅓‴. Latit. alar. expans. 7⅓‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput nigrum, ocellis sulphureo-pellucidis. Thorax niger, ad latera et antice utrinque ad marginem fulvus. Scutellum et abdomen fusca. Subtus fuscus. Alae griseo-fuliginosae, nervis omnibus, anticarum margine antico et stigmate nigris; cellulae radialis dimidio externo fuscescente. Quoad structuram alae a congenericis differt: stigma callosum non spatium offert viduum, cellularum cubitalium incompleta et tres completae adsunt, quarum secunda nervos accipit duos recurrentes. Antennae nigrae, in mare, quem solum vidi, insigniter duplo pectinatae: pectinum dentibus pilosulis. Pedes nigri, antici flavicantes.

FAMILIA: PUPIVORA.

PELECINUS TIBIATOR. † Niger; abdomine longissimo, filiformi; alis albidis, stigmate et margine antico brunneis; tibiis posticis incrassatis. Lg. corp. totius 17½‴, abdominis 14½‴. Latit. alar. expans. 11½‴. Tab. XXVI. f. 8.

Pelecinus polyceratop Tab. nostr.

Habitat in montibus Provinciae Minarum, et alibi.

Hanc speciem antehac pro P. polyceratore Fabricii habitam nunc distinctam puto. Corpus totum nigrum, nitidulum, metathorace parum albido-sericante. Facies punctulata. Ocelli succinei. Palpi antici capillares, valde longi. Abdomen capite thoraceque sexies longius, filiforme, segmentis subcylindricis, retrorsum vix crassioribus. Alae laeves, hyalinae: radio, cubitu, stigmate et nervis brachialibus fusco-brunneis. Antennae nigrae, annulo albo. Pedes nigri, genubus, tibiis et tarsis anticorum fusco-flavicantibus; tibiis posticis valde incrassatis, subcylindricis, holosericeis. A P. clavatore Latr. (Encycl. meth. tom. X. p. 30) haec species praeter alias notas etiam magnitudine differt.

Observatio. Hujus generis singularis species vidi in museo duas, ab omnibus hucusque descriptis diversas: Prima, P. dichrous mihi, alis pellucidis, venis longitudinalibus et stigmate brunneis, thorace pedibusque sordide sanguineis, abdomine nigro, tibiis posticis clavatis. Caput exempli unius deest. Magnitudine P. tibiatoris. Species secunda, P. fuscator, praecedentibus multo minor, 7½‴ longus, brunnescenti-niger, pedibus et abdomine parum dilutioribus: hoc ad medium inflato, ad apicem acuminato; antennis unicoloribus ad apicem perpaullum crassioribus, alis minime infuscatis, tibiis posticis parum incrassatis.

OPHION SPECTABILIS. † Capite, thorace et pedibus anterioribus fulvis; antennis, abdomine et pedibus posticis nigris; alis flavicantibus, ad apicem fuscis. Lg. corpor. 15½‴. Latit. alar. expans. 20‴. Tab. XXVI. f. 10.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Prov. ejusdem nominis.

Species elegans, O. luteo Fabr. multo major. Caput ferrugineo-fulvum, oculis, ocellis et vertice nigris. Thorax ferrugineo-fulvus, subtiliter pubescens. Abdomen nigrum, valde compres-

sum. Alae flavicantes, pellucidae, nitidissimae, nervis nigricantibus: apice praesertim anticarum late fusco-nigro. Antennae, nigrae corpore breviores. Pedes anteriores ferrugineo-fulvi, postici nigri, genubus rufescentibus.

PHLEBOPENES Perty.

(PUPIVORA: ICHNEUMONIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes, 9-articulatae. Alae fere enerves, cellulis nullis. Oviscaptus longissimus.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae filiformes, corpore dimidio breviores, articulo primo satis elongato, paullum curvato, secundo valde brevi, sequentibus indistinctis, ultimis involutis. Caput subrotundum, breve. Mandibulae breves, corneae, bidentatae. Palpi non porrecti. Oculi valde magni, prominuli. Ocelli tres distincti. Prothorax in collum breve, capite multo angustius elongatus. Parapleurae maximae. Abdomen a lateribus compressum. Oviscaptus corpore toto fere triplo longior, valvulis externis pilosis, intus canaliculatis, internis duabus tenuioribus connatis. Alae superae sine cellulis, radio et cubitu connexis, cellula tantum radiali incompleta; inferae etiam radio et cubitu connexis, alae vero apicem non attingentibus. Pedes validitatis et longitudinis mediae, mutici, coxis omnibus exsertis, femoribus compressis: mediis apicem versus paullo dilatatis.

Genus valde insigne, iterum lacunam inter familias naturales explens, forma corporis totius, oviscaptu longo Ichneumonidibus adscribendum, alis nervis et cellulis destitutis, siculi coloribus metallicis, splendidis, Chalciditibus et Gallicolis affine. Speciei unius tantum exemplum unicum vidi.

Nomen genericum e verbis φλέψ, vena, et πένης, pauper.

Tab. XXV. f. 11. PHLEBOPENES SPLENDIDUS. † Viridi-aureus, nitidus, abdomine nigricante: medio, pectoris lateribus et pedibus flavo-badiis. Lg. 5'''. Latit. alar. expans. 7 1/2'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput viridi-aureum, cicatricoso-punctulatum, oculis et ore nigris, mandibulis ad basin ferrugineis. Thorax et scutellum viridi-aurea; hoc lineis duabus retrorsum divergentibus impressis. Abdomen ad basin et apicem nigricans, medio et subtus flavo-badium, nitidum. Pectus aureo-viride, lateribus politis, flavo-badiis. Oviscaptus niger, terebrae valvulis externis nigro pilosis. Alae hyalinae, stigmate et nervis anticis fuscescentibus. Antennae nigrae. Pedes badio-flavi, coxis viridi-aureis.

PIMPLA CALOPTERA. † Capite et thorace antice nigris; abdomine ferrugineo, apice nigricante; alis albidis, fascia et apice fuscis. Lg. corp. 8½‴. Latit. alar. expans. 15½‴. Occurrit satis minor. Tab. XXVI. f. 12.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Species insignis, amoena. Caput globulosum nigrum, nitidum, ocellis succineis. Prothorax et mesothorax nigri, nitidi, metathorax ferrugineo-fulvus. Abdomen ferrugineo-fulvum, nitidum, ad apicem nigricans. Oviscaptus niger, corporis totius fere longitudine. Alae pellucidae, nitidae, albido-flavicantes, fascia media et apice late fuscis. Antennae corpore multo longiores, nigrae. Pedes anteriores lutei, postici coxis valde inflatis, nigris, femoribus nigris, ad basin badiis, tibiis et tarsis fusco-badiis.

BRACON EXSCULPTOR. † Ater, nitidus; abdominis segmentis primis exsculptis; alis fuscis: anticis macula stigmoidea flava. Lg. corpor. 7‴. Latit. alar. expans. 17‴. Tab. XXVI. f. 13.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput aterrimum, politum, convexum, ocellis hyalinis, albidis. Thorax aterrimus, nitidus, segmento tertio (metathorace) pubescente. Abdomen atrum, politum, postice valde dilatatum; segmento 1° 2° 3° exsculptis, ad marginem reflexis, nigro-sanguinolentis; oviscaptu abdomine paullo longiore, nigro. Abdomen subtus nigro-sanguineum. Alae grandiusculae, latae, nigro-fuscae, parum pellucidae, laeves, nitidulae, macula stigmoidea anticarum laete flava. Antennae corporis longitudine, crassiusculae, nigrae. Pedes omnes nigri.

ALOMYA MOERENS. † Violacea, nitida; antennis nigris, ante apicem albis. Lg. corpor. 8‴. Lat. alar. expans. 14‴. Tab. XXVI. f. 14.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Tota splendide violacea, nitida, laevis. Alae latiusculae, violaceae, micantes. Antennae fere corporis longitudine, nigrae, articulis circiter decem ante apicem albis. Pedes violacei, tibiis et tarsis nigricantibus.

ICHNEUMON FERRUGINATOR. † Rufus; antennis nigris, medio albis; tibiis posticis nigris, tarsis albis. Lg. corp. 9‴. Latit. alar. expans. 13‴. Tab. XXVI. f. 15.

Habitat prope Bahiam.

Caput ferrugineum, ocellis albidis. Thorax ferrugineo-rufus, asperatus, gibbero inter alas, et tuberculo parvo utrinque in metathorace. Abdomen ferrugineo-rufum, laeve, nitidulum. Oviscaptus abdomine brevior, niger. Subtus totus ferrugineo-rufus. Alae pellucidae, nitidae, hyalinae, nervis nigricantibus. Antennae corpore breviores, nigrae, ad apicem depressae, in medio

macula alba tantum supra conspicienda. Pedes rufo-ferruginei, femoribus posticis ad apicem et tibiis compressis nigris, tarsis albis.

Tab. XXVI. f. 16.

CHALCIS CONIGASTRA. † Nigra; abdomine sessili elongato obclavato, postice flavo; alis ad basin infuscatis, femoribus posticis clavatis, serratis. Lg. corp. $5\frac{1}{2}'''$. Latit. alar. expans. $9\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Brasilia australi.

E speciebus abdomine sessili. Caput nigrum, asperum, ocellis hyalinis. Thorax niger, asper, scutello prominulo, emarginato. Abdomen thorace paene duplo longius, laevigatum, politum, obclavato-elongatum, nigrum, dimidio postico laete flavo. Alae flavicantes: anticae ad basin ferrugineo-infuscatae, stigmate et puncto ad marginem ferrugineis. Antennae scapo nigro, flagello rufescente. Pedes omnes nigri, genubus vix rufescentibus: femoribus posticis crassissimis, pro tibiis recipiendis dentato-serratis.

Tab. XXVIII. f. 15. 16.

THORACANTHA STRIATA. † Coerulescenti-nigra; thorace, pectore et scutello longitudinaliter striatis: hoc acutissimo, abdomen superante; femoribus, tibiis et tarsis flavis. Lg. a capite usque ad anum. $1\frac{3}{4}'''$ Lg. a capite ad scutelli apicem. $2\frac{1}{2}'''$. Latit. alar. expans. $4'''$.

Habitat ad Amazonum flumen.

Thoracanthae genus, a celeberr. Latreille conditum, (Cuv. reg. anim. nouv. edit. tom. V pag. 297) ad maxime memorabilia pertinet. Speciei unius exemplum tantum unicum vidi. Caput brevissimum, transversum, verticale, triangulare, coeruleo-nigrum, nitidum, transversim striolatum; oculis nigris, semiglobosis, ocellis tribus remotis in vertice; palpis? non exsertis. Thorax brevis, antrorsum protuberans, e lateribus compressus, coeruleo-niger, longitudinaliter striatus, nitidulus. Scutellum thorace paene quadruplo, et abdomine fere duplo longius, antice profunde sulcatum et striatum, postice laevigatum, in apicem acutissimum desinens; ad suturam, ubi partes duae (quasi elytra) scutelli connatae sunt, sulco profundo, apice dehiscente. Scutellum alas totas obtegit, articulatio vero partium duarum, e quibus compositum videtur, cum thorace, non conspicienda est. Abdomen lentiforme, laevigatum, nitidum, postice dehiscens, subtus canaliculatum. Pectus ad latera striolatum. Alae fere penitus enerves, hyalinae; in anterioribus tantum cubitus apparet. Antennae capitis thoracisque longitudine, apicem versus crassiores, 12 aut 13- articulatae, articulis primis duobus flavis, reliquis nigricantibus. Pedes coxis omnibus magnis, exsertis, coerulescenti-atris, nitidis; femoribus, tibiis et tarsis flavis.

FAMILIA: HETEROGYNA.

Tab. XXVII. f. 1.

FORMICA CUNEATA. † Nigra; abdomine cinerascenti-sericeo; prothorace spina utrinque munito; mesothorace et metathorace compressis, cuneatis, dorso secante. Lg. corp. $6\frac{1}{2}'''$. Latit. prothor. $1\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Brasilia australi.

Tantum neutrum vidi. Magnitudine fere F. herculeanae Fabr. Tota fusco-nigra. Caput majusculum, parce pilosum, parum convexum. Thorax subtiliter grisescenti-holosericeus: prothorax planiusculus, dente parum antrorsum directo utrinque munitus; mesothorax et metathorax arctius conjuncti, cuneati, cunei acumine superne verso. Squama majuscula, compressa, obtrigona, margine supero secante. Abdomen breve, globoso-ovatum, cinerascenti-holosericeum, segmentorum marginibus albidis. Antennae nigrae. Pedes nigri, tibiis omnibus compressis, margine externo secante.

PONERA TARSALIS. † Picea, pilosa; capite, thorace et squama asperis; mandibulis latis, fornicatis, contingentibus; thorace mutico, squama subcylindrica, antrorsum elevata. Lg. 13‴. Latit. prothor. 2‴. Tab. XXVII. f. 2.

Habitat in sylvis secundum flumen Solimoês.

Inter majores, statura P. spininodae Latr. (clavatae Fabr. aculeatae Oliv.) sed robustior, et spinarum prothoracis defectu sufficienter diversa; affinis P. tarsatae Fabr., sed notis pluribus, praesertim ocellis distincta. Tantum neutrum vidi. Caput maximum, pilosum, asperum. Oculi parvuli. Ocelli tres distincti, succinei. Canaliculus antennalis profundus, pone oculos elongatus, margine antice elevato reflexo. Mandibulae magnae, robustae, latae, subtus curvatae, ad basin excavatae; fere contingentes, margine interno serrato-dentato. Thorax asperatus, pilosus, muticus: prothoracis disco convexo, distincto, elevato. Squama elongata, subcylindrica, aspera, pilosa, antrorsum elevata. Abdomen pilosum, nitidulum, elongato-ovatum, ad apicem acuminatum; segmento primo maximo, a reliquis separato, subcampanulato. Antennae paene capitis thoracisque longitudine, scapo piceo, flagello cinereo-sericeo. Pedes picei, pilosi, tarsis praesertim anticis, aureo-holosericeis.

PONERA GIGANTEA. † Atra, pilosa; capite magno; mandibulis decussatis; thorace mutico; squama e lateribus compressa. Lg. 16‴. Latit. prothor. 1⅗‴. Occurrit etiam minor. Tab. XXVII. f. 3.

Habitat ad fluvium, quem Rio negro nominant, Provincia ejusdem nominis. Morsu hominibus febrem concitat. Incolis Tucanquiburà dicta.

Maxima hujus generis species, mihi cognita. Tantum neutrum vidi. Tota laevis atra, pilosa, thoracis lateribus vix coeruleo-micantibus. Oculi parvuli. Ocelli non adsunt. Mandibulae capite parum breviores, angustae, subtus curvatae, decussatae, ad marginem internum apicem versus dentibus aliquot robustis acutis munitae. Antennarum fovea tantum ad oculos contingit. Thorax elongatus, capite multo angustior, e lateribus compressus, superne rotundatus. Squama magna, crassiuscula, e lateribus compressa. Abdomen elongato-ovatum; segmento primo a reliquis separato, maximo, subcampanulato. Antennae capitis thoracisque longitudine, scapo valde elongato, nigro, parce piloso, flagello grisescente. Pedes nigri, elongati, tenuiusculi, pilosi, tarsis anticis subtus aureo-holosericeis.

Tab. XXVII. f. 4. CRYPTOCERUS CLYPEATUS Fabr. Ferrugineus; thorace marginato, spinoso; capite clypeato. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Latit. proth. spinis adjectis. $1\frac{2}{3}'''$.

Fabr. Syst. Piezat. pag. 420. n. 3.

Klug, Entomol. Monogr. p. 207. 6.

Habitat in Prov. Piauhiensi et Paraensi.

Saepius occurrit abdomine nigricante.

DACETON Perty.

(FORMICA Latr.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Petiolus abdominis e segmentis duobus compositus. Caput depressum, obcordatum. Mandibulae porrectae, ad apicem curvatae, bidentatae.

CHARACTER NATURALIS.

Caput depressum, postice profunde emarginatum, clypeo antice truncato. Oculi valde prominentes, ovato-globosi. Ocelli desunt. Antennae paene capitis thoracisque longitudine, ad basin valde remotae, in fovea profunda insertae, cantho superiore paullo prominulo: scapo paene flagelli longitudine, tenui, curvato; flagello filiformi, decem-articulato. Mandibulae capitis dimidio longiores, rectae, fere contingentes, intus canaliculatae, apice uncinato, bidentato, decussato. Thoracis sectiones ad latera satis conspicuae; supra prothorax et mesothorax fere contigui videntur. Stigmata in prothorace utrinque unum, in metathorace utrinque dua. Petiolus abdominis e segmentis duobus constat, quorum primum ad apicem clavatum, supra spinigerum, secundum muticum, transversum, convexum. Abdomen ovato-acuminatum, segmento primo maximo, reliqua superante, sequentibus approximatis, sensim acuminatis. Aculeus in pluribus exemplis exsertus, brevis. Pedes elongatuli, quoad validitatem medii; femoribus subclavatis, tarsorum unguiculis validis, ad basin dente seu potius angulo munitis.

Genus habitu, et structura eximium, quoad mores verosimiliter ferocissimum. *Δάκετον* significat animal quidlibet mordax, venenatum.

Tab. XXVII. f. 5. DACETON ARMIGERUM Latr. Rufo-flavescens; thorace antice spinis duabus furcatis. Lg. $6\frac{1}{2}'''$. Latit. capit. postice $2'''$. proth. sine spinis $1'''$. Occurrit etiam minor.

Latreille, hist. nat. d. Fourm. p. 244. Formica armigera.

Habitat ad flumina Rio negro, Prov. ejusdem nominis et Solimoês.

Tantum neutra vidi. Color variat, nunc pallide, nunc brunneo-testaceus. Oculi nigri. Mandibulae parce pilosae. Prothorax utrinque dente bifurco, metathorax spinis duabus simplicibus, mesothorax muticus.

MUTILLA MELANOCEPHALA. † Capite atro; thorace fulvo, antice atro; abdomine nigro, antice maculis duabus sublunatis fulvis, postice annulis albis. Lg. 6'''. Latit. prothor. 1½'''. Tab. XXVII. f. 6.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Tantum feminam vidi. Caput magnum, crassum, subquadratum, atro-holosericeum, oculis prominulis. Thorax aureo-fulvus: antice macula atra; dense pilosus, e lateribus compressus, emarginatus; margine laterali denticulato, dentibus antice utrinque duobus majoribus. Abdomen atrum, ad basin rufescens, segmento secundo maximo, maculis duabus magnis, sublunatis, fulvo-testaceis, segmentis sequentibus sensim ac sensim ad basin latius albo-pilosis; aculeo exserto, brunneo. Pectus rufo-testaceum. Abdomen subtus albo-pilosum, segmento secundo punctulato, reliquis ad basin albis. Antennae nigrae. Pedes fulvi.

MUTILLA CHRYSODORA. † Atro-tomentosa; metathorace utrinque albido; abdomine supra maculis decem aureis, subtus albido-sericeo. Lg. 7''' vix. Latit. prothor. 1½'''. Tab. XXVII. f. 7

Habitat in Serra do Caraça, Provinciae Minarum.

Tantum feminam vidi. Caput medium, subquadratum, atro-tomentosum, pilosum. Thorax e lateribus compressus, muticus, pilosus, ater: metathorace praesertim ad latera albido-sericante. Stigma metathoracis grande, marginibus elevatis, prominulis. Petiolus abdominis subcampanulatus, albido-holosericeus. Abdomen atrum, segmento primo (seu potius secundo, cum petiolus pro segmento habendus sit) maximo, maculis quatuor splendide aureo-holosericeis. In quoque segmentorum sequentium, si ultimum excipias, maculae duae aureo-holosericeae videntur. Ubi segmenta a praecedentibus non obteguntur, punctulata apparent. Segmentum ultimum aureo-pilosum, aculeo exserto ferrugineo. Subtus albido-holosericea. Antennae nigrae, scapo albido-sericante. Pedes nigri, albido-pilosi.

MUTILLA BUCEPHALA. † Capite maximo; atra, capitis lineis duabus, metathoracis lineis duabus et puncto, abdominis margine et linea media longitudinali abbreviata albis. Lg. 7'''. Latit. capitis 2½'''. Latit. prothor. 1¾'''. Tab. XXVII. f. 8.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Etiam feminam tantum vidi. Caput maximum, crassum, transversum, atrum, pilosulum, antice albo-barbatum, linea utrinque verticali alba; sub lente variolosum. Prothorax et mesothorax atri, puncto postico medio albo; mutici, metathorace latiores; metathorax e lateribus compressus,

linea utrinque marginali alba. Abdomen atrum, margine externo, et linea media, in primo segmento interrupta albis. Subtus albido-hirta. Antennae nigrae, ad basin albo-pilosae. Pedes nigri, albo-pilosi, tibiis extus spinulosis.

Tab. XXVII. f. 9. MUTILLA GIGANTEA. † Atra; capite et metathorace vittis duabus, abdominis primo segmento maculis pluribus, et reliquis utrinque rufescenti-albidis. Lg. 10'''. Latit. prothor. 2½'''.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Statura elongata. Caput globoso-subquadratum, atrum, ore albo-barbato, vittis duabus verticalibus rufescenti-albidis. Oculi valde prominuli. Thorax atro-tomentosus, pilosus; metathorax mesothorace angustior, margine laterali rufescenti-albido. In meso- et metathorace utrinque denticulus obtusus lateralis conspicitur. Abdomen atrum: petiolo (seu segmento primo) ad latera rufescenti-albido, segmento sequente maximo, striis duabus lateralibus et maculis duabus longitudinalibus in disco rufescenti-albis; segmentis reliquis brevissimis, approximatis, ad medium nigris, ad latera albidis. Subtus atra, pectoris lateribus et abdominis segmentis ultimis albidis. Antennae nigrae. Pedes atri, albido-pilosi.

Tab. XXVII. f. 10. MYRMECODA VARIA. † Nigra, flavo-variegata, pedibus fulvis. Lg. 4'''. Lat. prothor. ⅔'''.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Animalculum singulare, revera transitum a Mutillariis ad Tiphias formans, et forsan his propinquius. Caput subglobosum, nigrum, flavo-varium; glabrum, nitidulum, mandibulis ferrugineis, oculis parvis, parum prominulis, nigris, ocellis nullis. Thorax muticus, fusco-niger, humeris flavis; sectionibus tribus valde distinctis. Abdomen satis magnum, elongatum, fusco-nigrum, laeve, ad latera flavo-varium. Subtus fusco-badia, glabra. Antennae rufae. Pedes fulvi, tibiis spinulosis, tarsis elongatis, penicillato-ciliatis.

Tab. XXVII. f. 11. LABIDUS LATREILLII Jur. Totus badio-testaceus, albido-pubescens; ocellis magnis, hyalinis; alis albis, nervis flavicantibus. Lg. 7'''. Lat. prothor. 1½'''. Latit. alar. expans. 16'''.

Jurine, nouv. Meth. de class. les Hymenopt. pag. 282.
Latreille, Gener. Crust. et Ins. tom. IV. pag. 123.

Habitat in Provincia Piauhiensi et in Brasilia australi.

Quoad staturam et habitum, imo etiam colorem et pubescentiam Dorylo valde similis. Quod est Dorylus in hemisphaera orientali, id est Labidus in hemisphaera occidentali.

FAMILIA: FOSSORES.

TIPHIA BIPUNCTATA. † Picea, nitida; metathorace et abdomine utrinque gutta flava. Lg. 9½‴. Latit. alar. expans. 15‴. Tab.XXVII. f. 12.

Habitat in Serra do Caraça, Prov. Minarum.

Caput rotundatum, politum, piceum, mandibulis dilutioribus, ocellis tribus distinctis, hyalinis. Palpi flavi. Punctum in metathoracis lateribus parvum flavum. Abdomen satis elongatum, piceum, politum, macula parva laete flava utrinque in segmento tertio; subtus ad segmentorum margines laterales brunneo-micans, ad margines posticos albo-pilosum. Alae nitidae, violascenti-infuscatae, stigmate piceo. Antennae capite thoraceque breviores, involutae, articulo primo piceo, reliquis fuscis. Pedes picei: tibiae anticae ad apicem intus processu setuloso, extus setarum fasciculo; tarsi articulo primo extus oblique elongato; tibiae posteriores extus setulis argenteis asperati, tarsi fasciculato-setulosi; tibiae posticae extus serratae.

MERIA DICHROA. † Nigra; metathorace et abdominis segmento primo flavis; alis hyalinis, ad marginem anticum infuscatis. Lg. 7½‴. Latit. alar. expans. 12½‴. Tab.XXVII. f. 13.

Habitat ad flumen S. Francisci.

Caput rotundatum, nigrum, punctulatum, mandibulis lunatis, decussatis, ocellis obsoletis, vix distinguendis. Prothorax et mesothorax nigri, punctulati, suturis tamquam lineae impressae apparentibus; metathorax flavus, macula nigra emarginata. Abdomen satis elongatum, subtiliter punctulatum; nigrum, passim cyaneo-micans, segmento primo flavo. Subtus nigra, postpectoris lateribus utrinque maculis duabus flavis; abdominis segmentis ad marginem posticum punctulatis, albido-pilosis. Alae anteriores albidae, nitidae, ad basin et marginem anticum late fuscae; posteriores infuscatae. Antennae capite parum longiores, involutae, articulo primo piceo, reliquis fuscis. Pedes nigri: posteriores setulis et spinis asperi, femoribus et tibiis incrassatis.

SCOLIA HAEMATOGASTRA. † Nigra; abdomine segmentis secundo et tertio ad dorsum coccineis; alis cyaneis. Lg. 9‴. Latit. alar. expans. 15‴. Tab.XXVII. f. 14.

Habitat prope Bahiam.

Caput nigrum, punctulatum, albo-hirtum. Ocelli posteriores obsoleti, anticus tantum distinguendus. Thorax niger, punctulatus, passim albo-pilosus. Abdomen nigrum, segmento primo albo-piloso, reliquis ad marginem posticum ciliatis: secundo et tertio ad dorsum coccineis. Subtus nigra, passim albo-pilosa, abdominis segmentis ad marginem posticum albo-ciliatis. Alae cyaneae, apicem versus infuscatae. Antennae capite parum longiores, nigrae, leviter curvatae. Pedes nigri, albido-pilosi, asperi, tibiis et tarsis spinulosis.

LIOPTERON Perty.

(FOSSORES : SPHEGIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes, apicem versus parum crassiores. Alae nervis et cellulis paucis. Abdomen longe petiolatum, compressum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque longiores, filiformes, articulis versus apicem parum crassioribus, non involutis. Caput breve transversum subverticale, infra paullo retrorsum inclinatum. Oculi quoad magnitudinem medii, remoti, convexiusculi. Ocelli tres distincti, linea fere recta dispositi. Mandibulae brevissimae, contingentes, vix prominulae. Palpi? non exserti. Thorax breviusculus, segmentis parum distinctis, prothorace arcuato. Scutellum prominulum, muticum. Petiolus abdominis (segmentum primum) ejus longitudine, rectus, subtus et ad latera canaliculatus. Abdomen e lateribus compressum, elliptico-ovatum, segmento 1° (seu potius secundo) maximo, 2°3°4°, praeter quae non plura distinguuntur, brevibus. Abdomen subtus secundum totam longitudinem dehiscit, et e vagina tubulum emittit, ex quo aculeus acutissimus brevis prominet. Alae laeves, angustulae, elongatae, quoad consistentiam satis validae: radio vix expresso, cubitu insigni; cellula radiali, cubitali una quam radialis minore, et altera multo majore clausis. Nervus recurrens tantum unus adest, qui a cellula cubitali ad basin excipitur. In alis posticis tantum cubitus apparet. Pedes anteriores elongatuli tenuiusculi, postici validi, valde elongati; coxae omnes exsertae.

Genus valde memorabile, quoad situm naturalem mihi adhuc dubium. Aculei praesentia, petiolus et pedes postici elongati, sicuti habitus propinquitatem cum Sphegidibus indicant, cum trophi breves occulti, abdomen compressum subtus dehiscens et alae paene enerves affinitatem cum Chalciditibus et Gallicolis offerunt. Speciei unius tantum exemplum unicum vidi. Nomen genericum e verbis λεῖος, laevis, aequalis detritus, et πτερὸν, ala; ob alas nervis paucissimis instructas.

Tab. XXVII. f. 15. LIOPTERON COMPRESSUM. † Nigrum; capite thoraceque asperis; abdomine laevigato; alis infuscatis, stigmate nigro-brunneo. Lg. 5'''. Latit. alar. expans. 9'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput et thorax nigra, unicolora, opaca, cicatricoso-punctulata. Petiolus abdominis supra laevis, nitidus, subplanatus, ad latera canaliculatus. Abdomen piceum, politum, passim brunneo-micans. Subtus nigrum, pectoris lateribus politis. Alae praesertim ad basin infuscatae, nervis et stigmate nigro-brunneis. Antennae nigrae. Pedes nigri, passim pilosi.

AMMOPHILUS FOENIFORMIS. † Niger; thorace valde elongato; alis pellucidis, brunnescenti-variis. Lg. 9'''. Lat. alar. expans. 12½'''. Tab.XXVII.f.16.

Habitat prope Bahiam.

Statura valde singulari. Caput breve, rotundatum, laevigatum, nitidum, praesertim postice albo-pilosum; oculis maximis elongatis; ocellis tribus distinctis, valde approximatis; mandibulis subfalcatis, elongatis, tenuibus, decussatis. Thorax niger, passim albido-pilosus; prothorax conoideus, laevis, tuberculo postico; mesothorax laevigatus; metathorax elongatus, punctulatus. Petiolus abdominis ejus longitudine, filiformis. Abdomen parvulum, nigrum, segmentis ad marginem posticum brunneo-micantibus. Subtus niger. Medipectus valde elongatum, ad apicem pedes medios gerens, qui hac e causa posticis valde approximati apparent. Alae hyalinae: nervis, apice, cellula anticarum radiali e parte et cubitali secunda tota infuscatis. Antennae filiformes, nigrae. Femora nigra, nitida, tibiae et tarsi opaci, fuscescentes.

AMMOPHILUS FUMIGATUS. † Niger; thoracis suturis argenteis; alis violascenti-infuscatis: nervis et macula ante apicem violaceo-brunneis. Lg. 12'''. Latit. alar. expans. 17'''. Tab.XXVII.f.17.

Habitat prope Bahiam.

Caput magnum, circulare, nigrum, passim argenteo-micans, infra albo-pilosum; oculis maximis, reniformibus; ocellis tribus distinctis, approximatis, succineis; mandibulis praelongis, subfalcatis, tenuibus, decussatis, clypeo antice denticulato. Thorax niger; sutura inter prothoracem et metathoracem, macula utrinque in mesothorace, stria transversa in metathorace punctulato argenteo-holosericeis. Petiolus abdomine brevior, filiformis, niger. Abdomen glabrum, politum, coeruleo-micans. Subtus ater, pectore tenuiter albo-piloso. Alae violaceo-infuscatae: anticae nervis omnibus, dimidio apicali et praesertim macula ante apicem diffluente brunneo-violaceis. Antennae fere capitis thoracisque longitudine, filiformes, nigrae. Pedes nigri, tibiis et tarsis anteriorum rufescentibus.

TRIGONOPSIS Perty.

(FOSSORES: SPHEGIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Caput trigonum, subhorizontale. Prothorax conicus, antrorsum angustatus, coarctatus. Petiolus abdominis elongatus. Cellulae cubitales tres completae.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae ad basin approximatae, capite et thorace breviores, filiformes, articulis satis elongatis. Caput trigonum, fere horizontale. Labium superius quadriden-

tatum. MANDIBULAE subfalcatae, tenues, decussatae, elongatae, subgeniculatae, fere edentulae. PALPI filiformes: maxillares quinque-articulati, labiales tri-articulati. OCULI maximi, subreniformes. OCELLI tres distincti. PROTHORAX paene capitis longitudine, conicus, antrorsum satis angustatus et coarctatus, quasi collum formans. MESOTHORAX brevis, METATHORAX satis elongatus; MEDIPECTUS valde elongatum et ad ejus apicem pedes medii inserti, qui hac e causa posticis valde propinqui sunt. PETIOLUS abdominis longitudine, filiformis, cylindricus. ABDOMEN breve, ovato-acuminatum. ALAE ANTERIORES angustae, nervis insigniter expressis, cubitu et radio valde approximatis, cellulis cubitalibus tribus completis et una aperta, quorum secunda nervos duos recurrentes excipit. PEDES elongati, graciles, tenuisculi: postici praesertim tarsis longissimis paene corporis totius longitudine.

Genus jam habitu insigne. Nomen e verbis τρίγωνον, trigonum, et ὄψις, facies, vultus.

Tab. XXVII. f. 18. TRIGONOPSIS ABDOMINALIS. † Nigra, nitida, abdomine ferrugineo; alis hyalinis, anticis maculis duabus brunneis. Lg. 9½‴. Latit. alar. expans. 12½‴.

Habitat in Brasilia australi.

Caput atrum politum, marginulo postico reflexo, ocellis succineis, trophis flavis. Mesothorax et metathorax inaequales, punctulati: hic sulco medio crenulato. Petiolus abdominis niger. Abdomen breviusculum, laevigatum, nitidum, ferrugineum. Alae hyalinae: anticae nervis et maculis duabus transversis fusco-brunneis, posticae immaculatae. Antennae nigrae, apicem versus rufescentes, articulo basali subtus flavo. Pedes cyaneo-micantes.

Tab. XXVII. f. 19. SPHEX AURIFLUUS. † Capite thoraceque aureo-variis; antennis nigris; abdomine pedibusque ferrugineis. Lg. 11‴. Latit. alar. expans. 17‴.

β. abdominis apice nigricante.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Prov. ejusdem nominis.

Species elegantissima. Caput aureo-holosericeum, trophis nigro-brunneis, mandibulis ad basin ferrugineis; ocellis rubineis, vertice fusco-olivaceo. Thorax fusco-olivaceus, tenuiter pubescens: suturis, mesothoracis linea media et stria utrinque laterali, metathoracis linea transversa et parte postica splendide aureo-holosericeis. Abdominis petiolus brevis, rufus, flavicanti-pubescens. Abdomen glabrum, nitidum, supra et subtus rufo-ferrugineum, in exemplis nonnullis apicem versus nigricans. Pectus olivaceo-pubescens, maculis lateralibus splendide aureo-holosericeis. Alae pellucidae, tenuiter flavicantes, nervis nigricantibus, apicem versus e pilis brevissimis, curvatis, nigris, tantum sub lente acuta visibilibus subtiliter infuscatae. Antennae thoracis longitudine nigrae. Pedes omnes rufo-ferruginei, coxis olivaceis, flavo-holosericeis.

Observatio. Species quaedam Insulae St. Thomae incola, museo olim sub nomine „Chlorion aurulentum“ (cujus auctoris?) missa, praecedenti valde affinis, et forsan varietas climatica, tantum abdomine et pedibus ferrugineo-sanguineis, abdominis petiolo et segmentis ultimis atris differt.

POMPILUS PHALERATUS. † Ater, facie argentata; thoracis freno flavo. Lg. $8\frac{1}{2}'''$. Latit. alar. expans. $15\frac{1}{2}'''$. Tab. XXVII. f. 20.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput atrum, ocellis parum distinctis, succineis, facie tota argentata. Thorax totus opacus, ater; linea retrorsum curvata medio vix interrupta laete flava in prothorace. Abdomen atrum nitidulum. Subtus concolor, coxis et pectoris lateribus argenteo-micantibus. Alae atrae, vix cyanescentes. Antennae convolutae et pedes nigri.

PLANICEPS VARIIPENNIS. † Fusco-niger; abdomine falciformi, utrinque guttis tribus albis; alis anticis fusco-fasciatis. Lg. corp. secundum curvedinem metita $7'''$. Latit. alar. expans. $10'''$ vix. Tab. XXVI. f. 9.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Quoad genus adhuc dubito. Caput transversum nigrum, politum, inaequale, ocellis parvis, hyalinis. Thorax valde elongatus, e lateribus compressus, segmento tertio (metathorace) holosericeo-argenteo. Abdomen falciforme, compressum, nigrum, valde nitidum, segmentis ad marginem brunneo-micantibus: 2°, 3°, 4° utrinque macula laterali et ultimo macula supera flavido-albis. Alae anticae hyalinae, fasciis duabus latis nigricantibus; posticae hyalinae, immaculatae. In uno exemplo (masculino?) alae anticae parum flavicantes, fasciis angustioribus obsoletis. Antennae capite thoraceque parum breviores, nigrae, apicem versus rufescentes; in uno exemplo (feminino) rectae, in altero (masculino?) involutae. Pedes nigri; antici coxis exsertis et femoribus incrassatis.

PEPSIS ELEVATA. † Atra, cyaneo-micans, alis violascentibus, antennis ad apicem ferrugineis. Lg. $2''\ 2'''$. Latit. alar. expans. $3''\ 10'''$. Tab. XXVIII. f. 1.

Fabric. Syst. Piezat. pag. 213. 30.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Observatio. Paullum adhuc dubito, an species nostra sit P. elevata Fabr. Fabricius in diagnosi, sicuti descriptione nimis brevi corpus atrum et alas totas cyaneas indicat, cum vero species nostra corpus refert atrum, et praesertim abdomen pulchre cyaneo-micans, alas brunneo-violascentes, antennas convolutas nigras, ad apicem ferrugineas, pedes nigros, parum cyaneo-micantes. Anus est fusco-pilosus, aculeus exsertus in meo individuo non ultra lineam longus.

PEPSIS DECORATA. † Nigro-cyanea, sericea, alis margine externo, fascia basali et stria obliqua media albido-holosericeis. Lg. $15'''$. Latit. alar. expans. $2\frac{2}{3}''$. Occurrit satis major. Tab. XXVIII. f. 2

Habitat in Brasilia australi.

Species elegans et venusta. Caput nigro-cyaneum, holosericeum, ocellis distinctis succineis. Thorax opacus, cyaneo-niger, sericeus. Abdomen glabrum, cyanescenti-nigrum, sericeo-micans, apicem versus parce fusco-pilosum. Alae nigrae, cyaneo-micantes, satis nitidae: anticae fascia pone basin, margine externo basin non attingente et stria obliqua transversa media albido-holosericeis; alae posticae cyanescenti-nigrae, unicolores. Individua occurrunt alis atris nigris, albedine obsoleta. Subtus cyanescenti-nigra, unicolor, sericea. Antennae thorace parum longiores nigrae. Pedes cyanescenti-nigri.

Tab. XXVIII. f. 3. MONEDULA MAGNIFICA. † Nigro-tomentosa; abdomine incurvo, segmento primo et secundo fascia lata pallide sanguinea. Lg. 17‴. Latit. alar. expans. 28‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput olivaceo-fuscum, ocellis nigris, posticis satis obsoletis, clypeo et trophis flavicantibus. Thorax nigro-tomentosus, opacus. Abdomen nigrum, opacum: segmento primo fascia latissima, apicem vero non tingente, secundo fascia in medio angustata sanguineis. Subtus nigra, abdomine segmento secundo macula utrinque marginali sanguinea. Alae fumosae, nervis, praesertim cubitu et radio nigricantibus. Antennae fuscae, articulo primo intus flavo. Pedes nigri, tarsis grisescentibus.

Tab. XXVIII. f. 4. ZETHUS LUGUBRIS. † Niger, capite crasso; petiolo abdominis et pedibus ferrugineis; alis cyaneis. Lg. 11‴. Latit. alar. expans. 19‴.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput crassum, subcirculare, atrum, punctulatum; clypeo latiore quam longo, dente medio vix prominulo, ocellis tribus distinctis, parvis, hyalinis. Prothorax et mesothorax nigri, opaci, subtiliter punctulati, metathorace obscure sanguineo, holosericeo. Abdominis petiolus paene ejus longitudine, fere pyriformis, nigro-sanguineus, opacus. Abdomen breve, supra et subtus nigrum opacum. Pectus sordide sanguineum, cinerascenti-holosericeum. Alae cyaneae, apicem versus dilutiores. Antennae thoracis longitudine, nigrae. Pedes omnes ferruginei, tarsorum articulo ultimo nigricante.

FAMILIA: DIPLOPTERA.

DIDYMOGASTRA Perty.

(VESPARIAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Mandibulae longiores, quam latae. Clypeus vix latior, quam longus, antice truncatus, muticus. Abdomen segmento primo et secundo petiolato.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capitis thoracisque longitudine, flagello quam stipes plus duplo longiore, subclavato. Caput breve, subrotundum, clypeo majusculo, subpentagono, antice recta

truncato. Oculi magni, subreniformes, intus profunde emarginati. Ocelli tres distincti, triangulo dispositi. Mandibulae subelongatae, convergentes, intus cavae, ad apicem oblique truncatae, obtuse quadridentatae. Maxillae et labium mandibulis parum longiores. Palpi filiformes: maxillares 5-articulati, labiales quadriarticulati, ad apicem setulis aliquot muniti. Prothorax brevissimus, arcuatus. Abdomen duplo petiolatum: nempe segmentum primum, seu petiolus vulgo sic dictus pone medium incrassatum, segmentum sequens antice filiforme, postice crassissimum, campanulatum, reliqua cito angustiora fere tota excipiens. Alae anteriores cellula radiali elongato-trigona, cubitalibus tribus completis, quorum prima sequentibus multo major est, secunda duos nervos recurrentes excipit. Stigma satis expressum callosum. Pedes tenuiusculi, parum elongati, tarsorum plantula minuta.

Genus Eumeni proximum, a quo praecipue abdominis segmentorum primorum structura distinguitur. Nomen e verbis διπλόος, duplex, γαστήρ, γάστρα, venter.

DIDYMOGASTRA FUSCA. † Olivaceo-fusca; thoracis margine antico, striis duabus posticis transversis, lineis duabus longitudinalibus in prothorace, petioli anterioris apice et margine segmentorum abdominis flavidis. Lg. $7\frac{1}{2}'''$. Latit. alar. expans. $12'''$. Tab. XXVIII. f. 5.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput fuscum, punctulatum, ocellis albidis, mandibulis nigris, trophis reliquis brunneo-piceis. Thorax fuscus, olivaceo-pubescens, marginulo antico, striolis duabus transversis et duabus longitudinalibus posticis flavis. Segmentum primum abdominis (petiolus proprie sic dictus) nigrum, ad apicem flavicans; segmenta reliqua ad marginem posticum flaveola. Subtus concolor. Alae pellucidae, parum infuscatae, ad marginem posticum obscurius tinctae. Antennae fuscae, ad basin flavicantes. Pedes fusci, tibiis omnibus extus flavo-badiis.

BRACHYGASTRA Perty.

(DIPLOPTERA: VESPARIAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Mandibulae longiores, quam latae. Maxillae et labium inferius brevissima: hoc subquinquefidum. Scutellum grande, prominulum. Abdomen breve.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque breviores, flagello versus apicem crassiore, quam scapus plus duplo longiore. Caput breve, transversum, facie subplanata. Oculi elon-

gato-reniformes, intus emarginati. Ocelli tres distincti, in triangulum dispositi. Clypeus suborbicularis, muticus, antice subacuminatus. Mandibulae ad apicem quadridentatae. Maxillae brevissimae, rotundatae. Labium inferius maxillis longius, carnosum, obsolete subquinquefidum. Palpi omnes subaequales, filiformes. Prothorax brevissimus, subarcuatus, partibus humeralibus trigonis, majusculis. Tegula parvula, squamiformis. Metathorax postice recta truncatus. Scutellum prominulum, grande, transversum, subemarginatum. Abdomen brevissimum, thoracis tantum longitudine, crassum: segmento primo (petiolo) perbrevi, secundo maximo, reliqua contracta paene tota excipiente. Alae anteriores secundum totam longitudinem plicatae; stigmate parvulo, cellula radiali elongato-trigona, cubitalibus tribus completis, quarum prima sequentibus multo major est, secunda nervos duos recurrentes excipit. Pedes longitudinis et validitatis mediae.

Habitus Vespae, cui proxima, sed brevior, spissa. βραχύς, brevis, γαστήρ, venter.

Tab. XXVIII. f. 6. BRACHYGASTRA ANALIS. † Nigra, subtilissime albido-pubescens; abdominis segmentis ad marginem posticum flavis; alis ad basin flavicantibus. Lg. $3\frac{3}{4}'''$. Latit. alar. expans. $9\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput, thorax et scutellum nigra, punctulata, opaca. Abdomen nigrum: segmento primo subtiliter albo-pubescente; reliquorum tantum margines postici flavi conspiciuntur, cum basis nigra, semper in segmento praecedente contenta sit. Subtus nigra, segmentorum abdominalium margine postico nigro. Alae pellucidae: anticae flaveolae, nervis intensivius tinctis. Antennae et pedes nigri, tarsorum articulis flavis.

Observatio. Species hujus generis in museo conservatur altera, praecedente minor, B. scutellaris mihi nominata, tota nigra, alis fuliginosis, scutello flavo.

LIOGASTRA Perty.

(APIARIAE: CUCULINAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Mandibulae elongatae, subfalcatae, edentulae. Labium superius semicirculare. Glossa e maxillis, labio et palpis labialibus valde elongatis corporis dimidii longitudine. Scutellum muticum. Cellulae cubitales tres completae. Corpus glabrum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque breviores, crassiusculae, filiformes, non involutae. Caput breve. Oculi magni subreniformes. Ocelli tres distincti, fere linea recta

dispositi. Labium superius supra mandibulas inclinatum, transversum, antice subrotundatum, fasciculato-pilosum, spinis duabus antrorsum porrectis. Mandibulae labio duplo longiores, subfalcatae, acuminatae, edentulae, margine interno secante. Maxillae palpis labialibus satis breviores, ad medium geniculatae. Labium longissimum, vaginatum, ubi a palpis liberum, paraglossis breviusculis ensiformibus. Palporum labialium articuli duo primi longissimi, sequentes duo brevissimi ad apicem secundi externe inserti. Sectio labii inferiores interna palpis parum longior, filiformis. Prothorax brevis. Tegula satis magna, squamiformis. Pectus ad latera inflatum. Scutellum margine postico semicirculari, elevato. Abdomen totum glabrum, elongato-ovatum. Alae majusculae, cellula radiali grandi, elongata, cubitalibus tribus completis. Pedes satis robusti; tibiae anticae ad apicem emarginatae, appendice membranaceo instructae; tibiae posticae vix incrassatae, uti mediae constructae; tarsi omnes articulo primo maximo.

Genus ab omnibus hujus tribus satis distinctum. Nomen e verbis λεῖος, calvus, laevis et γαστὴρ, γάστρα, venter.

LIOGASTRA BICOLOR. † Capite, thorace et alis nigris; abdomine et pedibus ferrugineis. Lg. 11½‴. Latit. alar. expans. 19‴. Tab.XXVIII. f. 7.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput nigrum, infra oculos argenteo-micans, mandibulis apicem versus brunneis, trophis reliquis badiis. Thorax niger, parum nitidulus, marginulo antico albido-sericeo, metathorace griseo-pubescente. Abdomen nitidulum, glabrum, rufo-ferrugineum. Subtus uti supra tincta: pectoris lateribus albido-pubescentibus. Alae nitidae, nigrae, vix violaceo-micantes. Antennae articulis duobus primis atris, reliquis fuscis. Pedes antici nigricantes, tarsis rufescentibus; posteriores ferruginei, tenuiter pubescentes.

CHRYSANTHEDA Perty.

(APIARIAE: SOCIALES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Labium superius quadratum. Mandibulae tridentatae. Glossa e maxillis, palpis et labio conjunctis longissima. Palporum labialium articuli ultimi ad apicem secundi externe inserti. Tarsi postici articulo ultimo intus plano. Corpus glabrum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque multo breviores, filiformes. Caput majusculum, breviusculum. Labium superius quadratum, antice ciliatum. Mandibulae versus apicem carinatae, apice intus obtuse tridentato. Maxillae longissimae, angustissi-

mae, palpis labialibus similes. Palpi maxillares? Labium inferius longissimum, filiforme. Palpi labiales labii longitudine, articulis duobus primis longissimis filiformibus, duobus ultimis minutissimis, ad secundi apicem extus et lateraliter insertis. Oculi maximi subreniformes. Ocelli tres distincti, triangulo dispositi. Prothorax brevissimus, fere totus sub mesothorace occultus. Tegula satis magna, squamiformis. Scutellum prominens, transversum, grande, utrinque tuberculosum. Abdomen triangulare. Alae anticae cellula radiali magna, elongata, cubitalibus tribus completis, quorum secunda et tertia nervum recurrentem excipit. Pedes anteriores minuti, postici valde elongati et incrassati; tibiae anticae ad apicem spina bifurca et appendice membranaceo munitae; tibiae mediae intus ciliatae, ad apicem spina acuta munitae; tibiae posticae sicuti tarsorum articulus primus apicem versus dilatatae, intus planae, pubescentes, extus convexiusculae. Corpus totum, locis paucis exceptis, glabrum.

Exemplum speciei unius tantum unicum femininum vidi. Structura tibiarum posticarum, apis colligentis. Nomen genericum e verbis χρυσός, aurum, et ἀνθηδών, apis.

Tab. XXVIII. f. 8. CHRYSANTHEDA NITIDA. † Splendide viridi-aurea, nitida; alis fuscis. Lg. 9''' vix. Latit. alar. expans. 17'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Insectum pulcherrimum, eximium, splendidum. Caput aureo-viride, inaequale, punctulatum, mandibulis ad apicem nigris, trophis flavis, ocellis brunneis, pellucidis. Thorax splendide aureoviridis, nitidus, punctulatus, sulco medio longitudinali, parum profundo. Scutellum punctulatum, postice ciliatum, utrinque tuberculo laterali. Abdomen splendide aureo-viride, glabrum, sub lente subtiliter alutaceum, aculeo ferrugineo, ultra lineas duas longo. Subtus splendide viridi-aurea, unicolor, nitida, punctulata. Alae omnes nitidae, infuscatae, ad marginem anticum obscuriores. Antennae articulo primo viridi-cyaneo, reliquis fuscis. Pedes omnes viridi-aurei et praesertim postici punctulati; ad latus internum cyaneo-micantes, tarsis posticis intus fusco-pilosis.

CNEMIDIUM Perty.

(APIARIAE: SOCIALES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Glossa e maxillis, labio et palpis labialibus fere aequalibus corpore toto parum brevior. Tarsi antici fasciculato-pilosi. Tibiae posticae maximae, incrassatae, trigonae. Corpus depressum latum, glabrum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite thoraceque breviores, fractae, flagello quam scapus plus triplo

longiore. CAPUT breve, transversum, facie inaequali; clypeo fornicato, carinato. LABIUM SUPERIUS suborbiculare, fornicatum. MANDIBULAE breves, longiores quam latae, ad apicem acute tridentatae. MAXILLAE lineares, longissimae. PALPI MAXILLARES? LABIUM INFERIUS maxillis longitudine aequale, lineare. PALPI LABIALES longissimi, lineares, articulis nullis ad apicem insertis. OCULI maximi, subreniformes. OCELLI tres distincti, triangulo dispositi. PROTHORAX brevis. TEGULA squamiformis. MESOTHORAX latus, supra planus. SCUTELLUM valde magnum, transversum, muticum. ABDOMEN breve, latum, depressum, subtus segmento primo ad latera, ubi femora postica applicantur, laevissimo, glaberrimo. ALAE ANTICAE cellula radiali magna, elongata, cubitalibus tribus completis, quarum secunda et tertia nervum recurrentem excipiunt. PEDES ANTICI tenuiusculi, coxis exsertis, femoribus apicem versus tenuioribus, tibiis ad apicem appendice membranaceo-corneo instructis, tarsorum articulo primo longissimo, ciliato, sequentibus fasciculato-pilosis; tibiis mediis antice excavatis, sericeis; tarsorum mediorum articulo primo maximo, barbato, postice emarginato; tibiis posticis maximis, incrassatis, trigonis, intus planis sericeis, extus convexis, ad marginem externum excavatis, ciliatis; tarsi postici articulo primo valde magno, elongato-quadrato, interne sericeo.

Genus eximium, facillime distinguendum. Nomen genericum a verbo κνημίς, tibia.

CNEMIDIUM VIRIDE. † Viridi-coeruleo-aureum, ore pallido, tibiis posticis intus brunneo-violaceis. Lg. 5‴. Latit. alar. expans. 10‴. Tab. XXVIII. f. 9.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput aureo-viride, postice cyaneum, subtus albo-barbatum; inaequale, punctulatum, ocellis succineis, trophis pallidis, fronte supra ciliata. Thorax viridis, nitidulus, punctulatus, antice albo-pilosus. Scutellum cyaneum, postice albido-ciliatum. Abdomen cyaneum, apicem versus viridi-aureum; totum subtilissime punctulatum, sericans. Subtus viridi-aureum, punctulatum, nitidum, passim albido-pilosum. Alae albidae, vix infuscatae, nervis nigricantibus. Antennae fuscae, articulo primo subtus albo. Pedes aureo-virides, nitidi, albo-pilosi, tarsis anticis flavicanti-villosis, tibiis mediis antice nigris, tarsis extus viridi-aureis, dense albo-pilosis, intus fusco-brunneis; tibiis posticis extus viridi-aureis, punctulatis, intus laevigatis, violaceo-brunneis; tarsis posticis extus cyaneis, nitidis, fusco-ciliatis, intus fusco-brunneis, pilosis.

CROCISA RUFIPES. † Capite thoraceque nigris; abdomine aeneo; pedibus ferrugineis; alis ad apicem fuscis. Lg. 6‴. Latit. alar. expans. 12‴. Tab. XXVIII. f. 10.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput nigrum, fronte argenteo-pilosa, trophis ferrugineis, ocellis in linea fere recta dispositis. Thorax et scutellum bituberculatum nigra, postice albido-pilosa. Abdomen viridi-aeneum,

glabrum nitidum. Subtus fusco-brunnea, opaca, unicolor, pectoris lateribus albido-hirtis. Alae hyalinae, nervis nigricantibus, apice infuscato; squamulis radicem obtegentibus ferrugineis. Antennae ad basin ferrugineae. Pedes omnes rufo-ferruginei, tibiis extus aeneo-micantibus.

Tab.XXVIII.f.11. XYLOCOPA MOERENS. † Tota atra, hirta, opaca; abdominis segmentis duobus primis sulphureis. Lg. 14‴. Lat. alar. expans. 27‴.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

E magnis hujus generis. Tota atra, unicolor, abdominis segmento primo postice et secundo antice supra sordide sulphureis. Alae nitidae, atrae, cyaneo-micantes. Tibiae posticae incrassatae, villosissimae.

Tab.XXVIII.f.12. XYLOCOPA XANTHOCNEMIS. † Nigra; thorace antice flavo; abdomine nigro, olivaceo-pubescente; tibiis posticis incrassatis, densissime rufo-barbatis; alis cyaneis. Lg. 11½‴. Latit. alar. expans. 22‴.

Xylocopa flavicrus Tab. nostr.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Species elegans. Caput nigrum, mandibulis ad apicem quadridentatis, ferrugineis, ocellis distinctis, badiis. Thorax tomentosus, flavus, postice nigricans. Abdomen nigrum, pilis densissimis olivaceis obtectum. Subtus nigra, pectoris lateribus flavo-villosis. Alae micantes cyaneae, apicem versus dilutiores. Antennae capite longiores, nigrae. Pedes nigri, tibiis et tarsis anterioribus dilatatis villosis; tibiis et tarsis posticis valde dilatatis, ferrugineo-villosissimis.

Tab.XXVIII.f.13. CENTRIS SMARAGDINA. † Capite, prothorace et abdominis basi smaragdino-aureis; tibiis posticis crassissimis, ferrugineis; alis flavicantibus, nervis brunneis. Lg. 8½‴. Latit. alar. expans. 17‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput grande, latum, aureo-smaragdinum, mandibulis nigris, trophis reliquis badiis, ocellis paene obsoletis. Thorax antice smaragdino-aureus, suturis lateralibus flavido-ciliatis; postice fuscus, opacus, scutello maximo, mutico. Abdomen ad basin viride-aeneum, postice aurulentum. Pectus nigro-cyaneum. Abdomen subtus segmento primo violaceo, micante, reliquis aeneo-aureis. Alae flavicantes, nervis nigro-brunneis, apicem versus hyalinae. Antennae nigrae. Pedes antici violacei, nitidi; tibiae intus ad apicem squamula membranacea, tarsi ciliati, barba ferruginea apicali. Pedes medii nigri, passim violaceo-micantes, tarsorum articulo primo maximo, dilatato, extus argenteo-holosericeo. Pedes postici femoribus rectis, linearibus, tenuibus, tibiis crassissimis, ferrugineis, extus convexis, ad apicem emarginatis, intus planis; tarsorum articulo primo maximo, laminaeformi, postice ciliato.

EUGLOSSA DIMIDIATA Fabr. Atra; abdominis segmentis ad basin nigro-aeneis, ad marginem posticum flavido-tomentosis; ano et segmento penultimo rufo-pilosis; alarum dimidio basali piceo. Lg. 13½‴. Latit. alar. expans. 26‴. Tab. XXVIII. f. 14.

Fabricius, syst. Piezat. pag. 354. 1. Centris dimidiata.

Habitat circa Sebastianopolin.

Thorax tomento detrito nigro aeneus nitidus apparet. Occurrit valde minor, abdomine sine nitore metallico, verosimiliter neutrum.

LEPIDOPTERA.

FAMILIA: DIURNA.

PAPILIO MANLIUS. † Alis atris; supra fascia communi, et posticarum lunulis albis: his caudatis, supra maculis aliquot ad marginem internum, subtus stria marginali interna et maculis basalibus sanguineis. Latit. alar. expans. 3⅓″. Tab. XXIX. f. 1.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Pap. Equit. Achiv. Linnaei adscribendus. Affinis P. Torquato Cram., Pandroso God. Swains., Astyale God. et Torquatino Esper. (Die ausländischen Schmetterlinge etc. 1. Thl. pag. 206. tab. 51. f. 2.) Ab ultimo imprimis differt quoad paginam superiorem maculis pluribus sanguineis ad alarum posticarum marginem inferum, sicuti defectu punctorum sanguineorum in disco; in pagina inferiore alarum posticarum maculae plures et stria ad marginem internum sanguineae adsunt, P. Torquatino deficientes, qui vero maculas sanguineas in disco offert, quae in P. Manlio non conspiciuntur.

Alae anticae supra fusco-nigrae, fascia media antrorsum angustiore flavescenti-alba; postice dentatae, longecaudatae, fusco-nigrae, sericantes, paullo in atro-viride vergentes, fascia media lata et lunulis ad marginem posticum aliquot flavido-albis; stria ad marginem internum obsoleta, et maculis tribus posticis coccineo-roseis. Alae anticae in pagina infera, sicuti in supera, attamen obsoletius coloratae; posticae extra fasciam latam lunulas albas, maculas tres coccineas, quae in pagina superiore videntur, striam ad marginem internum et ad basin maculas quatuor coccineas offerunt. Corpus olivascenti-fuscum, stria utrinque humerali flavicante. Antennae nigrae, clava elongato-ovata.

Nomen Manlius quidem a Fabricio speciei hujus generis datum, quae vero mas Papil. Phorbantae Linn. est.

PAPILIO SYLLA. † Supra violascenti-fuscus, alis ad basin pallidioribus, infra marginem externum linea pallidiore; posticis longe caudatis; subtus alis omnibus ad dimidium basale margaritaceis, ad dimidium externum olivascenti-fuscis. Latit. alar. expans. 2½″. Tab. XXIX. f. 2.

Habitat prope Bahiam.

Pap. Equit. Achiv. Linnaei adscribendus. P. Mario Esper (Ausl. Schmett. tab. 42. f. 4.) quoad formam et magnitudinem simillimus, sed coloribus diversus. Alae anticae apice rotundato, margine externo antrorsum exciso; posticae ad marginem subdentatae, postice bicaudatae, cauda interna multo longiore. Supra totus brunneo-fuscus, certo situ paullo in violaceum vergens, versus basin alarum dilutior, et ibi praesertim in alis anticis lineae aliquot transversae nigrae apparent. Margo alarum externus brunneus, linea latiuscula fusca. Ad marginem posticum alarum posticarum sesquilinea pallida conspicitur et plaga parva e squamulis cinerascentibus ad marginem internum. Caudae internae ferrugineae. Subtus ad basin late argenteo-margaritaceus, lineis tribus subtilissimis transversis fuscis. Plaga margaritacea extus a linea lata ochraceo-ferruginea terminatur, quae iterum linea angusta nigra, quasi e semilunulis contiguis composita limbata est. Alae omnes dimidio externo violascenti-aut olivaceo-fuscae, multo dilutiores, quam in pagina superiore, limbo externo pallidiore, et linea obscuriore media; posticae macula subocellari ad apicem. Corpus supra nigrum, subtus cum pedibus niveum. Palpi subtus nivei. Antennae nigrae, clava elongata.

Tab. XXIX. f. 3. PAPILIO ZONARAS. † Supra nigro-virens: alis anticis sesquiserie macularum virescenti-albidarum ad marginem externum; posticis dentatis, fascia maculari media et lunulis ad marginem virescentibus; subtus alis posticis maculis ad basin et lunulis ad marginem coccineis. Latit. alar. expans. 3½''.

Habitat ad Amazonum flumen.

Equit. Troj. Linnaei adscribendus, affinis P. Aristeo Cram. Esp. (l. c. tab. 38. f. 1.) sed notis gravibus distinctus. Supra chalybeo-nigro-viridis, sericans, alis anticis elongatis ad marginem externum parum emarginatis, serie externa et interna dimidiata macularum diffluentium virescenti-albidarum; posticis dentatis, paullo laetius tinctis, fascia media interrupta e maculis satis magnis et lunulis ad marginem posticum non rite expressis albido-virentibus. Subtus fuscus, fascia obsoleta et maculis pluribus in alis anticis flavescentibus, maculis aliquot ad basin et lunulis aliquot ad marginem posticum alarum posticarum laete coccineis. Corpus fusco-nigrum, prothorace maculis quatuor viridi-flavis, abdomine olivascente; medipectore macula utrinque citrina. Antennae nigrae, clava depressa, subelongata. Pedes nigri.

Tab. XXIX. f. 4. COLIAS GODARTI. † Alis subrotundatis, supra virescenti-albis: anticis macula magna marginali citrina, puncto nigro aurantiaco-limbato; posticis subcaudatis puncto medio nigro, aurantiaco-cincto. Latit. alar. expans. 3¾''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

E maximis hujus generis, magnitudine C. Leachianae God. Swains. (Zoolog. Illustr. tom. 1. tab. 6). Alae anticae ad marginem posticum emarginatae, supra ad basin pube nivea tectae; virescenti-albidae, macula magna subquadrata media citrina ad marginem anticum, et ad ejus latus externum macula valde parva laete aurantiaca, punctum nigrum includente. Alae posticae sub-

angulatae, subcaudatae, supra virescenti-albidae, ad basin pube copiosa tectae, puncto discoideo aurantiaco, punctum minus nigrum includente. Subtus albido-viridis, macula parva fere media carnea in alis omnibus. Corpus cum pedibus albidum. Antennae nigrae.

HELICONIUS DUVALII. † Alis elongatis, integris, nigris: anticis supra ad discum lilacinis, sesquistria ad marginem anticum et maculis aliquot pellucidis, macula ad marginem posticum aurantiaca; posticis fascia marginali lata aurantiaca. Latit. alar. expans. 23'''. Tab. XXX. f. 1.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Alae anticae fusco-nigrae, plaga a basi usque ad medium margines non attingente lilacina sericeo-micante, sesquilinea infra marginem anticum nigrum pellucida, maculis tribus fere conjunctis ante apicem et aliquot infra apicem pellucidis, sublilacinis. Macula ad angulum posticum aurantiaca quasi cum fascia alarum posticarum confluit. Alae posticae nigrae, striis duabus e basi orientibus dimidiatis et maculis tribus parvis pellucidis, macula ad basin longitudinali et fascia ad marginem posticum latiuscula aurantiaca, margine ipso angusto nigro. Alae subtus uti supra sed obsoletius coloratae, plaga anticarum lilacina vix conspicua. Corpus cum pedibus fuscum. Antennae fere corporis longitudine, clava parum crassa, satis elongata.

Vocatus in honorem celeberr. Lepidopterologi, Dom. Bois Duval, Parisiensis.

ACRAEA PHLEGETONTIA. † Alis elongatis, integris, nigris, albopunctatis: basi, fascia anticarum, et striolis duabus posticarum infra marginem externum fulvis. Latit. alar. expans. 26'''. Tab. XXX. f. 2.

Habitat in Brasilia australi.

Species pulchra, valde elegans. Quamvis quoad colores affinis Pap. Dan. Phlegiae Cram. (Papil. exotic. tab. 197. F.) quam celeberr. Godart et Latreille Heliconiis adscripserunt, (Encyclop. method. tom. IX. p. 226.) haec species tamen Acraeis mihi adnumeranda videtur. Alae anticae supra fusco-nigrae, ad basin laete badio-fulvae, fulvedine medium non attingente; fascia infra apicem, marginem anticum et posticum non attingente badio-fulva; albo-punctatae, punctis ad basin minoribus, seriebus duabus ex punctis albis remotis ad marginem externum. Alae posticae sicuti anticae coloratae, attamen fulvedine ad basin in spatium multo minus inclusa, et fasciae posticae tantum vestigium, nempe striolae duae badio-fulvae adsunt. Subtus uti supra coloratae, fulvedine vero magis dilatata, fascia anticarum integra, latiore, posticarum subintegra. Caput et thorax nigra, humeris et punctis duobus in mesothorace badio-fulvis. Abdomen dorso nigro, punctorum alborum serie longitudinali, lateribus fulvis. Pectus nigrum, albo-punctatum. Venter medio nigro, albo-punctato, lateribus fulvis. Antennae nigrae, capite et thorace dimidio longiores, clava valde distincta, elongata. Pedes nigri, puncto ad basin et genubus albis.

POLYOMMATUS VALENS Fabr. Alis supra fuscis, nitidis, subtus testaceis, Tab. XXX. f. 3.

maculis sanguineis, auro-punctatis et fascia ad marginem posticum aurata. Latit. alar. expans. 13‴.

♂ *macula in alarum anticarum pagina superiore circulari albida, subpellucida. Pap. valens Fabr.*

♀ *alis anticis supra fuscis, unicoloribus. P. formosus Cram. Fabr. Encyclop. meth. tom. IX. pag.* 644.

Habitat prope Bahiam.

Tab. XXX. f. 4. BIBLIS HESPERIA. † Alis supra atris: anticis macula magna transversa coccinea, posticis disco splendide coeruleo, margine postico dentato. Latit. alar. expans. 18 — 20‴.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Species splendida, corpore crassiusculo, et habitu paullum ad Hesperias inclinans. Alae anticae angulatae, integrae, supra nigrae, ad basin cyanescentes, macula media magna transversa, fasciae simili laete coccinea; posticae subangulatae nigrae, disco et puncto parvo postico splendide coeruleis, micantibus; margine postico dentato, marginulo extremo albo. Alae subtus nigrae: anticae macula magna transversa et puncto roseo-coccineis, margine antico ad basin et stria curvata ante apicem testaceis; posticae circulis duobus incompletis testaceis et in interno puncto testaceo et tribus coeruleis medio albis, striola coerulea interrupta ad marginem internum posticum circuli exterioris. Corpus supra nigrum, subtus linea media abdominali et pectoris utrinque laterali testaceis. Antennae nigrae, clava elongato-subfusiformi. Pedes nigri, antici pectori applicati, subtus albo-barbati.

Tab. XXX. f. 5. HESPERIA VERSICOLOR Latr. God. Atra; abdomine alisque coeruleo-fasciatis; alis anticis fascia rubra maculisque duabus flavidis. Latit. alar. expans. 27‴. *Encyclop. method. Insect. tom. IX. pag.* 735.

Habitat prope Bahiam.

Tab. XXX. f. 6. HESPERIA SCT. HILARII God. Alis supra ferrugineis, infra nigris; anticis maculis fenestratis, nigro marginatis; posticis intus truncato-productis, supra nigro-punctatis, infra flavido-fasciatis. Latit. alar. expans. 26‴. *Encyclop. method. Ins. tom. IX. pag.* 737.

Habitat ad Amazonum flumen.

Exemplum meum bene cum descriptione in Encyclopaedia convenit, sed alarum pagina infera pallide nigra, fascia in anticis ante apicem obsoleta griseo-caesia. Alae anticae subtus ad basin flavicantes. Alae posticae supra punctis nigris confluentibus et paene fasciam formantibus; subtus pone fasciam nigram, quae secundam flavam terminat, adhuc tertia angusta flavo-virente.

CASTNIA LATREILLEI God. Alis integris, atris, nitidis: anticis fascia albida, obliqua, bifida; posticis vitta longitudinali arcuque maculari caesiis. Latit. alar. expans. 5 1/4''. Tab. XXX. f. 7.

Encyclop. method. Insect. tom. IX. p. 797.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

CASTNIA EUPHROSYNE. † Alis integris, fusco-nigris, nitidulis: anticis sesquifascia, posticis macula magna flavis: his macularum aurantiacarum serie ad marginem posticum. Latit. alar. expans. 28'''. Tab. XXXI. f. 1.

Habitat ad flumen Amazonum.

Quoad colores et forma C. Eualthe Hbst. Pap. Dardano Cram. simillima, sed multo minor, et colorum distributione diversa. Alae anticae fusco-nigrae, chalybeo-micantes, fascia media integra postice rufescente et externa dimidiata angustata flavis, angulo postico e squamulis albido-ciliato. Alae posticae fusco-nigrae, sine nitore, macula paene media flava, cum margine interno rufescente confluente, serie ad marginem posticum e maculis aurantiacis extus sensim minoribus, marginulo extremo e squamulis fusco-ciliato. Alae anticae subtus pallidiores, ad apicem rufescentes, fascias flavas sicuti in pagina superiore offerentes. Alae posticae subtus ferrugineo-rufae, nervis nigris, macula media et tribus parvis externis flavis, marginulo postico e squamulis nigro-ciliato. Corpus supra fusco-nigrum, abdomine rufescente, ano ferrugineo; subtus cum pedibus rufescens. Antennae nigrae, clava subtus rufescente.

CASTNIA SPIXII. † Alis integris, supra fusco-nigris: anticis fascia angusta, posticis latissima obliquis albis. Latit. alar. expans. 40'''. Tab. XXXI. f. 2.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

C. Eualthes magnitudine. Alae anticae supra fusco-nigrae, squamulis et pilis ad basin paucis coeruleo-micantibus, fascia obliqua media alba; subtus brunnescentes, ad basin et apicem pallidiores, fascia media obliqua et macula angulosa ante apicem albis. Alae posticae supra fusco-nigrae, fascia obliqua retrorsum latiore; subtus griseo-brunnescentes, subargenteo-micantes, fascia obliqua alba uti in pagina superiore. Corpus supra fuscum, abdomine albido; subtus albidum. Antennae et pedes flavicantes.

Observatio. Castnias, Agaristas etc. Diurnis adscribo. Spina posticarum alarum, quae hic invenitur, et e contrario Phalaenis quibusdam deficit, judicium meum non determinare potest. Habitus, alarum forma, antennarum structura, vivendi modus, imo etiam colores clare indicant, genera supra dicta de Crepusculariis ad Diurna revocanda esse.

FAMILIA: CREPUSCULARIA.

SPHINX CHLOROPTERA. † Alis anticis brunneo-griseis, ad apicem postice biemarginatis; posticis viridibus, apice late nigro. Latit. alar. expans. 27 1/2'''. Tab. XXXI. f. 3.

Habitat in Brasilia australi.

Sphinx genuina, divisioni I^mae^. subdiv. II^dae^. (Encyclop. method. Insect. tom X. pag. 465.) adscribenda. Alae anticae supra olivaceo-brunnescentes, lineis aliquot tenuibus, anguloso-undulatis fuscescentibus, margine apicali bisinuato, sinu antico majore; subtus ad basin olivascentes, ad medium brunneae, ad apicem dilutiores, linea ante apicem tenui undulata fusca. Alae posticae supra virides, ternione apicali nigra, subtus ferrugineo-brunnescentes, lineis aliquot transversis obscuris, margine interno virescente. Corpus supra fusco-virens, subtus albicans, fasciculo pilorum anali e lateribus compresso. Antennae et pedes griseo testacei.

Tab. XXXI. f. 4. GLAUCOPIS ACROXANTHA. † Coerulea; alis hyalinis, nigro-marginatis: anticis fascia nigra; antennis nigris, ad apicem flavis. Latit. alar. expans. 21‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Tota nigra, squamulis coeruleis micantibus obtecta. Alae anticae hyalinae, nervis longitudinalibus, fascia media, et margine undique nigris: hoc postico latiore. Alae posticae hyalinae, nervis et margine undique nigris. Abdomen supra utrinque ad latera punctis, subtus maculis quatuor niveis. Fasciculus pilorum ad anum nullus. Antennae corpore breviores, obsolete serratae, ad medium incrassatae, ad apicem attenuatae, dimidio basali nigro, apicali flavo, apice ipso fusco. Pedes coerulei, tarsis fuscescentibus.

Tab. XXXI. f. 5. GLAUCOPIS XANTHOGASTRA. † Nigra, coeruleo-micans; abdomine aurantiaco, ad basin nigro; alis nigro-marginatis. Latit. alar. expans. 20‴.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Caput parvum, coeruleo-micans. Thorax niger, passim coeruleo-nitidus. Abdomen ad basin nigrum, macula utrinque coerulea, segmentis reliquis splendide aurantiacis. Alae hyalinae, dimidio apicali flavescente, nervis et margine undique nigris. Corpus subtus uti supra coloratum. Antennae nigrae? Pedes nigri, praesertim antice coeruleo-micantes.

Tab. XXXI. f. 6. GLAUCOPIS HAEMATICA. † Nigra; maculis duabus humeralibus et una in prothorace coccineis; alis hyalinis, undique nigro-marginatis. Latit. alar. expans. 13‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput cum palpis et lingua nigrum. Thorax fusco-niger, macula utrinque humerali et una postica laete coccineis. Abdomen fusco-nigrum, valvulis brunneis. Alae omnes hyalinae, nervis et margine undique lato fuliginoso-nigris. Subtus albido-farinosa. Antennae setaceae, nigrae, duplicato-pectinatae. Pedes nigri, femoribus subtus albis.

Tab. XXXI. f. 7. GLAUCOPIS TRISTISSIMA. † Atra; alis hyalinis, nervis et margine undique nigris. Latit. alar. expans. 12‴.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Corpus crassiusculum, supra totum atrum, opacum, punctis duobus parvis sanguinolentis in metathorace. Tegulae maximae, extus villosae. Alarum anticarum margo posticus et posticarum anticus latior, niger. Subtus albido-farinosa. Antennae corporis dimidio longiores, setaceae, bipectinatae, nigrae. Pedes nigri, coxis et genubus albido-farinosis.

GLAUCOPIS CRUENTA. † Nigra; tegulis et abdominis basi sanguineis; abdomine postice albo-punctato; alis hyalinis, coccineo-marginatis: anticarum apice obscuriore. Latit. alar. expans. 14'''. Tab. XXXI. f. 8.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput nigrum. Thorax niger, tegulis coccineis. Abdomen ad basin coccineum, linea dorsali nigra; postice nigrum, punctis quatuor dorsalibus niveis. Subtus cum pedibus nigra, abdomine punctis utrinque aliquot niveis. Alae hyalinae, nervis nigris, costa et apice lato nigro-sanguineis, margine postico coccineo. Alae posticae disco hyalino, undique margine lato coccineo; marginulo postico extremo e squamulis fusco-ciliato. Antennae nigrae, bipectinatae, apice niveo. Pedes fusci, tarsis posticis articulis ultimis albidis, spinis tibiarum posticarum ante apicem geminis satis magnis.

GLAUCOPIS VESPARIA. † Testacea; thorace fusco-vario, abdomine coeruleo-punctato; alis flaveolis, nervis et margine tenuissimo fuscis. Latit. alar. expans. 16'''. Tab. XXXI. f. 9.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput cum palpis satis magnis testaceum, oculis nigris. Thorax testaceus, fusco-varius, tegulis satis magnis, supra concavis, undique ciliatis. Abdomen incrassatum, glabriusculum, fuscescenti-testaceum, macula utrinque coerulea in omnibus segmentis. Subtus cum pedibus testacea, coxis extus coeruleo-micantibus. Alae flavido-pellucidae, nervis omnibus et marginulo tenui fuscis. Antennae bipectinatae, fusco-testaceae.

GLAUCOPIS CHRYSOGASTRA. † Alis hyalinis, undique nigro-marginatis; abdomine medio coccineo, dorso flavo-punctato; ano pilorum fasciculo; subtus laete flava. Latit. alar. expans. 18'''. Tab. XXXI. f. 10.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput cum antennis nigrum. Thorax fusco-pilosus, linea media interrupta flava. Abdomen supra coccineum, ad apicem nigrum, fasciculo denso valde magno e pilis seu squamulis valde elongatis; dorso angusto nigro, macula parva flava ad basin segmenti primi, secundi et tertii; puncto utrinque laterali nigro in segmentis omnibus. Subtus cum pedibus splendide flava, subsericans. Alae pellucide hyalinae, vix flavicantes, nervis et margine undique tenui, ad apicem anteriorum parum latiore, nigro. Spinae tibiarum posticarum satis conspicuae.

Tab. XXXI. f. 11.

GLAUCOPIS LEUCOSTIGMA. † Aenea; metathorace punctis quatuor albis; alis nigris, anticis ad basin aeneis; tibiis et tarsis posticis compressis. Latit. alar. expans. 16½‴.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Affinis videtur Sp. Helymus Cram. Pap. Exot. tab. 2. fig. D. E. Caput nigrum, passim aeneo-squamulosum, punctis duobus albis sub antennis, palpis satis magnis, infra albis, lingua nigra. Thorax aeneo-squamulosus, metathorace punctis quatuor albis. Abdomen aeneum, nitidulum, puncto segmenti primi utrinque laterali albo; fasciculo parvo utrinque ad anum parum denso e pilis fuscis. Subtus farinoso-nivea. Alae anticae supra dimidio basali aeneo squamuloso, micante; dimidio apicali fusco-nigro; infra colore aeneo splendidiore, et nigro pallidiore. Alae posticae supra fusco-nigrae, infra splendide aeneae. Antennae nigrae, bipectinatae. Pedes antici supra et extus aenei, infra albi; postici nigri, femoribus tenuibus, tarsorum apice albis; tibiis et tarsis valde magnis, elongatis, compressis, spinis tibiarum ante apicem satis conspicuis.

Tab. XXXI. f. 12.

GLAUCOPIS SPHINGIDEA. † Alis anticis brunneo-fuscis, vitta lata testacea; posticis testaceis, ad marginem internum posticum fuscis. Latit. alar. expans. 14½‴.

Habitat ad ripas fluminis Rio negro dicti, Provincia ejusdem nominis.

Corpus crassiusculum, fuscum, tegulis flavis, abdomine nigro-coeruleo, passim squamulis coeruleis micante, ad apicem utrinque fasciculo pilorum parvo munito. Alae anticae angustae, elongatae, supra et subtus brunneo-fuscae, vitta per totam longitudinem lata testacea, subpellucida. Alae posticae breves, subovatae, supra et subtus testaceae, margine postico interno et marginulo extremo antico brunneo-fuscis. Subtus fusca, squamulis coeruleo-micantibus passim obsita. Antennae fusco-nigrae, insigniter bipectinatae. Lingua satis apparens, spiraliter convoluta. Pedes obscure testacei, spinis tibiarum posticarum acutis, inaequalibus.

Tab. XXXI. f. 13.

GLAUCOPIS BOMBYCINA. † Corpore fusco-nigro, capite, thorace et abdominis apice coccineis, alis fusco-nigris, imperspicuis. Latit. alar. expans. 25‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput miniato-coccineum, oculis nigris. Thorax miniato-coccineus. Tegulae fusco-villosae, maximae, linea media pallida. Abdomen nigrum, segmento primo ad basin et duobus ultimis coccineis. Alae latiusculae, grandiusculae, imperspicuae, supra fusco-nigrae, subviolaceo-micantes, marginulo extremo postico externo albo; anticae striola basali ad marginem anticum pallida; omnes subtus uti supra coloratae, sed striola anticarum basali deficiente. Corpus subtus nigro- et coccineo-varium, abdomine linea utrinque laterali interrupta pallida. Antennae nigrae, valde elongatae, insigniter bipectinatae, articulo basali infra coccineo. Palpi inferi articulo primo nigro, ad medium coccineo-piloso, secundo coccineo, tertio multo minore, subaciculato, coccineo. Lingua spiralis satis elongata, fusca. Pedes coxis coccineis, femoribus nigris, ad apicem coccineis, tibiis et tarsis nigris, coccineo-annulatis.

GLAUCOPIS SERICARIA. † Thorace antice flavo, postice coccineo-piloso, abdomine albo-annulato; alis nigris, ad basin flavis: anticis fasciis duabus macularibus, posticis macula lunata albis. Latit. alar. expans. 21'''. Tab. XXXI. f. 14.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput nigrum, prothorax flavus, mesothorax nigro-pilosus, metathorax postice coccineo-pilosus. Abdomen nigrum, margine segmentorum postico flavido-albo. Alae anticae supra et subtus nigrae, ad basin flavido-albae, fasciis duabus macularibus albis, subpellucidis: externa longiore, interna saepius valde abbreviata; posticae nigrae, fascia abbreviata, sublunata, alba, subpellucida. Pectus nigrum. Venter niger, segmentorum marginibus posticis flavo-albis. Antennae nigrae, valde elongatae, insigniter bipectinatae. Palpi inferi caput superantes, nigri, articulo ultimo multo magis elongato quam in specie praecedente, acuminato. Lingua spiralis nigra, satis elongata.

Observatio. Hoc genus speciebus in Brasilia abundans in posterum in plura dividi poterit. Typi plures satis distincti in eo reperiuntur, cum aliis se conjungentes, et ad genera procul distantia ducentes. Species alis plus minusve vitreis, sicuti G. acroxantha, xanthogastra, haematica, tristissima, cruenta, vespiformis mihi, haemorrhoidalis, coarctata Linn. melas, Pheres, Leucaspis Cram. etc. Sesiis respondent, et eorum locum in haemisphaerio novo obtinent; G. leucastigma mihi, Helymus, Alecton Cram. etc. et aliae hic indescriptae, squamulis metallicis obtectae, affinitatem cum Procride exhibent, dum Halys Cram. et sphingidea mihi paullum in Sphinges inclinant; G. inaurata et Meones Cram. etc. cum G. bombycina et Sericaria mihi sese conjungunt, quae ad Bombycides transducere videntur, et aliae species, sicuti G. Lucetius Cram. et tres indescriptae ad aliam Phalaenarum tribum, et imprimis in Callimorphae genus habitu et coloribus intendunt. Species plurimae ad genera haec quinque aut sex rite extricanda comparandae sunt.

FAMILIA: NOCTURNA.

SATURNIA MARTII. † Alis anticis patentibus subfalcatis, ad basin griseo-brunneis; fascia ante apicem latissima sublunata brunnea; macula parva nigra et adjacente alba apicali. Latit. alar. expans. 7''. Tab. XXXII. f. 1.

Habitat in Provincia Paraensi.

E speciebus majoribus, sine maculis fenestratis. Corpus totum grisescenti-brunneum, villosum, subsericans. Alae totae patentes: anticae elongatae, subfalcatae, supra ad basin villosae, ochraceo-brunneae, striga duplici obsoleta obscuriore; dein unicolores, brunnescenti-griseae, fascia totam alam percurrente brunnea sublunata intus convexa, extus concava, loco latissimo paene tertiam alae longitudinis partem obtinente; margine fasciae externo linea fusca et dein flava; regione apicali et marginali postica intus sublilacina, extus ferrugineo-brunnea; macula parva nigra et adjacente minore alba, arcubus tribus fuscis et tribus externis lilacinis ad apicem; subtus dilutiores, brunneae, lineis duabus transversis, externa obscuriore et macula apicali sicuti arcubus obsoletis paginae superioris. Alae posticae supra ad basin grisescenti-brunneae, villosae, parte media fusca, extus sublilacina, linea transversa pallida et fusca geminis terminata, et fascia angusta undulata ochracea utrinque nigro-marginata, regione apicali ferrugineo-ochracea; subtus dilutiores,

linea transversa fusca et altera duplici postica, spatium dilutiorem includente, extus flavescenti-marginata. Antennae testaceae, insigniter bipectinatae. Pedes omnes fusco-ochracei.

Tab. XXXII. f. 2. BOMBYX DAPSILIS. † Corpore flavo-rufoque vario: alis anticis supra ad basin sanguineo-et flavo-variis, ad medium hyalinis, ad apicem miniatis; posticis intus roseis, extus hyalinis. Latit. alar. expans. 10'''.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Statura et coloribus fere B. vitreae Cram. Pap. Exot. tab. 276. C. sed multo minor. Corpus supra totum squamulis et pilis rufis et flavis obtectum. Alae anticae supra ad basin e squamulis densis miniato- et flavo-variegatae, medio tenuiores, albae, subpellucidae, macula apicali miniata, et apice extremo sicuti marginulo antico flavis; subtus uti supra, sed squamis multo parcioribus obsoletius tinctae. Alae posticae in pagina superiore intus rosaceae, extus albae, subpellucidae; subtus albae, vix rufescentes. Corpus subtus flavido-album. Antennae miniatae, pectinatae. Palpi labiales miniati, apicem versus incrassati. Pedes albi, tibiis anticis miniatis.

Tab. XXXII. f. 3. SERICARIA LEPTOPTERA. † Capite, thorace abdomineque nigris: hoc vitta utrinque flavida; alis patentibus, elongatis; anticis luteis: nervis, fasciis duabus obsoletis et apice fuscis; posticis flavis: nervis et margine externo flavo-punctato nigris. Latit. alar. expans. 32'''.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput nigrum. Thorax niger, macula utrinque humerali flava. Tegulae fasciculo e pilis longis nigris. Abdomen elongatum, cylindricum, nigrum, vitta utrinque latiuscula sulphurea per totam longitudinem. Alae omnes angustulae, elongatae: anticae supra et subtus luteae, nervis, fasciis duabus obsoletis, et apice lato nigris, hoc punctis aliquot obsoletis flavis; posticae supra et subtus laete flavae, nervis et margine postico lato nigro: hoc serie e punctis inaequalibus flavis. Pectus fuscum. Venter flavido-farinosus, linea longitudinali media fusca. Antennae nigrae, tenuiter denticulatae. Palpi labiales reflexi, nigri. Pedes fusci.

Nota. De genere adhuc dubito. Forsan haec species cum alia adhuc indescripta (S. minor mihi) proprium genus constitutura.

Tab. XXXII. f. 4. CHELONIA CRUCIFERA. † Alis anticis nigris, cruce alba, subpellucida; posticis albis, macularum coccinearum serie ad marginem posticum. Latit. alar. expans. 21'''.

Habitat in montibus Prov. Minarum.

Caput nigrum. Thorax fuscus; prothoracis arcu flavido. Abdomen fuscum, maculis utrinque quinque sulphureis, fasciculo anali e pilis ferrugineis. Alae anticae supra et subtus nigrae, vitta per totam longitudinem et fascia ante apicem illam secante albis, subpellucidis; posticae supra et subtus albae, subpellucidae, margine anteriore fusco, maculis sublunatis confertis coccineis intus

nigro-extus albo-marginatis ad marginem posticum. Subtus ad basin alarum omnium macula coccinea conspicitur. Corpus subtus cum pedibus grisescenti-fuscum. Antennae nigrae, bipectinatae. Palpi labiales nigri, articulo ultimo satis incrassato, piloso. Lingua spiralis fere nulla.

LITHOSIA TRICHOPTERA. † Corpore alisque isabellino-flavis; antennis, oculis, alarum anticarum costa et tibiis fuscis. Latit. alar. expans. 1''. Tab. XXXII. f. 5.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Lepidopteron singulare. Corpus totum flavum. Oculi fusci. Alae omnes supra et subtus melino-flavae, praesertim ad basin subpellucidae, pilis et squamulis tenuissimis obtectae, ad marginem et apicem saturatius tinctae. Antennae filiformes, fuscae, ad basin flavicantes. Lingua spiralis valde elongata, flava. Palpi labiales flavi, articulo ultimo compresso, subacuminato. Pedes nigricantes, coxis et femoribus subtus flavis.

CALLIMORPHA DICHROA. † Alis nigris; anticis vitta ad dimidium et macula magna, posticis vittis duabus laete flavis. Latit. alar. expans. 16'''. Tab. XXXII. f. 6.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Prov. ejusdem nominis.

Corpus totum supra nigrum. Tegulae flavae, fasciculo apicali e pilis nigris. Abdomen cylindricum, angustum, satis elongatum. Alae omnes supra uti infra tinctae, nigrae: anticae vitta a basi usque ad dimidium sensim latiore, et macula magna, fere fasciam simulante ante apicem, posticae vittis duabus, quorum interna angusta, laete aureo-flavis, sine splendore. Corpus subtus nigrum, flavo-varium. Antennae nigrae, bipectinatae. Palpi labiales articulo ultimo elongato, tenui, cylindrico. Lingua satis elongata, spiraliter convoluta, nigra. Pedes fusci.

CALLIMORPHA NERVOSA. † Alis anticis flavis, nervis et apice lato nigris; posticis nigris. Latit. alar. expans. 15'''. Tab. XXXII. f. 7.

Habitat in Provincia St. Pauli.

Corpus totum fusco-nigrum. Alae anticae laete flavae, nervis longitudinalibus, costa, marginulo postico et apice lato nigris; infra nervis nigris exceptis uti supra tinctae; posticae supra et subtus nigrae, unicolores. Antennae nigrae, insigniter bipectinatae. Lingua spiralis satis elongata, nigra. Palpi labiales articulo ultimo porrecto, attenuato. Pedes nigri.

EREBUS JUNONIUS. † Alis patulis, latiusculis, brunneo-testaceis: lineis pluribus undulatis, maculis pluribus, et punctorum serie marginali fuscis. Latit. alar. expans. 42'''. Tab. XXXII. f. 8.

Habitat ad Amazonum flumen.

Statura et coloribus Ph. Noct. Opigenae Drury, Ins. tom. II. tab. 22 f. 4. affinis. Corpus totum supra griseo-flavescens; capite obscuriore, infra cum pedibus grisescenti-album. Alae anticae ad marginem

posticum oblique descissae; supra griseo-flavescentes, costa ad basin nigricante, lineis quatuor undulatis transversis, quarum anteriores obsoletae sunt; maculis pluribus, majore ad apicem et punctorum serie infra marginem posticum fuscis. Alae posticae margine postico fere recta truncato, sicuti anticae tinctae, sed sine maculis fuscis. Alae omnes subtus grisescentes, linea transversa et serie infra marginem posticum e punctis fuscis. Antennae longiusculae, filiformes, griseo-flavescentes. Palpi labiales maximi, sursum recti, articulo ultimo quam praecedens multo tenuiore, compresso, ad apicem subclavato, nigricante. Lingua spiralis ferruginea.

GONIAPTERYX Perty.

(NOCTURNA: NOCTUAELITES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi labiales maximi, reflexi, compressi, articulo ultimo lato, truncato. Alae anticae plus minusve angulosae.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae filiformes, corpore breviores. Palpi labiales maximi, compressi, reflexi, articulo primo vix conspiciendo, secundo maximo, compresso, medio dilatato, ultimo quam praecedens breviore, latiore, ad apicem truncato. Glossa satis elongata, cornea, spiraliter convoluta. Alae anticae margine antico arcuato, apice truncato et margine postico sinuosis; posticae apice rotundato. Mesothorax squamulis in cristam elevatis. Corpus ovato-cylindricum. Pedes omnes completi: tibiae posteriores calcaribus valde magnis.

Nomen genericum e verbis γωνία, angulus et πτέρυξ, ala. Praeter speciem hic depictam huic generi etiam Ph. Servia et Sergilia Cram. adscribendae sunt.

Tab. XXXII. f. 9. GONIAPTERYX TULLIA. † Alis anticis ferrugineis, macula ad basin nigrá, puncto ad apicem flavo. Latit. alar. expans. 20'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Exemplum nostrum forsan varietas Ph. Serviae Cram. (Papil. Exot. tab. 321. C. D. E.) sed macula nigra et punctum flavum in exemplis ibi depictis non unacum inveniuntur. Alae anticae ferrugineae, squamulis nigris, griseis et albis raro intermixtis, macula fusco-nigra pone basin, marginem anticum attingente et puncto laete flavo ante apicem in angulo postico. Alae posticae pallide fuscae, apicem versus obscuriores; omnes subtus brunnescenti-griseae, squamulis nigris conspersis, margine anticarum apicali angustissimo fusco, et puncto flavo paginae superioris obsolete pellucido. Corpus supra ferrugineum, subtus cum pedibus album. Antennae flavo-ferrugineae. Pedes ochracei, tibiis et tarsis albis.

NOCTUA MELANOGRAMMA. † Alis anticis flavis, lituris tribus nigris, ad apicem late aeneo-fuscis: fascia angusta aurea; posticis flavis, fascia apicali lata aeneo-fusca. Latit. alar. expans. 12‴. Tab.XXXII. f.10.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Caput flavum, oculis nigris. Thorax et abdomen flava. Alae anticae supra ultra dimidium flavae, lituris tribus nigris, costam attingentibus, et quarta ad marginem V reversum ostendente; apice lato aeneo-fusco: vitta ante apicem et marginulo tenui fuscedinis interno aureo-fulvis; subtus flavae, micantes, lituris duabus, fascia ante apicem et marginulo apicali ipso nigris; alae posticae supra flavae, fascia lata ante apicem, marginem posticum vero non attingente, aeneo-fusca; infra flavae, fascia extus attenuata et macula externa fuscis. Corpus subtus albidum, abdomine utrinque maculis nigris. Antennae nigrae. Palpi supra nigri, infra flavi. Pedes albidi, femorum et tibiarum apice nigro, tibiis anticis et tarsis omnibus albo-nigroque annulatis.

PHALAENA PERSPICILLUM. † Alis flavis, nigro-maculatis, maculis nigris rotundatis, aut ovatis: his intus pallidioribus, punctum centrale simplex aut duplex nigrum includentibus. Latit. alar. expans. 23‴. Tab.XXXII. f.11.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Prov. ejusdem nominis.

Caput et thorax nigra. Abdomen flavum, ad apicem nigrum. Alae omnes rotundatae, in pagina utraque flavae, supra maculis nigris, quae praesertim in anticis ovatae, intusque pallidiores sunt, et punctum simplex, duplex aut triplex nigrum includunt; infra maculis omnibus nigris, sine puncto centrali. Corpus cum pedibus subtus griseo-fuscum. Antennae nigrae.

PYRALIS BAHIENSIS. † Alis gilvis: anticis ad apicem truncatis, vitta lata abbreviata fusca, in medio interrupta. Latit. alar. expans. 11‴. Tab.XXXII. f.12.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Corpus gilvum. Alae anticae margine antico ad basin parum dilatato, apice truncato; supra gilvae, ante apicem paullo obscuriores, vitta a basi ultra ternionem secundam in medio interrupta, et striolis aliquot intra marginem anticum fuscis; subtus gilvae, linea ante apicem flavida; alae posticae supra et subtus gilvae. Antennae filiformes, albidae. Palpi labiales reflexi, albidi, articulo ultimo compresso, subfalcato. Pedes gilvi.

YPONOMEUTA GRANDIS. † Alis rotundatis, postice ciliatis: anticis albis, subargenteis, posticis flavicantibus. Latit. alar. expans. 2″. Tab.XXXII. f.13.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Corpus flavescens. Alae anticae supra albae, argenteo-sericantes, margine postico apicali squamulis ciliato. Alae posticae flaveolae, sericantes, margine postico ciliato. Alae omnes subtus

flavae, apicem versus saturatius tinctae. Antennae corporis longitudine, filiformes. Palpi labiales reflexi, articulo secundo maximo compresso, tertio aciculato. Pedes flavidi. Tibiae mediae spinis ad apicem geminis, magnis; posticae spinis duabus ante apicem et duabus ad apicem maximis.

HEMIPTERA.

FAMILIA: GEOCORISAE.

Tab. XXXIII. f. 1. SCUTELLERA DECORATA. † Capite nigro; thorace ferrugineo, nigro-maculato; scutello ferrugineo, seriebus tribus transversalibus e maculis nigris. Lg. 7‴. Latit. hum. 4 ½‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

E speciebus majoribus, brevi-ovatis. Caput nigrum, subaeneo-micans, punctulatum, striis duabus abbreviatis, impressis, ocellis parvis, ferrugineis. Thorax fulvo-ferrugineus, utrinque macula nigra grandi, angulosa, antice excisa. Scutellum abdomen totum obtegens, laete fulvo-ferrugineum, apice et seriebus tribus e maculis nigris, quarum prima et secunda e quatuor, tertia e duabus constat. Hemelytra, ubi a scutello non obteguntur, nigro-coerulea apparent. Antennae nigro-coeruleae. Rostrum ad basin pedum posicarum contingit. Subtus cum pedibus splendide viridi-aenea.

Tab. XXXIII. f. 2. SCUTELLERA DICHROA. † Supra rufescenti-ochracea, capitis et thoracis striolis duabus et scutello maculis duabus ad basin nigris. Lg. 5 ½‴. Latit. hum. 2 ¾.

Habitat in Provincia Bahiensi.

E speciebus oblongo-ovatis. Caput triangulare, subacuminatum, sulcis duobus abbreviatis impressis, ocellis minimis; postice litura utrinque nigra, retrorsum latiore, in thoracis medium contingente. Scutellum abdomen totum obtegens, maculis ad basin duabus nigris. Subtus cum pedibus nigra, nitidula. Antennae nigrae, articulo ultimo paullo dilatato, compresso. Rostrum ultra basin pedum posticorum contingit.

Tab. XXXIII. f. 3. SCUTELLERA LATIPES. † Viridi-aenea, nitida; capite ferrugineo; tibiis anticis dilatatis. Lg. 4‴. Latit. hum. 2 ⅔‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput ferrugineum, punctis duobus impressis, oculis fuscis. Thorax viridi-aeneus, nitidus, punctulatus, angulis lateralibus prominulis. Scutellum viridi-aeneum, abdominis latera et apicem non obtegens, punctulatum. Hemelytrorum corium viridi-aeneum, nitidum. Subtus cum pedibus coerulea, nitida. Metasternum exsertum, antrorsum porrectum, acuminatum. Antennae

nigrae. Rostrum vix ad basin pedum posticorum contingit. Tibiae anticae apicem versum dilatatae, supra planae, infra canaliculatae, intus spina brevi ante apicem munitae.

SCUTELLERA OCHROCYANEA St. Farg. et A. Serv. Ochracea; dorso cyaneo, gibbo; antennis ad apicem nigris, articulis duobus ultimis dilatatis, compressis. Lg. $4\frac{1}{2}'''$. Latit. hum. $3'''$. Tab. XXXIII. f. 4.

Der Blaurücken, Stoll, Cimic. tab. 14. f. 92. pag. 46. (Deutsche Uebers.) Encyclop. method. Ins. tom. X. p. 411.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

SCAPTOCORIS Perty.

(TRIBUS: LONGILABRIA.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae quadri-articulatae. Tibiae anticae gladiiformes. Pedes postici femoribus et tibiis incrassatis, tarsis nullis.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae sub clypeo insertae, subfiliformes, quadri-articulatae, articulis duobus primis cylindricis, ultimis elongato-ovatis. Caput parvum. Clypeus elongatus, antice rotundatus. Oculi parvuli, semiglobosi. Ocelli valde apparentes, in vertice siti, satis remoti. Rostrum quadri-articulatum, bigeniculatum, breve, tantum ad basin pedum anticorum contingens: articulo secundo valde incrassato, e lateribus compresso. Thorax transversus, convexus, ad latera rotundatus. Scutellum grande, subtrigonum, ad apicem rotundatum. Hemelytra ultra dimidium cornea, dein membranacea. Alae membranaceae. Antepectus valde magnum, medipectus et postpectus breviora, quare pedes postici ab anticis remoti, inter se magis approximati apparent. Prosternum dilatatum, medio carinatum. Abdomen breve, muticum. Pedes antici coxis exsertis, femoribus incrassatis, brevibus, tibiis ensiformibus, paene subfalcatis, tarsis intus ante apicem tibiae insertis, elongatis, tenuibus, filiformibus, triarticulatis, ad apicem biunguiculatis; pedes medii femoribus magis elongatis, tenuioribus, tibiis clavatis, undique spinosis, tarso tenui, filiformi, triarticulato, ad apicem biunguiculato; pedes postici femoribus brevibus, valde incrassatis, trochanteribus magnis, tibiis brevissimis, truncatis, subconicis, hispidulis; parte postica truncata, denticulis coronata; tarsis nullis. Corpus totum subovatum, convexum, crassum.

Genus eximium, primo intuitu diversum, quoad faciem externam paullo Cydno infra descripto simile. Speciem unicam vidi. Pedes antici sine dubio fossorii. Nomen genericum e verbis σκάπτω, cavo, fodio et κόρις cimex.

Tab. XXXIII. f. 5. SCAPTOCORIS CASTANEA. † Tota castanea; capite, thorace et scutello transversim striatis; hemelytris punctulatis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Latit. hum. $2'''$.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput postice transversim striolatum, oculis brunneis, ocellis succineis. Thorax antice inaequalis, puncto utrinque impresso, posice transversim striolatus, quasi annulatus, marginulo laterali reflexo. Scutellum totum transverse striolatum. Hemelytra corio duplo longiore, quam membrana: hac hyalina; corio punctulato, striis aliquot longitudinalibus. Subtus cum pedibus et antennis flavo-badia, nitidula.

Tab. XXXIII. f. 6. CYDNUS MIRABILIS. † Totus castaneo-badius, supra cicatricosus; tibiis anticis extus angulosis, mediis et posticis subclavatis, spinosis: his etarsatis. Lg. $4\frac{1}{4}'''$. Latit. hum. $2\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput clypeo brevi, rotundato, rugulosum, ocellis rubidis. Thorax antrorsum angustior, cicatricoso-punctulatus, antice impressus, sulco medio transverso. Scutellum grande, trigonum, cicatricoso-punctulatum. Hemelytrorum corium membrana longius, cicatricoso-punctulatum, lineis aliquot longitudinalibus impressis. Anus muticus. Subtus paullo dilutior, castaneus. Antennae breves, quinque-articulatae, articulo secundo parum distincto. Rostrum bigeniculatum, quadriarticulatum, usque ad basin pedum mediorum contingens. Pedes dilute castanei, nitiduli, tibiis anticis extus dentatis, ad apicem in angulum productis, mediis et posticis subclavatis, extus spinosis: his tarsorum vestigio nullo.

Observatio. Species valde memorabilis, quae Scaptocorin et Cydnos Fabr. conjungit. Notae utriusque generis in hac forma reperiuntur, quae attamen quoad graviores Cydnis adnumeranda est. Species quoad colores et staturam praecedenti affinis, C. transitorius mihi, Cydnis proprie sic dictis fere omnino conformis est, et tarsos in pedibus posticis habet.

Tab. XXXIII. f. 7. PENTATOMA MACRASPIS. † Griseo- et flavido-variegatum, pedibus et antennarum basi flavidis; thoracis angulis parum prominulis. Lg. $6'''$. Latit. hum. $3\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Provincia St. Pauli.

Habitu et scutello magno Scutelleris affine. Caput flavidum, inaequale, lituris et punctis impressis brunneis, clypeo satis porrecto, rotundato, oculis valde prominulis. Thorax transversus, angulis lateralibus subacutis; sicuti scutellum valde magnum, triangulare et hemelytrorum corium flavidus, punctis impressis, cicatricosis, passim confluentibus, brunneis. Subtus flavidum, passim punctis brunneis. Antennae nigrae, articulo primo et secundo usque ad apicem subferrugineis. Rostrum ultra pedum posticorum basin contingit. Pedes flavidi.

PENTATOMA GRANDISPINUM. † Thorace antice linea transversa lutea, lateribus acute spinosis: spinis violaceis; scutello postice acuto; hemelytrorum corio brunneo; abdominis segmento penultimo utrinque spina armato. Lg. 8‴. Latit. hum. 4‴. Tab. XXXIII. f. 8.

Habitat in Provincia St. Pauli.

Caput inaequale, virens, clypeo parum protracto, ad apicem subemarginato, ocellis succineis. Thorax punctulatus; antice glabriusculus, subvirens, linea transversa lutea; spinis lateralibus valde longis, acuminatis, violaceis. Scutellum majusculum, viride, macula media lanceolata flavicante; postice elongatum, apice acutissimo. Hemelytra corio brunneo, linea externa submarginali et internis duabus obliquis flavicantibus; membrana hyalino-violacea. Alae fuliginosae, nervis et margine externo brunneis. Segmenta abdominalia ad marginem postice in dentem producta; penultimo dentibus maximis, ultimo quadridentato. Dorsum splendide coeruleum. Subtus cum pedibus virenti-brunneum. Mesosternum antice bipartitum, rostrum excipiens, quod basin pedum mediorum non attingit. Antennae brunneae.

Pentat. Bubalus Enc. meth. Ins. tom. X. p. 54. et species, quae in Stollii tab. 36. fig. 252. depicta est, praecedenti affines, sed diversae.

PENTATOMA LEUCOGRAMMUM. † Virenti-lividum; thorace utrinque obtuse spinoso; hemelytris fuscis: lituris et punctis conspersis albidis. Lg. 10‴. Latit. hum. 5‴. Tab. XXXIII. f. 9.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput inaequale, cicatricoso-punctulatum, clypeo parum porrecto, linea media impressa, ocellis succineis. Thorax punctulatus, cornubus lateralibus depressis, obtusis, ad apicem fuscis. Scutellum grande, punctulatum, postice acuminatum. Hemelytra corio fusco, lineis et punctis albidis conspersis, membrana subviolacea. Abdomen hemelytris latius, segmentis postice ad latera dentatis, dentibus penultimi magnis, acutis. Subtus flavido-lividum, punctis fuscis numerosis impressis. Mesosternum antice bipartitum, rostrum excipiens, quod basin pedum mediorum non attingit. Antennae et pedes testacei.

PENTATOMA MACROCNEMIS. † Supra coeruleum; thorace utrinque spinoso, tibiis anticis dilatatis. Lg. 6‴. Latit. hum. 2⅔‴. Tab. XXXIII. f. 10.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Caput punctulatum, clypeo valde porrecto, antice truncato, oculis nigris, ocellis fulvis. Thorax punctulatus, antice profunde excisus, linea media elevata; utrinque spina laterali oblique truncata. Scutellum majusculum, punctulatum, ad apicem rotundatum. Hemelytra abdomen superantia, corio nigro-cyaneo, membrana nigra. Subtus pectore coeruleo, abdomine fulvo. Antennae corpore parum breviores, nigrae. Rostrum ultra basin pedum posticorum contingit. Pedes coerulei, femoribus ad basin fulvis, tibiis anticis valde dilatatis.

Tab.XXXIII.f.11. PENTATOMA ACROLEUCUM. † Capite nigro-coeruleo; thorace testaceo, maculis duabus coeruleis; scutello nigro-coeruleo, vitta lata testacea; hemelytris nigro-coeruleis, margine externo testaceo, apice hyalino. Lg. 7½'''. Latit. hum. 4'''.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Caput inaequale, margine laterali utrinque reflexo, oculis nigris, ocellis rubineis. Thorax testaceus, punctulatus, margine laterali reflexo; postice maculis duabus magnis coeruleis, marginem posticum attingentibus. Scutellum magnum punctulatum, ad apicem rotundatum, nigro-coeruleum, vitta lata media per totam longitudinem. Hemelytra abdomen parum superantia, nitidula, nigro-coerulea, margine laterali apicem hyalinum non attingente testaceo. Subtus testaceum. Rostrum ultra basin pedum posticorum contingens, testaceum. Antennae fere corporis longitudine, nigrae. Pedes violacei, femoribus ad basin testaceis.

Tab.XXXIII.f.12. DINIDOR MACTABILIS. † Ater, antennarum articulo ultimo, thoracis et abdominis margine scutellique apice sanguineis. Lg. 8½'''. Latit. hum. 4'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Affinis D. mactanti (Edessae mactanti Fabr.) sed notis pluribus diversus. Caput atrum, cicatricoso-punctulatum, clypeo antice bilobo. Thorax ater, rugosulus, punctulatus, margine laterali et linea media interrupta sanguineis. Scutellum abbreviatum punctulatum, rugosum, atrum, apice rotundato ferrugineo. Hemelytra abdominis longitudine, tota atra, margine externo antice sanguineo, membrana insigniter nervosa: nervis anastomosantibus. Abdomen margine externo sanguineo. Subtus cum pedibus ater, abdominis margine, et utrinque maculis quinque postice sensim minoribus corallino-rubris. Rostrum nigrum, ad basin pedum mediorum contingens. Antennae corpore paene duplo breviores, nigrae: articulo 1° brevi, 2° valde elongato, 3° compresso, breviore quam praecedens, 4° secundi longitudine, rufo.

Tab.XXXIII.f.13. PHLAEA LIVIDA. † Pallide testacea, glabriuscula; thoracis lateribus rotundatis. Lg. 8'''. Latit. hum. 4½'''.

Habitat in Prov. Piauhiensi.

Color insecti totius exsiccati pallide testaceus. Corpus totum planum, latiusculum, integrum, sine appendicibus membranaceis. Caput in disco parum excavatum, antice quadrifidum, lobis intermediis latioribus, subrotundatis, externis lanceolatis; oculis parvis, ocellis minimis succineis. Thorax abdominis latitudine, ruguloso-punctulatus, antice valde profunde excisus, lateribus rotundatis. Scutellum grande, elongato-trigonum, apice rotundato. Hemelytra abdominis longitudine, ad basin illo latiora, dein angustiora, membrana duplo breviore, quam corio. Abdomen segmento ultimo retracto, margine laterali acuto. Antennae testaceae, articulis ad apicem nigris. Rostrum tenue, basin pedum mediorum attingens. Mesostethium sulco medio rostri excipiendi causa. Pedes passim nigro-punctati.

COREUS SERRULATUS. † Ferrugineus; thoracis margine laterali serrulato; abdomine dilatato. Lg. 10½'''. Latit. hum. 3¾'''. Tab. XXXIII. f. 14.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput parvulum, ocellis fuscis, oculis nigris. Thorax cicatricoso-punctulatus, postice elevatus, dilatatus, angulis posticis rotundatis, margine laterali crenulato. Scutellum parvulum, trigonum, punctulatum. Hemelytra abdomine angustiora, corio fusco-griseo, punctulata, membrana fusca. Abdomen retrorsum dilatatum, margine acuto, prominente. Subtus cum pedibus ferrugineus. Antennae nigrae, ad basin brunneae. Rostrum basin pedum mediorum non attingens.

COREUS CORNUTUS. † Thorace fusco, cornu utrinque maximo, compresso; abdomine retrorsum dilatato, ferrugineo. Lg. 10'''. Latit. hum. 3⅓'''. Tab. XXXIII. f. 15.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput parvulum, griseo-fuscum. Thorax griseo-fuscus, verrucis parvis obsitus, processu utrinque lato, magno, corniformi, compresso, cum illo lateris alterius convergente. Scutellum parvulum, trigonum, griseo-fuscum. Hemelytra abdomine angustiora, substantia fere aequali, parte antica albida, posteriore pallide fusca. Abdomen postice valde dilatatum, margine acuto, ferrugineo. Subtus cum pedibus et antennis grisescenti-fuscus. Rostrum basin pedum mediorum non attingens.

COREUS SCULPTUS. † Flavescenti- et nigro-varius; thorace inaequali, denticulato; antennis corporis longitudine, filiformibus, nigris. Lg. 7½'''. Latit. hum. 2⅓'''. Tab. XXXIII. f. 16.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Caput nigrum, postice flavo-varium, oculis valde prominulis, nigris, ocellis cinnabarinis. Thorax nigro-flavoque varius, postice latior, valde elevatus; inaequalis, asperatus, carina media transversa interrupta, margine laterali denticulato, postice reflexo, emarginato. Scutellum nigrum, linea media flava. Hemelytra substantia fere aequali, sordide flavescentia. Pectus utrinque foveis aliquot nigris. Abdomen cum pedibus griseo-ferrugineum. Rostrum basin pedum mediorum attingens.

DIACTOR Perty.

(GEOCORISAE: COREIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae filiformes. Femora postica gracilia, elongata, cylindrica. Tibiae posticae membranaceo-dilatatae.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae ad capitis latera insertae, ab oculis remotae, ad insertionem non obtectae, fere corporis longitudine, 4-articulatae, articulo primo leviter curvato, reliquis paullo cras-

siore, sequentibus filiformibus. Oculi prominuli. Ocelli apparentes. Thorax muticus, retrorsum latior, elevatus. Scutellum trigonum. Hemelytra abdomen perpaullum superantia. Rostrum valde elongatum, tenue, distincte 4-articulatum. Pedes omnes graciles: postici femoribus elongatis, cylindricis, denticulatis, tibiis in membranam amplam dilatatis.

Genus elegans, duabus speciebus constans, Lygaeo foliaceo Fabr. Syst. Rhyng. pag. 210. 28. Stoll. Cimic. Deutsche Uebers. p. 83. tab. 28. fig. 201. Coreo foliaceo St. Farg. et Serv. Encyc. meth. tom. X. pag. 60. et altera hic descripta.

Διάκτωρ, Mercurii cognomen, alas pedibus affixas gerentis.

Tab. XXXIV. f. 1. DIACTOR ELEGANS. † Capite, thorace, scutelloque viridibus, flavo-lineatis; tibiarum posticarum membrana subviolacea, flavo-maculata, integra. Lg. 10‴. Latit. hum. 2 ½‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput thalassinum, antice elongatum, ocellis et utrinque stria flavis. Thorax thalassinus, punctulatus, linea media elevata et utrinque stria flava. Scutellum thalassinum, trigonum, utrinque stria flava. Hemelytra brunneo-fusca. Subtus fulvus, pectoris maculis et segmentis abdominalibus postice viridi-aureis. Antennae corporis longitudine, nigrae. Rostrum ultra basin pedum posticorum contingens, viride, geniculorum apicibus flavis. Pedes flavidi, femoribus subvirentibus; omnibus, praesertim posticis elongatis, infra denticulatis; tibiarum posticarum membrana ampla, subviolacea, flavo-maculata, subinvoluta.

MEROCORIS Perty.

(GEOCORISAE: COREIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae articulo ultimo reliquis crassiore. Scutellum in tuberculum elevatum. Femora postica clavata.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae corporis dimidio parum longiores, ad insertionem nudae, approximatae; quadriarticulatae, articulo primo reliquis breviore, 2° et 3° subaequalibus, 4° praecedentibus longiore, paullum crassiore. Caput parvulum. Oculi laterales, prominuli. Ocelli apparentes, in latere tuberculorum parvorum siti. Thorax retrorsum dilatatus, elevatus; superficie inaequali, margine postico denticulato; prothorax et mesothorax conjuncti. Scutellum trigonum, in tuberculum acutum elevatum. Hemelytra abdomini aequalia, corio et membrana distinctis. Rostrum basin pedum mediorum attingens. Pedes

anteriores subgraciles; postici femoribus elongato-clavatis, dentibus aliquot validis munitis, tibiis elongatis, subcylindricis, leviter curvatis, femoribus applicandis.

Forma insignis, Coreum cum Anisoscelide conjungens. Μηρὸς, femur, κόρις cimex.

MEROCORIS TRISTIS. † Nigricans, antennarum articulo ultimo pallido; hemelytrorum corio brunneo-nigroque vario. Lg. 4½‴. Lat. hum. 1½‴. Tab. XXXIV. f. 2.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput fuscum, tuberculis duobus posticis, in quorum latere ocelli siti sunt. Thorax fuscus, inaequalis, retrorsum elevatus, utrinque lobo et dentibus duobus munitus. Scutellum fuscum, trigonum, in tuberculum acutum elevatum. Hemelytra corio brunneo-nigroque vario, membrana nigra. Subtus fusco- et rufescenti-varia, albido-tomentosa. Antennae brunneae, articulo ultimo pallidiore. Rostrum basin pedum mediorum attingens. Pedes anteriores brunnei, femoribus ad apicem nigricantibus, postici nigricantes.

Observatio. Speciem vidi paullo minorem, M. lugubris mihi dictam; quae, ferrugineo-nigricans, antennis concoloribus.

PACHYLIS HOPEI. † Thorace spinoso et hemelytris pollinoso-smaragdinis: his macula atra; antennarum articulis intermediis ad basin fulvis. Lg. ad hemelytr. apic. 15½‴. Latit. hum. 4⅓‴. Tab. XXXIV. f. 3.

Habitat ad Amazonum flumen.

Species elegantissima. Caput nigrum, parvulum, ocellis brunneis. Thorax niger, polline aureo-smaragdino obtectus, maculis pluribus atris; utrinque spina acuta munitus. Hemelytra abdomen superantia, corio et membrana fere aequalibus: illo smaragdino-pollinoso, macula media excavata ocellari atra, hac nigra. Subtus olivaceo-fusca, pectore et utrinque abdominis vitta lata albo-farinosis. Antennae corpore parum breviores: articulo primo elongato nigro, secundo praecedente breviore, cylindrico, et tertio dilatatis, compressis, ad medium carinatis, ad basin fulvis; quarto subcylindrico nigro. Rostrum tenue, fuscum, basin pedum mediorum attingens. Pedes nigri, femoribus posticis parum incrassatis: omnibus denticulis aliquot munitis.

Vocata in honorem Dom. F. W. Hope, Angli, Entomologi celeberrimi, peritissimi, doctissimi, amici benevoli et suavis.

ANISOSCELIS RUFICRUS. † Nigro-aenea, hemelytris flavo-lineatis; femoribus posticis rufis, tibiis nigris. Lg. 10‴. Latit. hum. 3‴. Tab. XXXIV. f. 4.

Habitat ad Amazonum flumen.

Magnitudine et fere statura Lygaei galli Fabr. Caput parvum, fuscum, inaequale, ocellis brunneis. Thorax trigonus, angulis posticis subacuminatis; nigro-aeneus, punctulatus, antice im-

pressus. Scutellum nigro-aeneum. Hemelytra corio fusco, lineis tribus et marginulo tenui fuscis, membrana fusco-hyalina. Subtus aeneo-nigra, nitidula. Rostrum breve, vix ultra pedes anticos contingens. Antennae brunneo-fuscae, tenuiter pubescentes. Pedes anteriores brunneo-fusci, simplices, femoribus mediis denticulis aliquot instructis, tarsis pallide rufis; postici femoribus rufis, incrassatis, dente maximo munitis; tibiis nigris, compressis, dente valido instructis; tarsis pallide rufis.

Tab. XXXIV. f. 5. ALYDUS VESPIFORMIS Fabr. Subtus ferrugineus; capite thoraceque atris, albo-maculatis; thorace spinoso; antennis atris, ante apicem albis. Lg. $6\frac{1}{2}'''$. Latit. hum. $1\frac{1}{4}'''$.

Fabric. Syst. Rhyng. pag. 250. 8.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Abdomen ad basin coarctatum. Hemelytra quoad substantiam corii et membranae aequalia, hyalina.

Tab. XXXIV. f. 6. LYGAEUS XANTHOMELAS. Capite nigro, transverso, oculis valde prominulis; thorace nigro, flavo-marginato; hemelytris corio extus flavo, macula nigra. Lg. $5'''$. Latit. hum. $1\frac{2}{3}'''$.

Habitat ad ripas fluvii Rio negro dicti, in Provincia ejusdem nominis.

Subgeneri Pachymero Lepell. et Serv. adscribendus. Caput pube flavicante obtectum. Thorax planus, postice latior; niger, ad latera et postice flavo-marginatus. Scutellum nigrum. Hemelytra corii parte antica interna nigra, externa flava, macula nigra, membrana fusca. Subtus capite et pectore nigris, abdomine flavo, segmentis ad basin nigris, marginulo externo tenui sanguineo. Antennae nigrae, filiformes. Rostrum vix ad basin pedum mediorum contingens. Pedes nigri, femoribus anticis vix incrassatis.

Tab. XXXIV. f. 7. LYGAEUS RUFICEPS. † Capite miniato; thorace antice nigro, postice flavo; hemelytris nigris. Lg. $6'''$. Latit. hum. $1\frac{2}{3}'''$.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput miniatum, antice parum protractum, oculis nigris, ocellis vix distinguendis. Thorax postice latior, margine laterali reflexo; antice niger, marginulo antico extremo flavo; postice flavus. Scutellum nigrum. Hemelytra et alae nigra, vix virentia: illa abdomen superantia. Subtus capite miniato, pectore flavo-nigroque vario, abdomine nigro, apice flavo. Antennae filiformes, nigrae. Rostrum ad basin pedum posticorum contingens. Pedes nigri, satis graciles.

An potius Capso adscribendus?

Tab. XXXIV. f. 8. LYGAEUS SCAPHA. † Elongatus, parallelus, planus; lateritius, hemelytrorum membrana alba; pedibus longiusculis. Lg. $5\frac{1}{4}'''$. Latit. hum. $1\frac{1}{3}'''$.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Caput antice albo-pilosum, oculis valde prominulis, ocellis nullis. Prothorax a mesothorace impressione profunda separatus, sicuti mesothorax punctulatus, ad latera albido-pilosus. Scutellum et hemelytra pallide lateritia: haec abdomine breviora, membrana alba. Subtus concolor, pubescentia grisescenti obtectus, quae ad abdominis segmentorum basin deest, quare abdomen annulatum apparet. Antennae rufescentes. Rostrum basin pedum mediorum attingens, apice nigricante. Pedes miniato-lateritii, elongati, graciles.

LYGAEUS MUTILUS. † Ovalis, capite nigro; thorace antice nigro, postice flavo; hemelytris brunneis, abbreviatis. Lg. 6½‴. Latit. hum. 2⅓‴. Tab. XXXIV. f. 9.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Statura singulari. Caput nigrum, oculis valde prominulis. Thorax retrorsum multo latior; antice niger, puncto utrinque flavo, postice flavus, punctis impressis. Scutellum nigrum. Hemelytra corio brunneo-fusco, punctulato, membrana alba, abbreviata, abdomine satis breviore. Abdomen medio latissimum; margine laterali valde elevato. Subtus niger, metathoracis marginulo antico, abdominis marginulo basali et laterali flavis. Abdomen valde incrassatum. Antennae fuscae, filiformes. Rostrum ad basin pedum mediorum contingens. Pedes fusci, satis graciles; postici elongati.

REDUVIUS BRACHIATUS. † Depressus, brunneus, hemelytris intus albidis, femoribus anticis incrassatis, tibiis calcaratis. Lg. 9½‴. Lat. hum. 2⅓‴. Tab. XXXIV. f. 10.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Habitu proprio. Corpus totum depressum. Caput brunneum. Prothorax grandis, impressione a mesothorace separatus; thorax totus badius, politus. Scutellum trigonum, fusco-brunneum. Hemelytra brunnea, abdomen parum superantia, corio intus albido, membrana macula albida media. Subtus brunneus, nitidulus. Antennae fusco-brunneae, tenuiter pubescentes. Rostrum brevissimum, capite vix longius. Pedes badii: antici breves, femoribus incrassatis, intus denticulatis, tibiis in femora replicandis, ad apicem in calcar obtusum productis; medii breviusculi, postici reliquis longiores.

REDUVIUS VESICULOSUS. † Flavo-nigricans; thorace in vesicam pentagonam plicatam elevato: hac antice nigra, postice flava. Lg. 6‴. Latit. hum. 1⅔‴. Tab. XXXIV. f. 11.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput corniculis duobus flavis munitum; antice flavicans, postice nigrum. Thorax et scutellum vesica cava, aerifera, pentagona, inaequali, impressa, postice libera obtecta, cujus pars anterior, quae ad prothoracem pertinet, nigra, postica flava est. Hemelytra abdomen superantia, testacea. Subtus nigricanti-brunneus, antepectoris lateribus nigris. Antennae paene corporis longitu-

dine, tenues, nigricantes. Rostrum basin pedum anticorum attingens. Pedes flavi, pubescentes, tibiis posticis medio crassioribus, nigris.

Tab. XXXIV. f. 12.

REDUVIUS INFLATUS. † Testaceus; thorace supra vesica pentagona rugosa munito. Lg. 6'''. Lat. hum. 1 2/3'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput pone antennas corniculis duobus brevissimis munitum; antice testaceum, postice nigricans. Thorax et scutellum vesica cava, aerifera, pentagona, rugosula, testacea tota obtecta. Hemelytra sordide testacea, abdomen paullo superantia. Subtus brunneo-testaceus. Antennae testaceo-nigricantes. Rostrum testaceum. Pedes testacei, tibiis elongatis, pilosis, apicem versus attenuatis, tarsis brevibus.

Observatio. Haec species cum praecedente typum generis proprii offert. In Reduviis tanta structurae diversitas invenitur, ut sane eorum divisio in genera plura perficienda esset. Corpus nunc convexum, nunc depressum, antennis fractis, aut fere rectis, nunc praelongis, nunc perbrevibus, femoribus anticis nunc gracilibus muticis, nunc validis, pilosis, nunc crassis denticulatis, rostrum longitudine admodum varians, momenta sufficientia exhibent. Hoc in opere Reduvii perpauci describere licuit, quare generum novorum creatio mihi vitanda videbatur.

Tab. XXXIV. f. 13.

REDUVIUS COCCINEUS. † Capite et hemelytrorum membrana nigris; thorace et hemelytrorum corio coccineis. Lg. 7 1/2'''. Lat. hum. 2''' vix.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Prov. ejusdem nominis.

Caput protensum, nigrum, passim rufescens. Prothorax a mesothorace impressione separatus, spinis quatuor brevibus et setulis aliquot nigris munitus; prothorax ad latera in angulum obtusum productus, muticus: thorax totus coccineus. Scutellum coccineo-nigricans. Hemelytra corio coccineo, marginulo externo et interno incompletis nigricantibus. Alae subfuliginosae. Subtus coccineus, maculis ad abdominis latera nigricantibus. Antennae nigrae, fere corporis longitudine. Pedes nigri, tibiarum dimidio basali flavo; tibiis anterioribus paullo curvatis, anticis apicem versus incrassatis: omnibus spinulosis et viscosis; tarsis omnibus brevissimis.

Tab. XXXIV. f. 14.

REDUVIUS LEUCOGRAMMUS. † Niger; capite, thoracisque margine postico miniatis; thoracis marginulo antico, lineis tribus, et hemelytrorum signaturis aliquot albis. Lg. 10 1/2'''. Latit. hum. 2 1/2'''.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput protensum miniatum, linea utrinque nigra. Prothorax niger, marginulo antico albo. Mesothorax utrinque spina munitus, niger, lineis tribus albis, margine postico miniato. Scutellum impressum, rufescens. Hemelytra corio nigro, striis tribus albis, membrana aeneo-micante. Antennae et pedes elongati nigri. Subtus badius, ubique maculis plurimis albidis obsitus.

REDUVIUS IOPTERUS. † Elongatus, ater; thoracis plagis duabus et scutello flavidis; hemelytrorum corio nigro, membrana cyanea. Lg. usque ad hem. apic. 1''. Latit. hum. 2'''. Tab. XXXIV. f. 15.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Statura elongata Zelis affinis, sed thorace mutico. Caput nigrum. Prothorax a mesothorace impressione separatus, niger, subinaequalis, utrinque tuberculo parvo instructus. Mesothorax niger, plagis duabus flavidis elevatis, linea laterali saepius interrupta albida. Scutellum parvulum, impressum, flavidum. Hemelytra abdomen satis superantia, corio nigro, opaco, membrana et alis cyaneis, micantibus. Antennae nigrae, corporis longitudine. Rostrum basin pedum anticorum attingens. Pedes nigri, tibiis longis, tarsis brevissimis.

PLATYCORIS Perty.

(GEOCORISAE: LYGAEIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Corpus depressum. Antennae tenues, articulis aequalibus. Rostrum basin pedum anticorum non attingens. Pedes breves, subclavati.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae quadriarticulatae, corpore duplo breviores, articulo primo perbrevi, sequentibus crassiore, reliquis tenuissimis, secundo longiore quam tertius et quartus. Oculi laterales, semiglobosi, valde prominuli. Ocelli approximati. Rostrum crassiusculum, indistincte articulatum, basin pedum anticorum non attingens. Corpus totum valde depressum. Prothorax a mesothorace impressione separatus, transversus; mesothorax prothorace latior, postice rotundatus. Scutellum magnitudinis mediae, trigonum. Hemelytra corio et membrana quoad substantiam fere aequalibus, submembranaceis. Alae completae. Medipectus rostri excipiendi causa sulco instructus. Pedes, praesertim anteriores breviusculi, femoribus incrassatis, denticulis duobus munitis, postice subtiliter ciliatis; tibiis femoribus applicandis; tarsis brevibus.

Πλατύς, planus, *κόρις*, cimex.

PLATYCORIS VARIA. † Supra cum pedibus fusco- et albido-variegata. Lg. 3¾'''. Lat. hum. 1⅓'''. Tab. XXXIV. f. 16.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Caput et prothorax aspera. Subtus grisescenti-fusca, pilis parcis obtecta, abdomine nitidulo. Pedes fusco- et albido-varii, in exemplis nonnullis rufescentes.

FAMILIA: CICADARIAE.

Tab. XXXV. f. 1. CICADA TYMPANUM Fabr. Viridi-grisea; thorace utrinque dilatato acuto; hemelytris hyalinis: strigis duabus punctorum fuscorum. Lg. corp. 13'''. Latit. alar. expans. 44'''.

Fabricius, Syst. Rhyngot. pag. 40. nr. 36.

Habitat prope Sebastianopolin.

Tab. XXXV. f. 2. CICADA POLYCHROA. † Subtus ferrugineo-nigroque variegata; thorace viridi-nigroque vario, macula utrinque coccinea; hemelytris virescentibus, ad apicem fuscis. Lg. 15'''. Lat. alar. expans. 28'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Inter minores. Caput nigricans, ocellis flavicantibus. Thorax totus viridi-nigroque varius, utrinque macula metathoracis coccinea, mesothorace brevissimo. Scutellum nigro-virescens, macula utrinque coccinea. Abdominis dorsum nigricans. Hemelytra diaphana, ad basin virescentia, retrorsum flavicantia, ad apicem fusca. Alae diaphanae, flavicantes, ad apicem fuscae. Subtus cum pedibus nigro-sanguineoque varia, abdomine sanguineo.

Tab. XXXV. f. 3. FLATA HAEMOPTERA. † Fusca; hemelytris punctis duobus flavis; alis sanguineis, ad marginem posticum nigro-variis, ad apicem fuscis, hyalino-punctatis. Lg. usque ad hemelytr. apic. 10'''. Latit. alar. expans. 21'''.

Habitat ad Amazonum flumen.

Caput breve, fuscum, subtus quadricostatum, supra bicarinatum, oculis postice appendice parvo munitis, ocellis valde apparentibus. Thorax fuscus, opacus, prothoracis costa media, metathoracis striis aliquot elevatis. Hemelytra fusca, subvirentia, corio et membrana distinctis, illo ad marginem externum punctis duobus flavis. Corpus subtus cum pedibus grisescenti-fuscum. Tibiae posticae spinosae. Rostrum ultra basin pedum posteriorum contingens.

Tab. XXXV. f. 4. LYSTRA FLAVO-PUNCTATA. † Hemelytris nigro-viridibus, flavo-punctatis, ad apicem diaphanis; alis nigris, ad apicem hyalinis. Lg. usque ad hemel. apic. 14'''. Latit. alar. expans. 27'''.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Caput obtusum, latum, rotundatum, glabrum, pallidum. Thorax nigro-virescens, metathorace sanguineo-vario. Abdominis dorsum nigrum. Hemelytra supra nigro-viridia, pallide reticulata, punctis pluribus fulvis, apice late diaphano-fuscescente; subtus corio viridi, albo-reticulato. Alae nigrae, apice late hyalino. Subtus abdomine albido, incisuris coccineis, stigmatibus niveis, valvulis analibus albidis. Pedes nigri, posteriorum geniculis sanguineis.

LYSTRA LUGUBRIS. † Hemelytris nigris; alis hyalinis, nigro-marginatis. Lg. ad hemelytr. apic. 8½‴. Latit. alar. expans. 17½‴. Tab. XXXV. f. 5.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Praecedentis statura, sed valde minor. Caput obtusum, rotundatum, latum, glabrum, testaceum. Thorax nigro-olivaceus. Abdominis dorsum atrum. Hemelytra fusco-nigra, opaca, margine antico olivaceo. Alae hyalinae, margine postico lato, anticoque angusto fusco-nigris. Subtus miniata, abdominis incisuris nigris. Rostrum ultra basin pedum posticorum contingens. Pedes violacei.

POECILOPTERA NODIPENNIS Germ. Alata, fusca, griseo-varia; elytris perpendicularibus, longitudinaliter venosis, politis, medio callosis, ad apicem subtruncatis. Lg. 2½‴. Tab. XXXV. f. 6.

Germ. Magazin d. Entomolog. Bd. IV. pag. 102. *Issus nodipennis.*

Habitat in Provincia S. Pauli.

Haec species, quae celeb. Prof. Germar. ad Issos refert, corporis compressi, elytrorum perpendicularium et structura generalis causa ad Poecilopteras revocanda videtur. Rostrum ad basin pedum posticorum contingens. Exempla vidi tota pallide fusca, nitidula, quae pingenda curavi.

MEMBRACIS CLAVATA. † Testacea, capitis lineis duabus et thoracis arcu nigris; prothorace spinis duabus munito; scutello libero, elongato, antice binodoso, postice in vesicam trispinosam inflato. Lg. usque ad oviscaptum 3¾‴. Lg. usque ad scutelli apic. 5‴ vix. Lat. alar. expans. 11½‴. Tab. XXXV. f. 7.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Membraci nodosae Germ. (Magaz. d. Entom. Bd. IV. p. 30. tab. 1. f. 2.) valde affinis, tantum coloribus distincta. Forma admodum singularis. Caput subverticale, testaceum, oculis et striis duabus, in quibus ocelli siti sunt, nigris. Prothorax testaceus, arcu nigricante, disco brunneo, spinis duabus divergentibus, magnis, nigricantibus munitus. Scutellum testaceum, glabrum, pone basin inflatum, utrinque nodulo nigro; dein coarctatum, et ad apicem in vesicam subglobosam magnam inflatum, quae postice spinis tribus munita est. Subtus testacea, pedibus concoloribus. Rostrum ad basin pedum mediorum contingens.

Colores in exemplis diversis paullo variant.

Observatio. Hanc ad familiam potius genus proprium constituturam Centrotus horridus Fabric. Syst. Phyng. p. 16. Nro. 1. Membracis horrida Entom. Syst. tom. IV. p. 12. nro. 18. referendus est.

45

Tab. XXXV. f. 8. MEMBRACIS INFLATA FABR. Testacea; prothorace vesica supera maxima, e lateribus compressa, reticulata, utrinque punctis septem nigris notata. Lg. a cap. usq. ad hemel. apic. 4⅓‴. Lg. ad vesicae apic. 5⅓‴.

Fabricius, Entom. system. tom. IV. pag. 8. *nro.* 1. *Syst. Rhyngot. pag.* 6. *nro.* 1.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Tab. XXXV. f. 9. MEMBRACIS CUCULLATA. † Rosea, nigro-varia; prothorace cucullo supero, convexo, postice trispinoso; hemelytris fuscis, medio diaphanis. Lg. ad hemel. apic. 4⅓‴. Latit. alar. expans. 8¾‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput verticale, roseum, striis duabus nigris, in quibus ocelli siti sunt. Prothorax roseus, stria utrinque nigra, supra cucullo magno roseo, nigro-maculato, cicatriso, postice spinis tribus munito, linea media elevata. Hemelytra nitida, fusca, medio diaphana, macula parva basali rosea. Abdomen roseum, medio nigrum. Rostrum basin pedum mediorum attingens. Pedes rufi.

Tab. XXXV. f. 10. MEMBRACIS MELANOGRAMMA. † Testacea; thorace lineis tribus nigris; scutello longitudine abdominis, acuminato. Lg. usque ad hemelytr. apic. 2‴. Lg. usque ad scut. apic. 2⅔‴.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Pumila. Caput testaceum, verticale, inaequale. Thorax convexiusculus, testaceus, lineis tribus nigris, postice convergentibus, unam efformantibus. Scutellum valde elongatum, acuminatum, testaceum, linea bis interrupta, nigra. Alae hyalinae, parum flavicantes. Subtus cum pedibus testacea. Rostrum ad basin pedum posticorum contingens.

Observatio. Species affinis, cum praecedente non commutanda, in Stollii tab. 28. fig. 97. depicta est.

Tab. XXXV. f. 11. DARNIS ELEGANTULA. † Subelongata, prothorace glaberrimo, nitido, testaceo: plaga antica magna media, macula utrinque reniformi et apice fuscis. Lg. 2¼‴. Latit. hum. 1½‴.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Caput testaceum, glaberrimum. Prothorax retrorsum elongatus corpus totum et hemelytra maxima e parte obtegens; glaberrimus, nitidus, testaceus; antice disco obscuriore, litura pallida,

macula utrinque subreniformi brunnea aut fusca; ante apicem obscurus, fascia pallidiore. Subtus cum pedibus testacea. Rostrum ultra basin pedum posticorum contingens.

Colores paullo variant, nunc clariores, nunc obscuriores; maculae saepius obsoletae.

DARNIS AENEA † Brevis; supra aenea, polita, glaberrima, infra cum pedibus ferruginea. Lg. 2 1/4‴. Latit. hum. 2‴ vix. Tab. XXXV. f. 12.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Statura Tetyram, colore aeneo et nitore Colaspidem, aut Eumolpum simulans. Caput aeneum, cyaneo-micans, linea media obsoleta et ocellis ferrugineis. Prothorax corpus totum et hemelytra maxima e parte obtegens, antice utrinque in laminam productus, postice subtruncatus, angulis humeralibus parum prominentibus, muticis, linea media tenui elevata, elytrorum suturam simulante; totus glaberrimus, nitidissimus, aeneus, antice cyaneo-micans. Subtus cum pedibus ferruginea.

DARNIS MELANOSTIGMA. † Brevis, thorace aurito; supra ferruginea, nigro-punctata, infra nigra. Lg. 2 1/3‴. Latit. hum. ad. angulos proth. mensa 2 1/2‴. Tab. XXXV. f. 13.

Habitat ad fluvium Rio negro dictum, in Provincia ejusdem nominis.

Caput ferrugineum. Prothorax corpus totum et hemelytra maxima e parte obtegens, antice infra in laminam utrinque productus, corniculis duobus lateralibus compressis, nigricantibus, postice subtruncatus; linea media suturam simulante; ferrugineus, nigro-punctatus. Hemelytra nigra. Subtus niger. Pedes nigri, tibiis et tarsis ferrugineis. Rostrum ad basin pedum posticorum contingens. An haec species cum praecedente Tragopae celeberr. Latreillii adscribenda?

CENTROTUS CRUCIATUS Fabr. Prothorace spinoso, antice cornubus duobus erectis, divergentibus, supra dilatatis munito; postice producto, bituberculato. Lg. 3‴. Lg. cornu unius. 2 1/2‴. Tab. XXXV. f. 14.

Fabricius Syst. Rhyng. p. 18. *nro.* 8.

Variat *α.* totus niger. Stoll. Cic. tab. 15. f. 77.
β. niger. niveo-lineatus. loc. cit. tab. 2. f. 8.
γ. niger, niveo-maculatus. Hanc varietatem pingendam curavi.
δ. ferrugineus. Exempla forsan nuper exclusa.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

BOCYDIUM ANCORA. † Prothorace cornu trifido: ramo medio supra dorsum reflexo, corpus longitudine superante; thorace nigro, albo-lineato; abdomine san- Tab. XXXV. f. 15.

guineo; hemelytris fuscis, apicem versus diaphanis, fusco-lineatis. Lg. usque ad hemelytr. apic. $3\frac{1}{2}'''$.

Habitat in montibus Provincia Minarum.

Caput nigrum, linea media alba, supra et subtus corniculis duobus obtusis munitum. Thorax niger, linea utrinque alba: prothorax spina utrinque parva laterali, cornu supero trifido, ramis lateralibus brevioribus, medio hemelytrorum longitudine, leviter undato, nigro, rigido. Alae diaphanae, venis obscurioribus. Caput et thorax subtus nigra, albo-lineata. Abdomen cum pedibus fulvum. Rostrum ad basin pedum posticorum contingens.

Tab. XXXV. f. 16. TETTIGONIA CONCINNA. † Capite thoraceque coccineis, nigro-variis; hemelytris cyaneo-nigris, macula in utroque flava. Lg. $5\frac{2}{3}'''$. Latit. hum. $1\frac{1}{2}'''$.

Habitat ad Amazonum flumen.

Species elegantissima. Caput rotundatum, coccineum, maculis pluribus oculisque nigris. Thorax coccineus, macula transversa discoidea nigra. Scutellum coccineum, macula nigra. Hemelytra cyanescenti-nigra, pruinosa, macula in utroque laete flava. Caput subtus et pectus cum pedibus coccinea, abdomen cyaneo-nigrum, pruinosum. Rostrum ad basin pedum mediorum contingens.

DIPTERA.

FAMILIA: NEMOCERATA.

Tab. XXXVI. f. 1. PENTHETRIA NIGRITA. † Aterrima, opaca; alis infuscatis, venis obscurioribus. Lg. $3'''$. Latit. alar. expans. $10\frac{1}{4}'''$.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Magnitudine et statura Penthetriae holosericeae Meig. cui valde affinis videtur, quam vero ipsam non vidi. Tota atra, opaca, abdominis dorso parum nitidulo. Alae praesertim ad basin, ubi venae concurrunt, infuscatae, venis et membrana juxta venas obscurioribus. Halteres et pedes atri.

FAMILIA: TANYSTOMATA.

Tab. XXXVI. f. 2. LAPHRIA LEPTOGASTRA. † Fusca; alarum margine antico ferrugineo; abdomine ad basin coarctato, pallidiore. Lg. $10'''$. Latit. alar. expans. $9'''$.

Habitat in Provincia Bahiensi.

E speciebus abdomine subclavato, a reliquis distinctis, Leptogastro affinibus. Tota fusca, unicolor, opaca. Abdomen satis elongatum, ad basin coarctatum, pallidius. Alae ad marginem anticum late et sordide ferrugineae, postice hyalinae. Antennae, halteres et pedes fusci.

LAPHRIA MACQUARTII. † Aenea; thorace aureo-pubescente; femoribus posticis incrassatis; alis infuscatis. Lg. $6'''$. Latit. alar. expans. $12'''$. Tab. XXXVI. f. 3.

Habitat prope Sebastianopolin.

Statura L. spinipedis Fabr. sed satis major. Caput cum mystace nigrum. Thorax aureo-pubescens. Scutellum et abdomen aenea, nitida. Alae infuscatae. Subtus aeneo-nigra. Antennae nigrae. Pedes aenei, onychiis ferrugineis, femoribus posticis incrassatis, tridentatis.

LAPHRIA COARCTATA. † Hypostomate et parapleuris flavo-holosericeis; abdomine ad basin coarctato, ferrugineo: segmentis posterioribus ad basin flavis; antennis, halteribus et pedibus ferrugineis. Lg. $8'''$. Latit. alar. expans. $14'''$. Tab. XXXVI. f. 4.

Habitat ad flumen Rio nigro, Provincia ejusdem nominis.

Species elegans. Oculi compressi, planiusculi. Hypostoma cum vibrissis flavo-holosericeum. Proboscis ferruginea. Thorax fuscus, lateribus flavis, stria media ferruginea. Scutellum flavicans. Abdomen satis elongatum, ad basin coarctatum, ferrugineum, segmento tertio, quarto, quinto, sexto et septimo ad marginem posticum flavis. Alae subferrugineae, obsolete fusco-nubilae. Parapleurae flavo-holosericeae. Antennae, halteres et pedes satis elongati, graciles, ferruginei.

ASILUS INFERNALIS Wiedem. Ater; scutello, abdominisque lateribus aut segmentis mediis fulvo-hirtis. Lg. $12'''$. Latit. alar. expans. $17'''$. Tab. XXXVI. f. 5.

Wiedemann, Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 1. pag. 475.

Habitat prope Sebastianopolin, in Provincia Bahiensi, etc.

Variat nunc abdominis lateribus, nunc segmentis mediis fulvo-hirtis. Exemplum vidi scutello albo-hirto. Alae plerumque violaceae, rarius infuscatae.

DASYPOGON RUFIMANUS. † Capite thoraceque nigris; abdomine cyaneo; alis fusco-cyaneis; tarsis anticis ferrugineis. Lg. $13\frac{1}{2}'''$. Latit. alar. expans. $29'''$. Tab. XXXVI. f. 6.

Habitat prope Sebastianopolin.

Caput cum mystace, proboscide et palpis nigrum, hypostomate testaceo. Ocelli tres in tuberculo siti. Thorax niger, parapleuris nigro-cyaneis, politis. Scutellum nigro-cyaneum. Abdomen angustulum, planiusculum, cyaneum, nitidum. Alae fusco-cyaneae, subsericantes. Subtus nigro-cyaneus, nitidulus. Antennae nigrae, articulo ultimo fusco. Halteres nigri. Pedes satis elongati, tenuiusculi, tarsorum anticorum articulis primis rufo-ferrugineis.

LASIA AMETHYSTINA. † Violacea, nitidissima; alis hyalinis; pedibus nigris, tarsis pallidis. Lg. $4\frac{3}{4}'''$. Latit. alar. expans. $12\frac{1}{2}'''$. Tab. XXXVI. f. 7.

Habitat prope Sebastianopolin.

L. splendente Wiedem. major. Frons et hypostoma minima, nigra. Vertex cyaneus. Thorax cyaneus, nitidus, albido-pubescens. Abdomen crassum, laeve, parce pilosum, cyaneum, cupreo-micans. Alae hyalinae. Squamulae griseo-hirtae. Halteres nigri. Subtus capite et pectore nigris, abdomine cyaneo, cupreo-micante. Proboscis corpore dimidio longior, nigra, ad basin cyanea. Antennae parvae, tenues, articulo tertio ad basin pallido. Pedes tenues, fusco-nigri, tarsis ochraceis.

FAMILIA: TABANIDES.

Tab. XXXVI. f. 8. PANGONIA CASTANEA. † Ocellis tribus; tota badia; alis flavicantibus; proboscide corporis longitudine. Lg. 8'''. Latit. alar. expans. 18'''.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Frons, hypostoma, antennae et palpi badii, ocelli tres satis distincti, oculi fusci. Thorax badio-pubescens. Abdomen laevigatum, badium, nitidulum. Alae praesertim ad marginem anticum flavicantes. Subtus cum pedibus badia, gula et pectore hirtis. Rostrum corporis longitudine, fuscum.

HADRUS Perty. TABANUS Wied.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae articulo ultimo integro. Palpi magni crassi, proboscide parum breviores, valvulae instar proboscidis basin obtegentes. Tibiae incrassatae. Corpus breve, crassum, convexiusculum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae porrectae, capitis longitudine, triarticulatae, articulo primo et secundo subcylindricis, tertio lanceolato, integro. Caput subhemisphaericum, tuberculo munitum, locum ocellorum, qui desunt, obtinente. Proboscis deorsum porrecta, capitis longitudine: Labium crassiusculum, subcarnosum, antice capitulo simplici elongato. Labrum labii longitudine, corneo-membranaceum, sublineare. Glossarium et mandibulae (setae haustelli Fabr. Latr.) corneo-membranaceae, lineares. Palpi porrecti, proboscide parum breviores, ad eam applicati; biarticulati: articulo primo perbrevi, subgloboso, secundo maximo, squamiformi, supra convexiusculo, infra concavo. Thorax convexiusculus. Scutellum majusculum, muticum. Abdomen breve, crassum, convexum, e segmentis septem compositum. Alae lanceolatae, divaricatae, pictae. Halteres e parte a squamula obtecti. Pedes breviusculi, validi, tibiis, praesertim anticis, incrassatis. Colores metallici.

Nomen genericum a verbo ἁδρός, robustus, ob corporis crassitudinem.

Celeberr. Prof. Dr. Wiedemann species sequentes huc referendas sub Tabanis descripsit: T. lepidotum Wied. curvipedem Fabr. bicinctum Fabr. glabrum, Wied. Hae species vero habitu, tibiis incrassatis, antennarum articuli ultimi et palporum structura a Tabanis differunt.

HADRUS LEPIDOTUS Wiedem. Niger, viridi-aureo-squamulosus: alis nigris guttulis albis, apice limpido. Lg. 3⅔‴. Latit. alar. expans. 7⅓‴. Tab. XXXVI. f. 9.

Wiedemann, Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 1. *p.* 193. *nro.* 123. *Tabanus lepidotus.*

Habitat in Provincia Bahiensi.

HADRUS CHALYBEUS. † Nigro-cyaneus; alis dimidio basali fusco-nigro, apicali hyalino. Lg. 5⅔‴. Latit. alar. expans. 13‴. Tab. XXXVI. f. 10.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Specie praecedente plus duplo major. Hypostoma cum palpis nigro-cyaneum. Thorax cyaneus, nitidus, cupreo-micans. Scutellum cyaneum. Abdomen nigro-cyaneum, nitidum, parce nigro-pilosum. Subtus cum pedibus nigro-cyaneus. Antennae articulis primis nigris, ultimo ferrugineo. Tibiae omnes valde incrassatae, nigro-pilosae.

FAMILIA: NOTACANTHA.

MIDAS HEROS. † Ater; antennis ferrugineis; abdominis segmento primo sulphureo-hirto; alis antice testaceis, costa et venis fusco-nigris. Lg. 26‴. Latit. alar. expans. 42‴. Tab. XXXVI. f. 11.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Species maxima mihi nota. Tota atra, opaca, abdominis segmento primo sulphureo-hirto. Alae fuscescenti-testaceae, antice saturatius tinctae, basi et venis fusco-nigris, alula magna, flavescente. Antennae rufo-ferrugineae. Pedes atri, onychiis testaceis, femoribus posticis satis incrassatis, pilosis, postice denticulis munitis.

HERMETIA RUFIVENTRIS Fabr. Nigra; abdomine rubido, basi maculis duabus pellucidis. Lg. 7½‴. Latit. alar. expans. 15‴. Tab. XXXVI. f. 12.

Fabricius, Syst. Antl. pag. 63. *nro.* 2.

Wiedemann, Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 2. *pag.* 23. *nro.* 2.

Habitat in Provincia Bahiensi.

An revera a H. illucente Fabr. diversa? Exempla vidi abdomine nigro, tantum apicem versus rubido.

Tab. XXXVI. f. 13.

CYPHOMYIA CHRYSODOTA. † Cyanea; thorace vitta postice abbreviata aurea; abdominis segmentis duobus primis nigris. Lg. 4⅓‴. Latit. alar. exp. 9⅔‴.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Cum Cyphomyia auriflamma Hoffgg. non commutanda. Hypostoma cum vibrissis niveo-pilosum. Thorax cyaneus, nitidus, tenuiter pubescens, vitta postice abbreviata aurea. Scutellum cyaneum, spinis nigricantibus. Abdomen segmento primo nigro, secundo nigro, ad latera cyaneo, reliquis cyaneis, nitidis. Alae infuscatae, ad marginem anticum obscuriores. Subtus nigro-cyanea. Antennae nigrae. Halteres testacei. Pedes femoribus et tibiis fusco-cyaneis, tarsorum articulo primo testaceo, reliquis fuscis.

Tab. XXXVI. f. 14.

STRATYOMYS MUTABILIS Fabr. Aurichalceo-pubescens; abdomine nigro, ochraceo-fasciato; alis ad costam fuscis. Lg. 4½‴. Latit. alar. expans. 10‴.

Fabricius, Ent. syst. tom. 4. pag. 266. nro. 13.

„ *Syst. Antl. pag. 81. nro. 14.*

Wiedemann, Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 2. pag. 63. nro. 4.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Exempla vidi, abdominis fasciis obsoletis, ardue ad marginem extremum conspicuis, vix diversa forsan mascula.

Tab. XXXVI. f. 15.

ACROCHAETA ELEGANS. † Thorace fusco, flavido-vittato; abdomine badio, flavido-fasciato; alis ad marginem anticum badiis. Lg. 7⅔‴. Latit. alar. exp. 16‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Acrochaeta fasciata Wiedem. multo major. Hypostoma et frons testacea. Ocelli tres apparentes, valde approximati, fusci. Thorax fuscus, vittis duabus et lateribus flavidis. Scutellum inflatum, obtusum, muticum, badium. Abdomen ad basin paullo coarctatum, supra convexum, subtus paene concavum; e segmentis quinque constans; badio-fuscum, fasciis flavidis ad segmentorum marginem posticum. Alae magnae, latiusculae, cellula discoidali elongata, subhexagona; pellucidae, antice badiae, postice parum infuscatae. Subtus tota badio-testacea. Antennae capite longiores, badio-fuscae; tres tantum articulos offerentes: primum cylindricum, secundum primo brevius, subcylindricum, tertium praecedentibus duplo longius, subulatum, in setam tenuissimam excurrentem, glabrum. Halteres testacei. Pedes testacei, tibiis tarsisque aureo-sericeis.

Tab. XXXVII. f. 1.

SARGUS FALLÉNI. † Niger; thoracis striis duabus mediis et utrinque laterali, scutello bispinoso et maculis abdominis viridibus; femoribus fulvis, tibiis fuscis, tarsis albidis. Lg. 5‴. Latit. alar. expans. 11½‴.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Caput nigrum, vertice utrinque macula laete viridi. Thorax niger: scapulis, striis duabus mediis tenuibus, linea utrinque laterali et macula utrinque postica malachitico-viridibus. Scutellum malachitico-viride, spinis duabus acutis flavicantibus. Abdomen nigrum, macula basali et utrinque lateralibus, fascias interruptas efformantibus malachitico-viridibus. Subtus niger. Alae hyalinae, vix infuscatae. Antennae fuscae. Halteres fusci, capitulo magno viridi. Pedes femoribus fulvis, tibiis nigricantibus, tarsis albidis, articulo ultimo fusco.

Vocatus in honorem celeberr. Entomologi Suecici, Dm. Dr. Prof. Fallén, qui Diptera et Hemiptera praesertim Suecica labore et studio tam indefesso digessit.

SARGUS MACQUARTII. † Thorace scutelloque mutico subaeneis; abdomine et pedibus flavo-badiis, alis hyalinis. Lg. 5½‴. Latit. alar. expans. 1″. Tab. XXXVII. f. 2.

Habitat in Provincia Bahiensi.

De genere adhuc dubito. An potius Syrphidibus adscribendus? Frons vesiculosa, albida. Vertex badius. Ocelli non conspicui. Thorax et scutellum muticum subaenea nitida. Abdomen glabrum, flavo-badium. Alae hyalinae, magnae. Antennae flavae, seta fusca. Halteres fusco-testacei. Pedes anteriores flavi, articulis tarsorum ultimis nigris; postici femoribus flavis, tibiis et tarsorum articulo primo fuscis, articulis sequentibus albidis, ultimis nigris.

Vocatus sicuti Laphria supra des cripta in honorem celeberr. Entomologi Dm. Macquart, qui Diptera Europaea speciebus plurimis in Gallia boreali inventis, egregie descriptis locupletavit.

FAMILIA: SYRPHIDES.

ERISTALIS DECORUS. † Hypostomate simplici albido; fronte laevi; seta antennali non plumosa; femoribus posticis incrassatis; thorace olivaceo; scutello flavicante; abdomine nigro, macula in segmento primo utrinque magna et margine postico tenui segmentorum omnium flavis; alis antrorsum infuscatis. Lg. 5½‴. Latit. alar. expans. 11½‴. Tab. XXXVII. f. 3.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Magnitudine et fere habitu E. errantis Fabr. sed familia diversus. Hypostoma et frons laevia, albo-pilosa; frons plaga supra antennas parva, glabra, brunnea; postice fuscescens, ocellis distinctis. Thorax pubescens, olivaceus, striis duabus transversis subobsoletis nigricantibus. Scutellum tumidulum, flavicans. Alae antice infuscatae, postice limpidae. Squamulae flavicantes. Halteres flavi. Abdomen nigrum, pilosulum, segmento primo fascia lata medio interrupta et reliquorum marginulo postico tenui flavis. Subtus olivaceo-flavus. Antennae flavae, seta simplici. Pedes flavidi, femoribus et tibiis posticis incrassatis brunneis, nigro-ciliatis.

Tab. XXXVII. f. 4.

MICRODON CYANEUS. † Niger; hypostomate et thorace antice flavo-holosericeis; abdomine, pectore et pedibus cyaneis. Lg. 6'''. Latit. alar. expans. 12 ½'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Microdonte mutabili Linn. satis major. Frons nigra, ocellis tribus distinctis. Hypostoma tumidulum, flavo-pilosum. Thorax cyanescenti-niger, dimidio antico flavo-holosericeo. Scutellum cyanescenti-nigrum, pubescens, utrinque spina postica munitum. Abdomen cyaneum, glabriusculum, densissime punctulatum. Alae infuscatae, venis obscurioribus. Antennae nigrae. Subtus cum pedibus nigro-cyaneus.

FAMILIA: MUSCIDES.

Tab. XXXVII. f. 5.

TRICHOPODA PILIPES Fabr. Nigra; thorace aurichalceo-vittato; abdomine ochraceo; alis nigris, margine interno sublimpido; tibiis posticis late ciliatis. Lg. 4'''. Latit. alar. expans. 8 ⅓'''.

Wiedem. Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 2. p. 272. nro. 7.

Fabricius, Syst. Antl. pag. 220. nro. 12. Thereva pilipes.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Tab. XXXVII. f. 6.

MESEMBRINA QUADRILINEATA Fabr. Ochracea; thorace albido-vittato; abdomine chalybescente, ad basin ochraceo. Lg. 6'''. Latit. alar. expans. 14'''.

Wiedem. Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 2. pag. 347. nro. 1.

Fabricius, Syst. Antliat. p. 286. nro. 10. Musca quadrilineata.

Habitat prope Sebastianopolin.

In exemplo nostro femora omnia ochracea, tibias, praesertim posteriores nigras, et tarsos nigricanti-ochraceos vidi.

Tab. XXXVII. f. 7.

DEXIA MELALEUCA Wiedem. Nigra; abdomine guttis sex albis; alis nigris. Lg. 7 ⅓'''. Latit. alar. expans. 17'''.

Wiedem. Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 2. pag. 369. nro. 2.

Habitat prope Sebastianopolin.

Squamulas in exemplo nostro albidas vidi. Abdomen subtus in segmento primo, secundo, tertio utrinque macula argentata mutabili.

HELEOMYZA PULCHELLA. † Fusco-ochracea; segmentis abdominalibus ad apicem nigro-marginatis: duobus apicalibus stria media nigricante; alis fuscescentibus, venis longitudinalibus ad apicem et vena transversa fusco-limbatis. Lg. 4¾'''. Latit. alar. expans. 9½'''. Tab. XXXVII. f. 8.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

H. gibba Fabric. major. Hypostoma albidum. Frons ferruginea, setulis aliquot longis nigris. Thorax fusco-ochraceus, setulis minutis numerosis densis nigricantibus obtectus. Abdomen fusco-ochraceum, nigricanti-pilosulum: segmentorum marginulo postico et stria media in segmentis duobus ultimis nigricantibus. Alae fuscescentes, vena marginali ad marginem internum, longitudinalibus ad apicem et transversa fusco-limbatis. Subtus cum pedibus ochracea. Antennae ferrugineae, setula plumata nigricante.

DIAUGIA Perty.

(MUSCIDES: CREOPHILAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae articulo tertio elongato, seta in utroque latere plumosa. Abdomen elongato-conicum, thorace paene triplo longius. Alae divaricatae, ad apicem vena transversali.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae hypostomate parum breviores, triarticulatae: articulis duobus basalibus brevissimis, tertio elongato, subprismatico, ad basin seta utrinque plumata. Caput semiglobosum. Ocelli tres in vertice siti. Oris apertura elongato-quadrata, marginulo reflexo, setulis munito. Proboscis geniculata, parum crassa. Palpi ante proboscidis geniculum inserti, fere labii longitudine, cylindrici, pilosi. Thorax parum convexus: prothorax a mesothorace sutura separatus. Scutellum triangulare, angulo postico rotundato. Abdomen e segmentis quatuor constans, elongato-conicum, thorace paene triplo longius, apicem versus angustatum; cavum, pellucidum. Alae divaricatae lanceolatae, vena longitudinali quarta ante apicem fracta, venam transversalem formante. Sqamulae duplicatae, halteres obtegentes. Pedes longitudinis mediae, teniusculi, subtiliter pilosi, unguilis tarsorum divaricatis, onychiis membranaceis.

Nomen genericum a verbo διαυγής, pellucidus. Genus Sarcophagae proximum, sed jam habitu distinguendum.

DIAUGIA ANGUSTA. † Thorace cinereo, nigro-vario; abdomine albido, pellucido, segmentorum margine postico et stria media fuscis; alis apicem versus et ad marginem posticum infuscatis. Lg. 7½'''. Latit. alar. expans. 11½'''. Tab. XXXVII. f. 9.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Animalculum admodum singulare. Hypostoma et genae albida. Frons albida, sulco medio piloso nigro. Prothorax cinereus, striis aliquot longitudinalibus nigris: mesothorax et scutellum antice fusca, postice cinerea. Abdomen grisescens, pellucidum, segmentorum margine postico, linea media retrorsum latiore et macula trigona laterali in quovis, cum margine postico confluente fuscis. Alae diaphanae, albidae, apicem versus et ad marginem anticum fuscae. Squamulae albidae, halteres flavicantes. Pectus cinerascens. Proboscis nigricans, palpis ochraceis. Antennae ferrugineae, plumula nigricante. Pedes nigri, onychiis ferrugineis.

Tab. XXXVII. f. 10. CALOBATA MEIGENII. † Nigra; alis fasciis duabus et apice nigricantibus; pedibus nigellis; anticorum tarsis, femorum mediorum fascia, et posticorum basi et fascia albidis. Lg. 4½'''. Latit. alar. expans. 8'''.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Calobatae tarsatae Wiedem. affinis, (Aussereurop. zweifl. Ins. tom. 2. p. 541. nro. 18) major. Frons et oculi ferruginei. Ocelli obsoleti. Thorax et scutellum fusco-nigra. Abdomen inflexum, fuscum, fascia glauca ad basin segmenti secundi. Alae limpidae fasciis duabus, quorum antica angustior est, et nubecula ad apicem nigricantibus. Halteres grisescentes. Antennae, proboscis et palpi nigricantes. Pedes nigricantes, tarsis anticis, femorum posteriorum fascia ante apicem et posticorum basi albidis.

Tab. XXXVII. f. 11. LONGINA WIEDEMANNI. † Ferruginea; thoracis dorso, femoribus anticis, reliquorum apice et tarsis nigricantibus. Lg. 6'''. Latit. alar. expans. 12½'''. Lg. antennae 6⅓'''.

Habitat prope Sebastianopolin.

Sane affinis L. abdominali Wiedem. sed multo major, et coloribus paullo diversa. Caput ferrugineo-nigricans, sulco frontali, ocellis tribus distinctis, oculis rubidis. Thorax antice paullo angustatus; ferrugineus, dorso nigricante, lineis quatuor intensivius nigris. Abdomen ferrugineum, inflexum. Alae pellucidae, parum flavicantes. Halteres flavi. Antennae nigrae, corpore paullo longiores, articulo ultimo in setam subtiliter plumatam albam excurrente. Pedes antici nigricantes, femoribus ad basin et tibiis versus apicem ferrugineis, pedibus posterioribus ferrugineis, femoribus ad apicem et tarsis nigricantibus.

Vocata in honorem celeberr. Dipterologi, Dm. Drs. Prof. Wiedeman, consil. reg. dan. aulic.

Tab. XXXVII. f. 12. MICROPEZA LORIPES. † Fusco-nigra; fronte ferruginea; alis grisescentibus; pedibus longis, brunneo-ochraceis. Lg. 5'''. Latit. alar. expans. 10⅔'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Tota fusco-nigra, opaca, fronte rubido-ferruginea, ocellis non distinguendis. Abdomen elongatum, angustatum. Alae elongatae, grisescentes, diaphanae. Halteres albidi. Antennae fuscae. Pedes debiles, compressi, brunneo-ochracei.

THECOMYIA Perty.

(MUSCIDES: SCATOMYZIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Antennae oblique porrectae, capite longiores. Os in vaginam truncatam, proboscidem includentem elongatum.

CHARACTER NATURALIS.

Antennae capite longiores, oblique porrectae, triarticulatae: articulo primo perbrevi, 2° et 3° elongatis, fere aequalibus, seta utrinque plumosa ad basin ultimi, ejus apicem superante. Caput transversum, fronte lata, planiuscula, oculis semiglobosis, ocellis tribus valde approximatis. Hypostoma in vaginam truncatam, proboscidem includentem elongatum. Oris apertura angulosa, obliqua. Proboscis porrecta, non geniculata. Thorax prothorace et mesothorace conjunctis, capite duplo longior. Scutellum trigonum, angulo postico rotundato. Abdomen depressum, lanceolatum, glabrum. Alae lanceolatae, abdomine satis longiores, animalculo quiescenti subparallelo-impositae. Halteres capitulo majusculo, elongato-clavato. Pedes longitudinis mediae, tenuiusculi, tarsorum unguiculis et onychiis minutis.

Genus valde singulare, habitu fere Scatophagae, antennis longis porrectis Lonchocerae, sed articulis quoad proportionem ab ultima diversis. Nomen e verbis θήκη, vagina, et μυῖα, musca. Speciem tantum unam vidi.

THECOMYIA LONGICORNIS. † Fusca; thoracis lateribus et stria media flavicante; alis subfuliginosis. Lg. $3\frac{2}{3}'''$. Latit. alar. expans. $7\frac{2}{3}'''$. Tab. XXXVII. f. 6.

Habitat ad Amazonum flumen.

Hypostoma sanguinolentum. Frons coccinea, macula utrinque parva nigra. Thorax fuscus, margine laterali ochraceo, stria media obsoleta flavicante. Scutellum medium, fuscum, vitta flava. Abdomen fuscum, ad latera ochraceum. Pectus fuscum, stria utrinque laterali aurea. Alae praesertim antice subfuliginosae. Halteres flavi. Antennae ferrugineo-nigricantes. Proboscis fusco-nigra. Pedes ochracei, tarsis fusco-nigricantibus.

ROPALOMERA SPINOSA. † Fusco-grisea; alis grisescentibus, fusco-variegatis; scutello bispinoso. Lg. $4'''$. Latit. alar. expans. $9\frac{1}{2}'''$. Tab. XXXVII. f. 7.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Cum Rop. clavipede Wied. Fabr. (Dictya) non commutanda. Ferruginosa, tomento griseo obtecta. Hypostoma albidum tuberculo medio; frons excavata. Scutellum grande, porrectum, postice truncatum, subemarginatum, spinis duabus nigris munitum. Abdomen griseum, glabrum. Alae grisescentes punctis, venis et nubeculis fuscis. Halteres grisei. Antennae fuscae, ad basin ferrugineae. Proboscis fuscescens. Femora omnia, praesertim postica incrassata, ciliata; tibiae omnes, praesertim vero posticae curvatae, pilosae.

FAMILIA: PUPIPARA.

Tab. XXXVII. f. 15. HIPPOBOSCA NIGRA. † Nigro-fusca; polita, alis subfuliginosis. Lg. $2\frac{2}{3}'''$. Latit. alar. expans. $8'''$.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

H. equina Fabr. paullo minor. Tota nigro-fusca, nitida. Frons glabra, lateribus et postice aeneo-micans. Thorax inaequalis. Abdomen subopacum. Alae subfuliginosae, costa fusca. Subtus cum pedibus paullo dilutior.

Tab. XXXVII. f. 16. LIPOPTENA PHYLLOSTOMATIS. † Ochracea; femoribus incrassatis; alarum rudimentis capitis longitudine. Lg. $\frac{2}{3}'''$.

Habitat in Phyllostomatis specie brasiliensi, indeterminata, tantum semel inventa.

Animalculum satis minutum, inter Pupiparorum genera in Lipoptenam celeberr. Nitzschii quadrans, quamvis notis nonnullis declinans. (Germ. Magaz. d. Entomol. Bd. 3. p. 310.) Tota sordide ochracea. Caput oculis deprivatum, antice laminas duas porrectas offerens, an antennas? Thorax depressus, nitidulus, linea media nigricante. Squamulae duae membranaceae, alarum rudimenta, thorace parum breviores, pilosae. Halteres non detegendi. Pedes robusti, breviusculi, femoribus omnibus incrassatis, tarsorum unguiculis divaricatis.

ARACHNIDES BRASILIENSES.

FAMILIA: PULMONARIAE FILARIAE.

MYGALE FUSCA. † Tota grisescenti-fusca, parum pilosa; chelicornibus stipite crassissimo. Lg. exempli unici 15'''. Tab. XXXVIII. f. 1.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Ab omnibus hucusque descriptis familiae hujus generis primae diversa videtur. Tota cadaveroso-fusca, parum grisescens. Chelicornua stipite crasso valde robusto, ungue nigro. Cephalothorax abdominis longitudine, vix pilosus, oculis in series duas dispositis, paribus seriei posticae valde approximatis. Abdomen cadaveroso-fuscum, pilosum. Subtus cum pedibus concolor.

Nota. Oculi omnium aranearum animalculo supra viso, ejusque capite a te averso delineati sunt.

MYGALE OCHRACEA. † Angustula; tota ochracea, rufo-pilosa. Lg. 14'''. Tab. XXXVIII. f. 2.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, in Provincia ejusdem nominis.

Familiae primae adscribenda. Praecedente satis angustior. Chelicornua porrecta, valida, ungue nigro. Cephalothorax abdomine vix brevior, oculis in series duas dispositis, illis posticae per paria valde approximatis. Abdomen dense rufo-pilosum. Subtus obscurius tincta. Pedes ochracei, rufo-pilosi.

MYGALE WALCKENAERII. † Fusca; palporum et pedum articulis tribus ultimis ad apicem coccineis. Lg. exempl. unici, quod vidi, 16'''. Tab. XXXVIII. f. 3.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Species pulchra, satis distincta, primae hujus generis familiae adscribenda. Statura fere Myg. canceridis Latr. Tota fusca, pilis longioribus fusco-griseis obtecta. Palpi et pedes omnes articulis tribus ultimis ad basin coccineis. Pedum primum et secundum par apicem articulorum quatuor ultimorum coccineum offerunt. Chelicornua valde robusta, grandia, stipite cephalothorace dimidio tantum breviore. Cephalothorax subtus glabriusculus, forsan detritus. Abdomen hirtum, fuscum. Pectus et abdomen subtus nigricantia.

Vocata in honorem celeberr. Dom. Walckenaer, Galli, Entomologi eximii, Arachnologi summi.

MYGALE PUMILIO. † Cephalothorace et pedibus rufo-testaceis; abdomine grisescente; tarsis apicem versus attenuatis. Lg. exempli unici 8'''. Tab. XXXVIII. f. 4.

Habitat in Provincia Paraensi.

Differt a reliquis speciebus tarsis apicem versus attenuatis, gracilioribus. Chelicornua porrecta, rufa, ungue nigricante. Cephalothorax glabriusculus, rufescens, oculis nigris. Abdomen supra et subtus grisescens, parum pilosus. Pectus cum pedibus rufescens. An individuum juvenile?

Observatio. Mygales tarsi structuram singularem offerunt. In pagina superiore pilis obtecti, planiusculi, in pagina inferiore glabriusculi, convexi, in faciem membrana tenta obtecti sunt, quae in exemplis in spiritu vini conservatis, verosimiliter etiam in vivis versicolora micat, et tactui subtilissimo inservit. In exemplis exsiccatis haec membrana, quae ex pilis innumerabilibus, erectis, arcte applicatis formata est, evanescit, et tarsus tunc aspectum praebet, quem figura nostra ** tab. XXXVIII. monstrat. Excellentissimus entomotomus Strauss, qui myologiam Mygales pervestigavit, et ante oculos proposuit, sane in systematibus reliquis hujus animalis singularis nova et mirabilia inveniret, si ejus anatomiam persequi ei placeret.

THAUMASIA Perty.

(ARANEAE TUBITELARIAE ?)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Oculi 8, subaequales, ad lineas duas curvas antice in cephalothorace dispositi. Chelicornua stipite grandi. Pedes longissimi.

CHARACTER NATURALIS.

Oculi 8, fere aequales, antice in cephalothorace ad lineas duas dispositi, quarum antica fere recta, postica parum curvata est; oculis 2 externis seriei posticae in speciem ex duobus constantibus. Chelicornua stipite grandi, extrorsum crassiore, ungue falciformi, acuto, tenui. Maxillae grandes, subelongatae, paene inter se contingentes, ad apicem rotundatae. Labium parvum, semicirculare. Palpi articulo primo longissimo, ultimo seu quarto in mari inflato. Cephalothorax parum convexus, retrorsum latior. Abdomen obovatum. Pedes longissimi, paris tertii quam illis paris quarti paullo brevioribus.

Θαυμάσιος, id est mirabilis, portentosus. Hujus araneae singularis exemplum unicum vidi, valde corrugatum, pedibus mutilis, quare proportionem eorum quoad longitudinem respectivam non rite extricare potui. Exemplum nostrum est masculum, palporum articulo ultimo inflato, infra aperto, cirros singulares emittente. Palpum supra et infra visum depingendum curavi.

Tab. XXXVIII. f. 5. THAUMASIA SENILIS. † Fuscescenti-testacea, pedibus pallidioribus; chelicornuum stipite niveo-hirto. Lg. exempli unici. 4'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Chelicornua stipite niveo-hirto, ungue rufo. Palpi testacei. Cephalothorax testaceus, ad discum nigricans, oculis lucidis, in centro rubidis, in peripheria hyalinis. Abdomen testaceum, dorso fuscescente. Subtus cum pedibus testacea.

THERIDION ADSPERSUM. † Cephalothorace, palpis et pedibus rufescentibus; abdomine griseo, squamulis albidis consperso, postice vittas tres efformantibus. Lg. exempli unici 3½‴. Tab. XXXVIII. f. 6.

Habitat prope Bahiam.

E speciebus hujus generis majoribus. Cephalothorax cum palpis et pedibus rufescens, oculis quatuor mediis in quadratum positis, et utrinque duobus fere conjunctis. Abdomen griseum, ovato-globosum, passim squamulis albis conspersum, quae retrorsum vittas tres subobsoletas efformant. Subtus pectore rufescente, abdomine griseo.

ACROSOMA Perty. EPEIRA Latr. Walck. ARANEA Fabr.

(ARANEAE ORBITELARIAE.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Corpus membranaceo-corneum, abdomine spinoso, rarissime clypeiformi, mutico. Cephalothorax abdomine angustior. Oculi 8: 4 medii in quadratum positi, utrinque 2.

CHARACTER NATURALIS.

Oculi 8: 4 antice in cephalothoracis medio in quadratum positi, 2 postici majores; utrinque 2 oblique siti. Chelicornua robusta, stipite crasso. Maxillae breves, latae, ad insertionem remotae. Palpi parvuli, cylindrici, articulo ultimo marium incrassato. Labium subsemicirculare. Cephalothorax in plerisque elongatus, abdomine angustior, retrorsum angustatus, impressione media transversali. Abdomen cephalothorace longius, latius; nunc subparallelus, nunc retrorsum dilatatus, trigonus, specierum omnium, una excepta, spinis aut dentibus munito, ad latera et postice plicato; ano infero, ante abdominis apicem, cum papillis textoriis processum conicum referente. Corpus totum tegumento membranaceo-corneo glabro indutum. Pedes quoad longitudinem et validitatem medii, rigidi: illi paris primi et quarti fere aequales, longissimi, paris tertii inter omnes brevissimi.

Nomen genericum e verbis ἄκρος, acumen, et σῶμα, corpus. Hoc ad genus praeter species hic descriptas sequentes referendae sunt: Aranea militaris, aculeata, spinosa, cancriformis, fornicata, taurus, arcuata, tribulus, hexacantha, tetracantha, geminata Fabr., armata Oliv., gracilis, stellata Bosc., transversalis, lata, clypeata, scutiformis Walck. curvicauda Vauthier, furcata, 6-spinosa Hahn et species multae novae a me nominatae alio loco describendae in museo Monacensi.

Tab. XXXVIII. f. 7. ACROSOMA SCUTATUM †. Abdomine mutico, clypeiformi, subrotundo, glabro, brunneo: maculis quatuor flavicantibus. Lg. 1½'''.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Species unica hujus generis mihi nota, spinis destituta et cephalothorace latiore, quam longo, quibus notis a generali typo hujus generis recedit. Exemplum unicum probabiliter juvenile. Cephalothorax brunneus, glaber, medio oculis quatuor in quadratum positis, ad marginem lateralem utrinque duobus. Abdomen subrotundatum, paene latius, quam longum, convexiusculum, glabrum, fusco-brunneum: antice maculis quatuor flavis. Abdomen subtus nigricans. Pedes brunnei.

Tab. XXXVIII. f. 8. ACROSOMA VIGORSII. † Cephalothorace fusco; abdomine pallido, spinis 10 munito, retrorsum dilatato. Lg. exempli unici 6⅔'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Species insignis, non commutanda cum A. 6-spinoso Hahn (Epeira 6-spinosa, Monogr. d. Spinn. fascic. III.) cui paullo simile. Cephalothorax cum palpis fusco-niger, glaber, margine laterali angusto flavo, medio oculis quatuor in quadratum elevatum positis, utrinque ad angulos anticos duobus in tuberculum sitis. Abdomen ad basin cephalothorace parum latius, retrorsum dilatatum, flavo-albidum, spinis decem munitum: duabus ad basin abdominis flavo-albidis, duabus ante medium et sex majoribus divaricatis ad apicem brunneo-nigricantibus. Pectus cum pedibus fusco-nigrum. Abdomen subtus flavido-album.

Species nominata in honorem celeberr. Zoologi anglici Dom. Vigors, Secretarii Societatis Zoologicae.

Tab. XXXVIII. f. 9. ACROSOMA SCHREIBERSII. † Cephalothorace et pedibus nigris: illo flavo-marginato; abdomine testaceo, angulis anticis acutis, spinis sex nigris et duabus maximis coccineis. Lg. exempli unici 5'''. Lg. spinae coccineae 3¼'''.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Non commutanda cum A. furcato Hahn (Epeira furcata, Monogr. d. Spinn. fascic. III.) Cephalothorax glaber, piceus, margine laterali pallido, palpis pilosulis, tuberculo medio quadrato, oculos quatuor in quadratum positos, et tuberculo utrinque antico, oculos duos ferentibus. Abdomen glabrum, testaceum, antice punctis nigris impressis, angulis anticis spinosis, spinis ante medium duabus nigris, in medio duabus quam praecedentes brevioribus nigris, postice duabus coccineis, ad apicem nigricantibus maximis, in meo exemplo erectis, et duabus parvis nigris inferis. Pectus cum pedibus piceum. Abdomen subtus testaceo-nigricans.

Vocata in honorem celeberr. Dom. a Schreibers, Direct. muscor. conjunct. Imper. Austr.

Tab. XXXVIII. f. 10. ACROSOMA SWAINSONII. † Corpore angusto, subparallelo, fusco; abdomine octo-spinoso, pedibus ferrugineis. Lg. exempl. duorum, quae vidi 3½'''.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

E speciebus corpore elongato, angusto, subparallelo. Cephalothorax fuscus, glaber, in medio tuberculo porrecto, oculos quatuor ferente, utrinque duobus in tuberculo sitis. Palpi fusci, pilosi. Abdomen fuscum, spinis octo munitum: duabus pone basin, duabus in medio minoribus, et quatuor ad apicem. Pedes ferruginei.

Vocatum in honorem celeberr. Dom. Swainson, Angli, auctoris et editoris operis pulcherrimi „Zoological Illustrations" etc.

ACROSOMA KIRBYI. † Fusco - nigrum; cephalothorace flavido - marginato; abdomine flavo - vario, sex - spinoso; pedibus rufis. Lg. exempli maj. depicti 5 ½'''. Tab. XXXVIII. f. 11.

Habitat prope Sebastianopolin.

Cephalothorax cum chelicornubus glaber, niger, pallido - marginatus; oculis quatuor mediis et utrinque duobus lateralibus in tuberculis sitis. Palpi pilosi, fusci, ad basin pallidiores. Abdomen nigro - et sulphureo - varium; ad basin flavum, punctis quatuor nigris impressis, spinis 8 munitum, quorum primum flavum par ad basin, secundum nigrum ante abdominis medium, vestigium spinae pone hoc, tertium et quartum nigra ad apicem sita sunt. Subtus nigrum, punctis flavis passim conspersum. Pedes ferruginei, tarsis fuscescentibus.

Vocatum in honorem celeberr. Dom Kirby, Entomologi anglici peritissimi, doctissimi, excellentis.

SENELOPS SPIXII. † Valde depressus, griseus, fusco - variegatus; femoribus fusco - annulatis, tarsis pilosulis. Lg. exempli unici 6'''. Tab. XXXVIII. f. 12.

Habitat in Provincia Bahiensi.

S. homalosomo Dufourii satis major. Cephalothorax subobcordatus, valde depressus, rufescenti - griseo - varius; antice ubi oculi siti sunt, paullo protuberans, oculis quatuor mediis in lineam transversam paullo curvatam ad marginem anticum, utrinque uno paullo antrorsum, et uno majore retrorsum positis. Abdomen rufescenti - griseum, depressum, pilosum. Chelicornua et palpi grisescenti - fusci: hi pilosi, articulo ultimo in meo exemplo masculo inflato. Pedes paris primi et secundi longitudine fere aequales, paris tertii breviores, illi paris quarti desunt: omnes fusco-grisescentes, femoribus fusco - subannulatis, tarsis pilosis.

MICROMMATA SETULOSA. † Ochracea, cephalothoracis disco rufo - ferrugineo; pedibus setulis sparsis nigris. Lg. 8 — 9'''. Tab. XXXVIII. f. 13.

Habitat in Brasilia aequatoriali.

Tota ochraceo - testacea, cephalothoracis disco rufo - ferrugineo, marginulo antico albido. Palpi testacei, setulis nigris sparsis obsiti. Chelicornua rufa, ungue nigricante. Oculi lucidi, rufo - succinei. Abdomen ochraceo - testaceum. Pedes praelongi: illi paris primi breviores quam illi paris

secundi, (qui inter omnes longissimi,) sed longiores, quam illi paris tertii (qui inter omnes brevissimi,) pedibus paris quarti longitudine fere aequales: pedes omnes ochraceo-testacei, setulis et pilis nigris sparsis obsiti. Subtus ochraceo-testacea.

De genere adhuc dubito. An potius Thomisis adscribenda? Probabiliter cum speciebus aliquot confinibus ex America meridionali et Java genus proprium constitura. In exemplo descripto pedem sinistrum paris quarti multo minorem, sine dubio neogenitum observavi.

Tab. XXXVIII. f. 14. LYCOSA TARANTULOIDES. † Ochraceo-fusca, sericeo-pubescens; cephalothorace glabro, nitidulo. Lg. exempli unici 11'''.

Statura et fere magnitudine L. tarantulae Fabr. Palpi et chelicornua ferruginoso-hirta. Cephalothorax abdominis longitudine, glaber, nitidulus, subviolascens, impressionibus levibus radiatim e centro excurrentibus, verosimiliter ab insertione musculorum pedes moventium ortis, marginulo extremo undique ferruginoso. Abdomen ochraceo-ferruginosum, pubescens. Subtus pectore et abdominis medio nigricanti-holosericeis. Pedes robusti, ochraceo-fusci.

Tab. XXXIX. f. 1. LYCOSA ORNATA. † Fusco-grisea; cephalothoracis margine laterali albido, undulato, linea fusca; abdominis vitta dentata nigra. Lg. exempli unici 8'''.

Habitat prope Sebastianopolin.

Fere magnitudine L. allodromae Walck. Pedes grisei, vix fusco-varii. Cephalothorax elongatus, convexus, antrorsum angustatus, fusco-griseus, margine laterali undulato albido: linea media fusca. Abdomen fusco-griseum, vitta nigricante dentata saepius obsoleta. Pedes supra grisei, obsolete fusco-varii; subtus rufescenti-grisei, tibiis nigro-fasciatis. Subtus brunnescens, abdomine nigro-holosericeo, lateribus flavo-sericeis.

PHONEUTRIA Perty.
(FILARIAE: CITIGRADES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Oculi 8, subaequales: 4 antice in quadratum positi, postice utrinque 2, fere inter se contingentes. Pedes elongati: illi paris primi et quarti longitudine fere aequales, pedes paris tertii inter omnes brevissimi. Labium rotundatum.

CHARACTER NATURALIS.

Oculi 8, subaequales: 4 minores antice in quadratum positi, postice utrinque 2 parum majores per paria valde remoti, inter se fere contingentes. Palpi subfiliformes, apicem versus paullo crassiores. Chelicornua stipite crasso robusto, unguibus paene decussatis. Maxillae ad apicem subtrigonae. Labium

rotundatum. Cephalothorax antrorsum coarctatus, postice rotundatus. Abdomen ovatum. Pedes elongati: illi paris primi et quarti longitudine fere aequales, paris secundi praecedentibus breviores, paris tertii inter omnes brevissimi; omnes tarsis attenuatis.

Φονεύτρια, significat interfectrix, peremtrix. Genus Lycosae proximum, a qua vero notis sufficientibus differt. Praeter species hic descriptas adhuc plures novi, omnes Americae meridionalis indigenas, staturae grandis.

PHONEUTRIA RUFIBARBIS. † Ochracea; chelicornubus rufo-hirtis; abdomine albo-punctato; pedibus nigro-setulosis. Lg. 14'''. Tab. XXXIX. f. 2.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Chelicornua stipite supra rufo-hirto. Maxillae fusco-nigrae. Palpi fusco-grisei, articulis duobus ultimis lineis duabus albis. Cephalothorax fusco-ochraceus. Abdomen ferrugineo-ochraceum, seriebus tribus longitudinalibus punctorum alborum. Subtus fulvo-ochracea. Pedes omnes ochracei, pilosi, punctis albis et setulis nigris e puncto quovis orientibus.

PHONEUTRIA FERA. † Tota fusco-brunnea; pedibus nigro-setulosis. Lg. 15'''. Tab. XXXIX. f. 3.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Specie praecedente satis major, crassior, robustior. Supra et subtus fusco-brunnea, unicolor, opaca, brevi-pilosa. Chelicornua ungue atro, nitido. Pedes passim setulis nigris muniti, quae e punctis albis oriuntur; subtus in geniculis flavi.

DOLOMEDES CONCOLOR. † Cephalothorace et pedibus ferrugineo-ochraceis; abdomine fuscescente, ad latera pallidiore. Lg. 7½'''. Tab. XXXIX. f. 4.

Habitat prope Sebastianopolin.

Oculorum positione et proportione cum familia secunda a Dom. Walkenaer hoc in genere condita magis congruit. Cephalothorax ferrugineo-rufus, glaber, oculis nigris. Chelicornua stipite griseo-piloso. Abdomen elongato-ovatum, pilis griseis brevibus obsitum, fuscescens, antice lateribus et maculis aliquot ad discum pallidioribus. Subtus ochraceo-flavidus. Pedes ferrugineo-flavidi, setulis brevibus nigris parcis obsiti.

IDIOPS Perty.

(FILARIAE: MYGALOIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

Chelicornua ungue longitudinaliter inflexo. Palpi valde elongati. Oculi

8, inaequales: 2 antici, 2 majores medii et pone hos 4 in linea curva dispositi. PEDES paris primi et quarti fere aequales, paris tertii inter omnes brevissimi.

CHARACTER NATURALIS.

OCULI 8, inaequales, 2 minores antice in cephalothorace, tunc 2 majores, et pone hos 4 minores in linea curva siti. CHELICORNUA valde minuta, ungue stipiti longitudinaliter applicato. LABIUM? PALPI paene corporis longitudine, articulo primo maxillarum instar inserviente, ultimo in masculis inflato, unguiculato. CEPHALOTHORAX parum convexus, subovatus. ABDOMEN ovatum. STERNUM minutum, planum, subcirculare. PEDES longuli, satis robusti, tarsos versus attenuati: illi paris primi et quarti longitudine inter se fere aequales, paris secundi praecedentibus breviores, paris tertii inter omnes brevissimi.

Nomen genericum e verbis ἴδιος singularis, et ὤψ, oculus, facies, ob miram oculorum dispositionem et proportionem. Genus memorabile, cujus tantum unius speciei exemplum unicum vidi.

Tab. XXXIX. f. 5. IDIOPS FUSCA. † Totus nigro-fuscus, opacus; coxis testaceis, tarsis rufis. Lg. exempli unici 4½‴.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Aspectu primo Actinopo tarsali similis, sed structura et oculorum situ totus diversa. Brunneofusca, opaca. Palpi brunnei. Pedes omnes coxis flavidis, femoribus et tibiis fuscis, tarsis rufis. Subtus brunneo-testaceus.

ACTINOPUS PERTY.

(FILARIAE: MYGALOIDES.)

CHARACTER ESSENTIALIS.

CHELICORNUA ungue longitudinaliter inflexo. PALPI valde elongati, 6-articulati. OCULI 8, aequales: 4 antice in linea fere recta positi, et 2 postice utrinque per paria valde approximati. PEDES paris primi et quarti longissimi, fere aequales, paris tertii brevissimi.

CHARACTER NATURALIS.

OCULI 8, aequales, minuti: 4 antice in cephalothorace siti et medii paullo plus approximati, quam laterales; postice utrinque 2, quoad paria remoti, inter se valde approximati. CHELICORNUA grandia, stipite crasso valido prominente, unguibus paene longitudinaliter inflexis, subdecussatis. LABIUM elongato-ovatum. PALPI cor-

poris longitudine, 6-articulati, articulo primo maxillarum instar inserviente, penultimo in masculis inflato, ultimo unguiculato. CEPHALOTHORAX retrorsum angustatus, medio profunde impressus. ABDOMEN ovatum. STERNUM planum, subquadratum, angulis rotundatis. PEDES elongati: illi paris primi et quarti longitudine, fere aequales, paris secundi praecedentibus breviores, paris tertii inter omnes brevissimi.

Nomen genericum e verbis ἀκτὶν, radius et ποῦς, pes. Huic generi forsan species aliquae Mygales proprie sic dictae inserendae sunt.

ACTINOPUS TARSALIS. † Totus nigro-fuscus, tarsis rufis. Lg. exempli unici $4\frac{1}{2}'''$. Tab. XXXIX. f. 6.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Totus nigro-fuscus, glaber, vix nitidulus. Oculi flavicantes, pellucidi. Palpi fusco-nigri, articulo ultimo brunneo. Pedes omnes fusco-nigri, tarsis rufis. Subtus castaneus, nitidulus.

SALTICUS IGNEUS. † Cephalothorace fusco, antice miniato-piloso; abdomine olivaceo; pedibus fuscis, femoribus ad basin et tarsis flavidis. Lg. $3\frac{1}{2}'''$. Tab. XXXIX. f. 7.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Medius in hoc genere, habitu et pedibus paris tertii elongatis differens, sed notis majoris momenti quadrans. Trophi fusco-nigri, palporum articulo ultimo testaceo. Cephalothorax fuscus, antice pilis igneis arcte adjacentibus sericeus. Abdomen fusco-olivaceum, holosericeum. Pedes coxis, femoribus usque ad apicem, et tarsis testaceis; femorum apice et tibiis brunneo-fuscis.

SALTICUS SUMPTUOSUS. † Coeruleo-argentatus; abdomine fasciis tribus cinnabarinis; pedibus 6 posterioribus testaceis. Lg. exempli unici. $3\frac{1}{2}'''$. Tab. XXXIX. f. 8.

Habitat prope Sebastianopolin.

Inter medios hujus generis, elegantissimus. Chelicornua stipite nigro-brunneo, ungue ferrugineo. Palpi fusci, articulo ultimo exempli unici masculi coeruleo-argenteo, inflato. Cephalothorax coeruleo-argentatus, nitidulus. Abdomen coeruleo-argenteum, fasciis tribus latis cinnabarinis. Pedes primi paris valde elongati, fusci, femoribus ad basin rufescentibus, ad apicem coeruleo-argentatis, tibiis et tarsis fuscis: illis fascia media, his basi coeruleo-argentatis. Pedes secundi, tertii, quarti paris testacei, passim coeruleo-squamulosi.

MYRMECIA NIGRA. † Fusco-nigra, pilosula. Lg. exempli unici $6\frac{2}{3}'''$. Tab. XXXIX. f. 9.

Habitat prope Sebastianopolin.

Hujus generis mirabilis Poneram simulantis unicae speciei hucusque descriptae alteram adjungo. Magnitudine et fere statura M. rufae Latr. Cephalothoracis pars anterior oculos et trophos ferens quasi collo a parte posteriore separatus, fusco-nigra, palpis ad basin brunneis; pars posterior supra passim flavicanti-sericea, impressiones varias laterales offerens, thoracis divisiones in formicis simulantes. Abdomen pedicello angusto, a cephalothorace exeunte, postice coarctatum, sicuti in Poneris. Pedes omnes nigro-fusci, femoribus ad basin brunnescentibus.

FAMILIA: PULMONARIA PEDIPALPATA.

Tab. XXXIX. f. 10. PHRYNUS VARIEGATUS. † Ferrugineus, fusco-variegatus; palpis prismaticis, dentatis, articulo secundo et tertio fere aequalibus. Lg. corporis unici exempli $5\frac{1}{2}'''$. Lg. palpi $7'''$.

Habitat ad Amazonum flumen.

Ph. palmato Hbst. paene minor, ideoque minima hujus generis species hucusque cognita. Chelicornua ferruginea. Palpi ferruginei, fere eodem modo constructi, sicuti in Ph. medio Herbstii: articulo secundo brevi denticulato, tertio elongato subprismatico, dentato, quarto praecedente vix breviore anguloso, ad apicem spinis tribus elongatis acutissimis munito, quinto unguiformi, trifido. Oculos tantum sex conspicio: duos antice in tuberculo medio sitos, et duos in utroque latere valde approximatos. Cephalothorax obcordatus, fere latior quam longus, ferrugineus, fusco-varius, impressionibus aliquot decussatis, forsan ex insertione musculorum pedes moventium ortis. Abdomen ferrugineo-ochraceum, obsolete fusco-varium. Subtus ferrugineo-ochraceus. Antennipedes (cirri Hbst.) pedibus longiores, ferruginei. Pedes ferrugineo-ochracei, femoribus fusco-annulatis.

Tab. XXXIX. f. 11. SCORPIO BAHIENSIS. † Oculis octo; brunneo-fuscus, palpis pedibusque badio-flavis; pectinibus 20-dentatis. Lg. exempli unici $27'''$.

Habitat prope Bahiam.

Subgeneri Butho celeberr. Leachii adscribendus. Cephalothorax antice paene recta truncatus, vix emarginatus; totus fuscus, asperulus, convexus, lineis elevatis transversis interruptis, oculis atris, lucidis, duobus majoribus mediis, antice ad marginem extremum utrinque tribus minoribus. Palpi lineis elevatis prismatici, articulo ultimo inflato, digitis subfiliformibus; testacei, articulo tertio, quarto et digitis nigricantibus. Abdomen fuscum, asperulum, linea media elevata longitudinali, lineolis elevatis transversis interruptis, et pluribus longitudinalibus in segmento ultimo. Cauda crassa, articulis inflatis, in tergo excavatis, subtus et ad latera sexcarinatis, carinis lateralibus crenulatis; segmento ultimo processu parvo infra aculeum; aculeo curvo, ferrugineo. Subtus cum pedibus ochraceo-testaceus. Pectines pallidiores, viginti-dentati.

FAMILIA: TRACHEARIA PHALANGIDA.

PHALANGIORUM DIVISIO.

Observatio. Phalangia auctorum miram varietatem offerunt, quod attinet ad figuram corporis, proportionem cephalothoracis et abdominis, structuram et magnitudinem palporum et chelicornuum, proportionem pedum et situm oculorum. Formae praesertim Americae meridionalis ab indigenis et inter se respectu vario tantum differunt, ut principiis artis systematicae recentioris ad haec animalia applicatis, separatio eorum omnino necessaria appareat. Celeberr. Kirby jam Gonyleptem a Phalangio distinxit; cum vero formae numerosae intermediae existant, aut genera plura instituenda sunt, aut Gonyleptes cum Phalangiis iterum conjungendus est, quod autem structura eorum tam distincta, vix approbandum esset. Quare non in metu sum, ut mihi crimini versurum sit, si divisionem hujus generis, quod praeterea speciebus abundat, perficere conor.

CONSPECTUS GENERUM.

Divisio Ima. Palpis spinosis, pedibus inaequalibus: posticis a reliquis valde remotis, femoribus incrassatis; abdomine plus minusve in cephalothorace occulto.

1. GONYLEPTES. Cephalothorace trigono, postice spinoso; abdomine toto occulto; coxis posticis incrassatis, spinosis aut muticis.
2. OSTRACIDIUM. Cephalothorace clypeato, depresso, postice mutico, truncato; abdomine toto occulto; pedibus breviusculis, coxis posticis spinulosis.
3. GONIOSOMA. Cephalothorace trigono, convexiusculo, postice mutico; abdomine toto aut e parte occulto; pedibus praelongis, coxis posticis muticis.
4. STYGNUS. Corpore obovato, convexo; cephalothorace postice mutico; abdomine e parte porrecto; chelicornubus crassissimis; coxis posticis subspinosis.
5. EUSARCUS. Corpore ovoideo, convexo, crasso; abdomine e parte libero, uni- aut bispinoso; coxis posticis muticis.

Divisio IIda. Palpis muticis, pedibus omnibus subaequalibus, aut aequalibus, abdomine nunc occulto, nunc libero.

6. COSMETUS. Corpore subtrigono, convexiusculo; cephalothorace postice spinigero; abdomine toto occulto; pedibus posticis a reliquis remotis, coxis posticis incrassatis.
7. DISCOSOMA. Corpore orbiculari, depresso; pedibus aequalibus; abdomine toto occulto.
8. PHALANGIUM. Corpore ovoideo, aut orbiculari; pedibus aequalibus; abdomine libero.

Characteribus horum generum expositis, enumerationem specierum mihi cognitarum exhibeo. Species numerosas indigenas hucusque descriptas forsan in pauciores reducere potuissem, si exempla omnium naturalia inquirere licuisset, cum descriptiones, imo et icones non semper sufficiant.

CONSPECTUS SPECIERUM.

I. GONYLEPTES KBY.

1. ACULEATUS Kby., Transact. of the Linn. Soc. tom. XII. p. 452.
2. HORRIDUS Kby. l. c. p. 452. tab. 22. f. 16.

3. Scaber Kby. l. c. p. 453.
4. Acanthopus Voyage de l'Uranie et Physicienne p. 546. tab. 82. f. 2. ♂ 3. ♀ Faucheur acanthope.
5. Spinipes. †
6. Armatus. † Sicuti praecedens in hoc opere descriptus et cum sequentibus, ultimo excepto in museo monacensi conservatus.
7. Asper. † Sordide testaceus, depressus, asperulus; spina postica utrinque laterali ad apicem curvata; spinulis posticis duabus mediis geminatis; coxis posticis undique spinulosis.
8. Curvispina. † Testaceus, depressus, glaber; spina postica utrinque laterali brunnea longa curvata.
9. Elegans. † Olivaceo-testaceus; plaga oculari fusca, ad latera albido-conspersa; cephalothorace postice punctis quatuor albis; spinis posticis nigris; coxis posticis versus apicem muticis.
10. Acanthurus. Dictionn. d'hist. nat. Ins. et Crust. ab. 60. Faucheur acanthure. Species omnes hujus generis Brasiliam habitant.

II. OSTRACIDIUM Pertt.

1. Fuscum. † Hic descriptum.
2. Succineum. † Totum glabrum, testaceum, margine laterali et coxis posticis asperulis fuscis. Cum praecedente majore Brasiliam habitans, in museo monacensi conservatum.

III. GONIOSOMA Pertt.

1. Varium. † Hic descriptum.
2. Squalidum. † Abdomine toto occulto; griseo fuscescens, punctis albidis numerosissimis conspersum. Praecedente plus duplo minor.
3. Ferrugineum. † Abdomine e parte occulto, supra spinuloso; totum brunneo-ferrugineum, pedibus pallidioribus.
4. Sulphureum. † Sulphureo-virescens, unicolor; cephalothorace utrinque spinula laterali, et duabus mediis: anteriore superne, posteriore inferne versa.
5. Conspersum. † Abdomine e parte libero; brunneo-ferrugineum, supra punctis albis conspersum, plaga oculari bispinosa; spinis duabus posticis erectis.
6. Roridum. † Abdomine toto occulto; cephalothorace depresso, fusco- et testaceo-vario, punctis albidis consperso; plaga oculari bispinosa. E majoribus.
7. Patruele. † Abdomine toto occulto; cephalothorace depresso, rufo-ochraceo, obsolete pallido-vario, postice truncato, infra coxas bispinoso.
8. Modestum. † Abdomine toto occulto; cephalothorace convexiusculo, rufo-ochraceo, obsolete pallido-vario; postice subrotundato, mutico.
9. Versicolor. † Abdomine toto occulto; cephalothorace valde depresso, fusco-flavo-vario; pedibus fuscis, flavo-annulatis.
10. Junceum. † Abdomine toto occulto; grisescenti-fuscum, opacum, pedibus albido-griseis.
11. Obscurum. † Abdomine toto occulto; fusco-ferrugineum, opacum, chelicornubus et palpis albidis.

Omnia Brasiliam habitantia, in museo monacensi asservata.

IV. STYGNUS Pertt.

1. Armatus. † Hic descriptus. Bras. Mus. monac.

V. EUSARCUS Pertt.

1. Grandis. † In hoc opere descriptus.
2. Pumilio. † Brunneo-fuscus, cephalothorace postice spina media. Praecedente plus duplo minor. Habitat ad flumen St. Francisci.
3. Armatus. † Brunneo-fuscus, opacus; cephalothorace postice utrinque spina laterali et media; coxis posticis articulo primo externe lobato. Praecedentis magnitudine.
4. Muticus. † Opaco-griseo-fuscus; cephalothorace mutico; pedibus perbrevibus. Praecedentibus minor.

Omnes Brasiliam habitantes, in museo monacensi conservati.

VI. COSMETUS Pertt.

1. Pictus. † Hic descriptus.
2. Bipunctatus. † Ferrugineo-brunneus; cephalothorace punctis duobus mediis flavis. Praecedente minor.
3. Conspersus. † Laete brunneus, punctis flavis conspersus.
4. Lagenarius. † Fusco-brunneus; cephalothorace figura flava lagenam referente.
5. Andreae. † Nigro-brunneus; cephalothorace margine laterali ad medium et cruce Andreae in dorso flavicantibus.
6. U-flavum. † Fusco-brunneus; cephalothorace figura flava, U latinum referente.
7. Varius. † Fuscus, margine undique et punctis numerosis dorsalibus albidis.
8. Marginalis. † Laete brunneus; margine laterali albo-consperso.

Omnes Brasiliae indigenae, in museo monacensi asservati.

9. Monacantha Hbst. Naturs. d. ungefl. Ins. 2. Hft. p. 19. nro. 6. tab. 2. f. 1. Ind. orient.

VII. DISCOSOMA Pertt.

1. Cinctum. † Hic descriptum. Bras. Mus. monacens.

VIII. PHALANGIUM Linn. Fabr. Latr. Leon Duf. etc. Opilio Hbst.

1. Parietinum Deg. Ins. 7. p. 68. nro. 1. tab. 10. f. 1. Hbst. l. c. p. 12. nro. 1. tab. 1. f. 1. 2. ♀ pag. 13. O. cornutus tab. 1. f. 3. ♂. Latreille, Hist. nat. d. Fourm. etc. p. 377. Ph. opilio Lin. Fabr. Ent. syst. tom. II. p. 429. ♀. Ph. cornutum Fabr. l. c. p. 430 ♂. Hermann, Mem. apterol. p. 98. tab. 7. fig. O. P. Q. tab. 9. f. k. Ph. parietinum ♀ l. c. pag. 102. tab. 8. f. 6. U. Ph. cornutum ♂. Scriptores vetustiores non allego, quia vix extricari potest, an hanc speciem aut aliam descripserint. Habitat in Suecia, Anglia, Germania, Gallia; asseverante Leon Dufour etiam in Hispania; vix vero in America, sicuti Fabricius dicit.
2. Rotundum Latr. l. c. p. 379. Araneus rufus, non cristatus List. pag. 40. (sec. Latreille) Herm. l. c. p. 108. tab. 8. f. 3.. Ph. chrysomelas (sec. Latr.) Verosimiliter etiam huc referendum est Ph. rufum Herm. l. c. p. 109. tab. 8. f. 1. Celeberr. Latreille et Hermann hanc speciem in Gallia, Leon Dufour in Hispania invenerunt.

3. Bicolor Fabr. l. c. tom. 2. p. 429. Hbst. l. c. p. 15. (tantum Fabricii verba allegat.) Helvetia.
4. Morio Fabr. l. c. p. 429. Hbst. l. c. p. 16. (tantum Fabricii verbis allegatis.) Norwegia.
5. Bilineatum Fabr. l. c. p. 430. Hbst. l. c. p. 24. (tantum Fabricii verba allegat.) Norwegia.
6. Diadema Fabr. l. c. p. 431. Müll. Zool. Danic. Add. 192. Ph. coronatum. Stroem. Act. Hafn. 9. p. 583. tab. 6. Hbst. l. c. p. 25. (tantum Fabricii verbis allegatis.) Norwegia.
7. Bimaculatum Fabr. l. c. p. 431. Latr. l. c. p. 376. Herm. l. c. p. 105. tab. 8. f. 4. Hbst. l. c. p. 25. tab. 3. f. 3. 4. Panz. Faun. germ. 17. 22. Angl. Germ. Gall.
8. Quadridentatum Cuv. Fabr. Ent. syst. suppl. p. 293. Hbst. l. c. 3. Heft p. 13. (tantum Fabr. verba allegat.) Latr. l. c. p. 375. Ph. spinosum. Gallia.
9. Rostratum Latr. l. c. p. 374. Gallia. An hujus generis?
10. Cristatum Oliv. Encycl. meth. tom. 6. p. 460. Latr. l. c. p. 375. Gallia.
11. Hystrix Latr. l. c. p. 376. Affinis praecedenti et O. hispido Hbst. t. 3. f. 1. 2. Herm. l. c. p. 107. tab. 7. f. 1. Gallia.
12. Muscorum Latr. l. c. p. 377. Gallia.
13. Palliatum Latr. l. c. p. 378. Hanc ad speciem celeberr. Latreille Ph. urnigerum Herm. l. c. p. 110. tab. 9. f. 2. 3. refert. Gallia, in alpibus.
14. Annulatum Oliv. Encycl. meth. tom. 6. p. 459. Latr. l. c. p. 378. Ph. annulatum Herm. l. c. p. 110. tab. 7. f. 2. C. D. E. F. G. H. I. verosimiliter huc referendum, quamvis celeberr. Latreille hanc speciem Ph. rotundato valde similem putat. Alpes Helvetiae, montes Pyrenaei.
15. Spinulosum Herm. l. c. p. 107. tab. 7. f. 1.
16. Helwigii Hbst. l. c. p. 16. tab. 1. f. 4. Panz. Faun. Germ. 13. 18. Brunsvigae, semel inventum.
17. Hispidum Hbst. l. c. p. 20. t. 3. f. 1. 2. Berolini.
18. Longipes Hbst. l. c. p. 22. tab. 2. f. 2. Berolini.
19. Fasciatum Hbst. l. c. p. 23. t. 4. f. 1. 2. Berolini.
20. Grossipes Hbst. l. c. 3. Heft. p. 1. tab. 6. f. 1. Germania.
21. Alpinum Hbst. l. c. p. 3. tab. 6. f. 2. Vallis Chamouny dicta, in Rhododendris.
22. Rupestre Hbst. l. c. p. 5. tab. 7. f. 1. Saxonia in cavis muscosis rupium; Monachii a me inventum.
23. Palpinale Hbst. l. c. p. 6. tab. 7. f. 2. Berolini sub lapidibus.
24. Horridum Hbst. l. c. p. 7. tab. 8. f. 1. Panz. Faun. Germ. 17. 21. Germania.
25. Spinosum Hbst. l. c. p. 8. tab. 9. f. 1. Dresdae.
26. Triangulare Hbst. l. c. p. 9. tab. 10. f. 2. Berolini.
27. Hemisphaericum Hbst. l. c. p. 11. tab. 9. f. 2. Dresdae. Monachii a me inventum.
28. Tricuspidatum Leon Dufour, Annal. de scienc. natur. tom. 22. p. 385. Hispan.
29. Crassum Leon Duf. l. c. p. 386. Hispan.
30. Lineola Leon. Duf. l. c. p. 387. Hispan.
31. Quadripunctatum. † Atrum; cephalothorace utrinque punctis duobus albicantibus, postice tuberculis 6; tarsis pallidis. Ph. bipunctato duplo major. Monachii inv.
32. Cornigerum Herm. l. c. p. 102. tab. 8. f. 2. E. F. G. Celeberr. Latreille interrogat, an haec species forsan pro masculo Ph. uncati habenda sit? Si vero structuram sic differentem respicere vis, identitatem specierum omnino negabis.

Species quoad genus dubiae:

1. Ph. FUSCO-FERRUGINEUM Act. de la soc. d'hist. nat. à Paris. 1792. tom. 1. p. 125. Phal. nro. 155. Cayennae. Verosimiliter Cosmeto adscribendum.
2. LIVIDUM Act. de la soc. etc. l. c. Phal. nro. 156. Cayennae. Verosimiliter Goniosomati adnumerandum.
3. UNCATUM Herm. l. c. pag. 106. tab. 8. f. 5. Palpos offert spinosos, structurae singularis, forsan proprium genus constiturum.

Nota. Phalangium melanotarsum Herm. l. c. p. 103. tab. 5. f. 2. ad Acaridias referendum est. Phalangium phaleratum Panz. Faun. germ. Init. 78. 21. non Phalangiis sed Epeirae aut Thomiso adscribendum est. Individuum depictum est masculum, palporum articulo ultimo inflato.

GONYLEPTES SPINIPES. † Depressus, testaceus; cephalothorace fusco-punctato, spinis duabus mediis erectis et postice utrinque una munito; pedibus praelongis, femoribus posticis spinulosis. Lg. 3''' vix. Tab. XXXIX. f. 12.

Habitat in Provincia Bahiensi.

E speciebus minoribus. Cephalothorax trigonus, depressus, testaceus, punctis fuscis asperatus, oculis minimis, nigris, postice utrinque spina et duabus mediis erectis munitus. Palpi corpore longiores, articulis duobus ultimis spinosis. Pedes praelongi, testacei, coxis posticis spinulosis. Subtus testaceus, glaber.

GONYLEPTES ARMATUS. † Ferrugineus; cephalothorace pone medium spinis duabus, postice utrinque una curva longa munito; tumulo oculifero bicorniculato; palpis et pedibus anticis 6 testaceis, posticis fusco-ferrugineis, coxis muticis. Lg. exempli unici 3'''. Tab. XXXIX. f. 13.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Praecedente paullo major, parum convexus. Cephalothorax trigonus, ferrugineus, granulis parvis asperatus, tumulo oculigero corniculis duobus erectis, pone medium tuberculis parvis duobus elevatis, postice utrinque spina longa subhamata. Palpi et chelicornua flavida: illi articulis duobus ultimis testaceis. Pedes breviusculi: antici testacei, postici fusco-ferruginei, coxis brevibus, asperis. Subtus ferrugineus, glaber.

OSTRACIDIUM PERTY.

CHARACTER ESSENTIALIS.

PALPI spinosi. CEPHALOTHORAX depressus, clypeiformis, antrorsum angustatus, postice muticus, truncatus. ABDOMEN totum in cephalothorace occultum. PEDES breviusculi, postici a reliquis remoti, coxis incrassatis, spinulosis.

CHARACTER NATURALIS.

PALPI corpore parum breviores, articulo penultimo et ultimo spinosis, ungue in ultimum replicando. CHELICORNUA brevia. CEPHALOTHORAX depressus, glaber, clypei-

formis; granulis obsitus, antrorsum angustatus, retrorsum dilatatus, ad latera rotundatus, postice truncatus, muticus; parte anteriore, ubi pedes antici sex inserti sunt, impressione profunda a posteriore separata. Tumulus oculiferus utrinque oculis duobus parvis, granulis duobus mediis. Abdomen totum occultum, tantum plicis visibilibus. Pedes breviusculi; antici sex a posticis remoti; postici coxis parum incrassatis, asperis, denticulatis. Abdomen totum in cephalothorace occultum plicis, quasi segmenta involuta referentibus instructum.

Nomen genericum a verbo ὄστρακον, testa, et εἶδος, facies, statura, qualitas. Duas species vidi unicolores.

Tab. XL. f. 1. OSTRACIDIUM FUSCUM. † Fuscum, glabrum; pedibus pallidioribus; palpis testaceis. Lg. exempli unici $4\frac{1}{3}'''$.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Cephalothorax fuscus, oculis sulphureis; lineis duabus transversis impressis. Palpi pallido-flavidi. Pedes fusci, tarsis pallidis. Subtus flavido-olivascens.

EUSARCUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi spinosi. Pedes inaequales, ultimi a reliquis remoti, coxis muticis. Corpus subovale, convexum, crassum. Abdomen e parte in cephalothorace occultum, postice spinosum aut tuberculatum.

CHARACTER NATURALIS.

Palpi corporis dimidio longiores, articulo penultimo et ultimo spinosis: hoc unguiculato. Chelicornua applicata, glabra. Tumulus oculiferus spinosus aut tuberculatus. Oculi duo extus ad basin tuberculorum aut spinularum. Corpus totum subovale, crassum, convexum, antrorsum angustatum. Cephalothorax ad insertionem paris tertii pedum profunde transversim impressus, retrorsum dilatatus, supra postice tuberculis vel spina una aut duabus mediis munitus. Abdomen e parte e cephalothorace porrectum, supra segmenta dua efformans, infra plicas quinque aut sex ostendens. Pedes inaequales, longitudinis mediae: postici a reliquis remoti, coxis praecedentibus crassioribus, muticis.

Nomen genericum a verbo εὔσαρκος, pinguis, carnosus. Quatuor vidi species unicolores, opacas.

Tab. XL. f. 2. EUSARCUS GRANDIS. † Fusco-ferrugineus, glaber, opacus; cephalothorace postice tuberculis duobus; palpis et pedibus anticis pallidis. Lg. exempli unici $5\frac{2}{3}'''$.

Habitat in Provincia Piauhiensi.

Chelicornua glabra, cum palpis griseo-testacea. Oculi nigri, tuberculis duobus intermediis. Cephalothorax fusco-ferrugineus, glaber, opacus, postice punctis duobus elevatis. Abdomen cum cephalothorace connatum, supra cingulis tribus elevatis, segmenta connata indicantibus. Subtus sanguineo-ferrugineus, plicis abdominalibus sex. Pedes sordide ferruginei, antici pallidiores; coxae posticae muticae.

STYGNUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi spinosi. Chelicornua maxima, crassa. Pedes inaequales, postici a reliquis remoti, coxis apicem versus incrassatis, spinulosis. Cephalothorax postice spinosus. Abdomen e maxima parte in cephalothorace reconditum.

CHARACTER NATURALIS.

Palpi corpore multo longiores, articulo penultimo et ultimo spinosis: hoc praecedenti applicando, unguiculato. Chelicornua a corpore distantia, maxima, crassa, glabra, polita. Oculi duo remoti, spina intermedia. Cephalothorax paene subquadratus, postice ad latera muticus, in medio spinis duabus acutis erectis. Abdomen paene totum occultum, supra segmentorum duorum aut trium vestigia, infra plicas offerens. Pedes inaequales, longiusculi: illi paris primi perbreves, tenuissimi; illi paris ultimi a reliquis remoti, coxis apicem versus incrassatis, spinulosis.

Nomen genericum a verbo στυγνὸς, invisus, malignus. Species tantum una mihi cognita.

STYGNUS ARMATUS. † Ferrugineo-fuscus; chelicornubus glaberrimis, politis; palpis testaceis. Lg. exempli unici 4'''. Tab. XL. f. 3.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Chelicornua glaberrima, polita, badia. Palpi testacei. Cephalothorax ferrugineo-fuscus, oculis duobus valde remotis, spina intermedia erecta; spinis duabus posticis erectis, et duabus minoribus horizontalibus. Pedes anteriores flavo-badii; postici ferruginei, coxis ad apicem subclavatis, seriebus duabus spinularum asperis.

GONIOSOMA Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi spinosi. Pedes longissimi subinaequales, postici a reliquis remoti, coxis muticis. Cephalothorax trigonus aut subtrigonus, postice ad latera subspinosus. Abdomen totum occultum.

CHARACTER NATURALIS.

Palpi corporis longitudine, crassiusculi, articulo penultimo et ultimo spinosis: hoc unguiculato. Chelicornua valida, ori applicata. Tumulus oculiferus bispinosus. Oculi duo, extus ad basin spinularum siti. Cephalothorax subtrigonus, ad insertionem pedum paris tertii profunde transversim impressus, depressus, postice ad latera spinulis brevissimis, in medio spinis satis magnis erectis armatus. Abdomen totum aut e maxima parte in cephalothorace occultum, tantum plicas ostendens. Pedes inaequales, longissimi: postici a reliquis satis remoti, coxis elongatis muticis.

Nomen genericum e verbis Γώνια, angulus et σῶμα, corpus. Genus speciebus numerosis, saepius variegatis.

Tab. XL. f. 4. GONIOSOMA VARIUM. † Abdomine toto occulto; sordide fusco-ferrugineum, caesio-varium; cephalo-thorace spinis duabus inter oculos, et duabus posticis erectis munito. Lg. corporis 5‴.

Habitat ad Amazonum flumen.

Species insignis, e maximis hujus generis. Chelicornua laevia, pilosula. Palpi testacei. Oculi minuti, flavi, pellucidi, spinis duabus parvis erectis. Cephalothorax sordide fusco-ferrugineus, maculis et lineis aliquot caesiis; postice spinis duabus erectis munitus. Subtus rufescens, glaber. Abdominis totius in cephalothorace occulti plicae virescentes. Pedes ferrugineo-fusci, tarsos versus pallidiores.

COSMETUS Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi mutici, chelicornua obtegentia. Pedes longi, tenues, subaequales, postici a reliquis remoti, coxis muticis. Corpus subtrigonum, convexiusculum, abdomine occulto.

CHARACTER NATURALIS.

Palpi corpore duplo breviores, compressi, mutici, in animali quiescente chelicornubus applicati, eaque obtegentes. Tumulus oculiferus muticus. Oculi duo. Cephalothorax subtrigonus, convexiusculus, postice ad latera muticus, in medio spinis duabus munitus. Abdomen totum occultum infra plicas offerens. Pedes omnes subaequales, longi, tenues; postici a reliquis remoti, coxis vix crassioribus, muticis.

Nomen genericum a verbo κοσμητὸς, ornatus. Species plures laete coloratae, amoene pictae.

Tab. XL. f. 5. COSMETUS PICTUS. † Ferrugineus; cephalothorace punctis aliquot, et figura fere V referente flavis: hac nigro-punctata. Lg. 3‴.

Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Totus ferrugineus, palpis et pedibus paullo pallidioribus. Oculi nigri. Cephalothorax antice figura fere V referente flava, nigro-punctata: postice punctis sparsis flavis, et spinis duabus erectis. Subtus ferrugineus, immaculatus.

DISCOSOMA Perty.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi mutici. Pedes longissimi; aequales, postici a reliquis remoti, coxis muticis. Cephalothorax orbicularis, muticus.

CHARACTER NATURALIS.

Palpi corpore plus duplo breviores, mutici, depressi, animali quiescente chelicornubus applicati, et ea obtegentes. Chelicornua ori applicata. Oculi duo, tumulo vix conspiciendo impositi. Cephalothorax discoidalis, convexiusculus, muticus. Abdomen paene totum in cephalothorace occultum, supra segmentum unum et secundi vestigium, infra plicas offerens. Pedes longissimi graciles aequales; postici a reliquis remoti, ab iis vix distincti, coxis muticis.

Nomen genericum e verbis δίσκος, discus et σῶμα, corpus. Tantum unam speciem vidi.

DISCOSOMA CINCTUM. † Fuscus, cephalothoracis margine undique albo. Lg. $2\frac{1}{4}'''$. Tab. XL. f. 6.

Habitat in Provincia Bahiensi.

Corpus totum brunneo-fuscum, glabrum, cephalothoracis margine undique albo. Palpi et pedes pallidiores: illi articulo ultimo pilosulo.

MYRIAPODA BRASILIENSIA.

FAMILIA : CHILOGNATHA.

Tab. XL. f. 7. POLYDESMUS GLABRATUS. † Rubescenti- aut griseo-albidus; pedibus rufescentibus utrinque triginta et uno; segmentis ad angulos rotundatis, supra glabris. Lg. 26 — 29‴.

Habitat inde ab ostio fluvii nigri (Rio negro) usque ad fines Imperii Brasiliensis.

Polydesmo complanato Fabr. plus duplo major. Color totius corporis variat, nunc rufescenti- nunc griseo-albidus. Corpus e duodeviginti segmentis compositum, duobus analibus apodis non numeratis. Segmenta supra glabra, ad latera subrotundata, margine reflexo. Oculi non conspiciendi, sed extra antennam utrinque tuberculus adest, qui oculum indicat.

Observatio. Fig. cit. a. refert pedem, b. c. d. genitalia feminina, e tuberculis quatuor pilosis per paria approximatis segmenti tertii apodi constantia, b. infra, c. a capite, c. a latere visa. Individuum masculum post tabulam jam incisam inveni, penes duos forcipatos in segmento septimo pedibus tantum 2 instructo gerens. Genitalium structura a specie Europaea vix differt.

Tab. XL. f. 8. POLYDESMUS CONSPERSUS. † Pallide ruber; maculis rubro-fuscis conspersus; segmentorum margine calloso; angulis omnibus acutissimis. Lg. exempli unici 42‴.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

E speciebus maximis mihi notis. Corpus totum pallide rubrum, glabrum; segmentis duodeviginti, analibus apodis non numeratis, subtilissime alutaceis, maculis et punctis fusco-rubris conspersis, margine laterali secante, calloso, angulis omnibus, praesertim posticis acutissimis; interstitiis laevibus, immaculatis. Oculos non conspicere potui. Pedes rufescentes.

Tab. XL. f. 9. POLYDESMUS SCABER. † Cinereus; supra granulosus, asper; segmentorum margine externo plano, dentato. Lg. exempli unici 30‴.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Species grandis, insignis, quoad asperitatem affinis P. granuloso Palis d. Beauv. (Ins. recueill. en Afr. et Amer. pag. 156. tab. 4. f. 4. e regno Oware) sed colore et segmentorum structura diversus. Totum corpus supra et subtus cinereum; supra asperatum, granulis albis conspersum, segmentis retrorsum paullo acutioribus, ad marginem lateralem tri- aut quatuor dentatis. Subtus cum pedibus testaceo-griseus. Oculi non conspiciendi, sed plaga pone oculos inaequalis fig. a depicta eorum locum indicat. Segmenta, analibus exceptis duodeviginti numeravi.

JULUS FESTIVUS. † Ferrugineus; utrinque serie punctorum, et vittis duabus dorsalibus nigris. Lg. exempli unici 26'''. Tab. XL. f. 10.

Habitat in montibus Provinciae Minarum.

Species insignis et elegans, Julo sabuloso Fabr. multo major. Corpus totum glabrum, nitidulum, ferrugineum, utrinque serie punctorum lateralium et vittis duabus latis totum dorsum percurrentibus nigris: e segmentis 50 valvulis anum includentibus non numeratis compositum. Antennae ad basin badiae, articulis reliquis nigricantibus. Oculi nigri, regulariter clathrati, et transitum ab ocellis cumulatis ad oculos lacunosos pulchre et clare ostendentes. Pedum badio-testaceorum in nostro individuo 96 paria numeravi.

CRUSTACEA BRASILIENSIA.

FAMILIA: ISOPODA CYMOTHOADA.

CYMOTHOA EXCISA. † Capite antice rotundato; segmento primo profunde emarginato; corpore pone medium dilatato; carinis femorum 8 posticorum exsertis; segmento anali latissimo. Lg. exempli unici 6½'''. Tab. XL. f. 11.

Habitat prope Sebastianopolin.

Tota testacea, glabra. Caput medio vix impressum, antice rotundatum. Segmentum primum profunde emarginatum, angulis anticis acutis. Segmenta corporis reliqua sensim et sensim latiora: anale transversum, latum, stylis minutis. Antennae subaequales, breves. Carinae femorum octo posticorum exsertae, prominentes, acutae.

NELOCIRA DESMARESTII. † Glabra, laevis, virescenti-grisea; segmento caudali ultimo reliquis majore; antennis aequalibus. Lg. exempli unici desiccati 3½'''. Tab. XL. f. 12.

Habitat prope Sebastianopolin.

Corpus elongatum, glabrum, laeve, virescenti-griseum, retrorsum acuminatum. Antennae externae et internae longitudine aequales, ex articulis numerosis compositae. Segmentum ultimum

abdominis reliquis satis longius, subtrigonum. Stylos anales liberos non conspicere possum, quamquam videtur, appendices connatos adesse.

Nota. De genere hujus speciei adhuc dubito. Corpus elongatum Nelocirae est, sed antennae quoad longitudinem aequales sunt, et styli anales deficiunt. Forsan cum specie altera, quam vidi, quae structura eadem gaudet, genus proprium constitura. Vocata in honorem celeberr. Dm. Prof. Desmarest, auctoris in Crustaceorum historia excellentissimi.

FAMILIA: ISOPODA ONISCIDES.

Tab. XL. f. 13. LIGIA GRANDIS. † Tota griseo-fusca, unicolor; antennarum flagello quindecim-articulato. Lg. 13'''.

Habitat prope Bahiam.

Ligia oceanica Lin. etc. parum major. Tota grisescenti-brunneo-fusca, unicolor, sub-alutacea, versus acumina lateralia segmentorum pallidior. Antennae externae corpore parum breviores, flagello quindecim-articulato; internae brevissimae, vix oculo armato detegendae. Styli anales non conspiciendi, sed exemplum nostrum verosimiliter mutilum.

Tab. XL. f. 14. LIGIA DILATATA. † Olivaceo-grisea; corpore retrorsum valde dilatato; stylis cauda brevioribus. Lg. 5'''.

Habitat prope Bahiam.

Species ab omnibus facillime distinguenda. Olivascenti-grisea, segmentis mediis et caudalibus pallidioribus, granulis asperatis. Segmentum quintum, sextum et septimum praecedentibus multo latiora; caudae segmentum primum et secundum maxima e parte sub praecedentibus occulta. Antennae externae corpore breviores; internae minimae, vix conspiciendae. Styli caudales cauda ipsa breviores.

Addenda et emendanda.

Pag. 2. loc. Megacephala laminata lege Megacephala limata.

Pag. 2. Odacantha basalis †, dorsalis Fabr. et brasiliensis Dej. nunc genus Leptotrachelus Latr. formant.

Pag. 3. Lebia signatipennis † est Lebia dorsalis Eschsch.; sicuti benevole communicavit celeberr. Dm. Hope, Anglus. Ubi descripta?

Pag. 6. Brachygnathus †. Species hujus generis post editionem fasciculi primi operis nostri in celeberr. Dejeanii opere eximio „Species general" tom. 5. pag. 594. seq. sub nomine Eurysoma describuntur. Ad Brachygnathum oxygonum † Eurysoma fulgidum Dej., ad Br. muticum † Eur. festivum Dej. referendum est. Celeberr. com. Dejean hoc genus ad Patellimanos vocat, quamvis de loco naturali adhuc dubitat.

Pag. 8. Scarites glypticus † affirmante celeberr. Dom. Hope pro altero sexu Sc. excavati Kby. habendus est.

Pag. 9. Oxystomus grandis †. L. c. de diversitati speciei dubitavi, et Coleopteron O. cylindrico valde affine putavi. Posthac, cum O. cylindricum Latr. comparare licuit, eum totum diversum a specie mea inveni.

Pag. 11. Platysma licinoides † verosimiliter Cynthiae Latr. (Regn. anim. tom. 4. p. 406) adscribendum est.

„ „ Amara marginella. † Haec species generi Oodes adscribenda, sicuti etiam celeberr. Zimmermann dicit. (Gistl, Faunus etc. 1. Hft. p. 16.) Species nostro O. metallico Dej. valde affinis videtur. (Spec. gen. tom. 2. pag. 379.)

Pag. 12. Harpalus Dejeanii. † Haec species fere eodem tempore a celeberr. Dom. com. a Dejean in opere excellentissimo, Species general etc. tom. 4. p. 117. sub nomine Selenophorus (Pangus) speciosus sibi descripta est.

Pag. 14. Species tres Bembidii generis loc. cit. descriptae Tetragonodero Dej. adscribendae sunt. In Bemb. pictum † Tetragonoderus crux Illig. (Elaphrus) satis quadrat, pedibus totis vero flavidis differt, cum in meo femora viridi aenea conspicio; Bemb. bifoveolum † inter Tetragonoderos hucusque descriptos non invenio; Bemb. xanthomelanum est Tetragonoderus variegatus Dej.

Pag. 20. Buprestis Klugii. † De patria hujus speciei pulcherrimae dubito. In collectione Dm. Oberleitner exemplum vidi, quod asseverante possessore e Senegambia translatum fuit.

Pag. 21. loc. Elater appendigulatus leg. Elater appendiculatus.

Pag. 22. Elater xylinus †, ligneus, furcatus, suturalis Fabr., distinctus Hbst. et fronticornis Dej. subgenus Pericallus Lepell. et Serv. constituunt.

Pag. 23. Piestocera. † An hoc genus Galbae Latr. affinis?

Pag. 24. Ceratogonys. † Hoc genus verosimiliter in Cryptostoma Dej. quadrat, cujus typus Elater spinicornis Fabr. est (non denticornis, sicuti dixit celeberr. Latreille). Species vero mea a Fabriciana distincta secunda hujus generis novi est, et cum Cryptostoma jam prius a celeberr. Blainville genus Gasteropodorum nominatum sit, nomen meum forsan praeferendum est.

Pag. 24. Drepanius †. Hoc genus non est novum, sed jam prius a celeberr. Fischer de Waldheim descriptum et Physodactylus nominatum. (Annal. d. scienc. nat. tom. III. pag. 448. tab. 27. B.) Celeberr. Fischer speciem eandem sub nomine Ph. Henningii descripsit.

Pag. 25. Atractocerus Dipterum † jam prius in Encyclop. meth. tom. X. pag. 309 sub nomine A. brasiliensis Dej. descriptus, sed nondum depictus est.

Pag. 29. loc. Dasytes antis † leg. Dasytes Dicksonii Kby. Huic speciei diversi auctores nomina varia imposuere, nam huc referendus est Dasytes gigas Dej. fasciatus Germ. equestris Klug.

Pag. 33. Paederus semicyaneus. † Species affinis videtur Paederus cyanipennis Guérin (Voyage de la Coquille, Atlas, Ins. tab. 1. f. 22.) Descriptionem vero hucusque non comparare potui, quare etiam patria hujus speciei mihi incognita est.

Pag. 34. Scaphidium castaneum. † Haec species ad familiam „Scutellata" pertinet, quamvis scutello minimo instructa sit. Forsan huc referendum Sc. ferrugineum Dej. Catal. pag. 45. e Cayenna.

Pag. 36. Chelonarium. Quoad degendi rationem hoc genus cum Serricornibus convenit, sicuti celeberr. Lacordaire observavit. (Annales des scienc. natur. tom. 20. pag. 243.)

Pag. 37. Canthones Illigeri a celeberr. Latreille Coprobii nominantur.

Pag. 38. Dendropaemon †. Hoc ad genus memorabile ex Ateuchidarum tribu, quod medium tenet inter Eurysternum et Onitidem, Ryssocheton Grey et Euryderus Hope, referendi sunt.

Pag. 40. Phanaeus planicollis †. Haec species forsan pro altero sexu Ph. Kirbyi Mac Leay habenda est.

Pag. 43. Acanthocerus Mac Leayi. † Loc. tab. IX. f. 4. (ad marginem) leg. tab. IX. f. 6. Antehac dubitavi, an species mea ab A. aeneo M. L. differat; cum vero hanc speciem comparare licuit, eam totam diversam ab A. Mac Leayi agnovi. Nomen Acanthocerus celeb. Palisot de Beauvois jam cimicum generi imposuit, (Ins. recueill. en Afrique et Amerique pag. 204. seq.) species vero vix a Coreo, aut Anisoscelide differunt.

Pag. 45. loc. Scarabaeus Glaucon † leg. Scarabaeus Glycon † Etiam in Tab. IX. f. 13. nomen Glaucon in Glycon mutandum est.

Pag. 51. Dicrania dichroa. † Species affinis, sed distinguenda est D. rubricollis Lep. et Serv. (Enc. meth. Ins. tom. 10. pag. 372.)

Pag. 53. Psilodon Perty. Hoc genus Lucanides arctissime cum Phileuro et per Phileurum cum Scarabaeidibus conjungit.

Pag. 55. Passalus spectabilis † forsan pro vero P. interrupto Fabr. habendus.

Pag. 56. Asida platynotos. † et

„ „ Asida picta † forsan Nycteliis Latr. adscribendae, quas hucusque non comparare potui.

Pag. 66. Lagria exsculpta † a nonnullis entomopolis sub nomine Monochamus (seu Upis) exaratus venditur.

„ „ loc. Ceratupis nigerrima † leg. furcifera Dalm. Descripta in Analect. entomol. p. 58. nro. 42. Huc rereferendus est Antimachus furcifer Gistl, Isis 1829, p. 1055. tab. III. fig. A. a.

Pag. 68. Arrhenodes decoratus † congruit cum Brentho mandibulari Dej. Cat. p. 82.

Pag. 69. Arrhenodes rhinoprion †. Huc referendus est Brenthus dentirostris St. Br. duplicatus Germ. est species valde affinis, forsan tantum sexu diversa.

„ „ Arrh. chalcites †. Huc referendus est Brenthus laevigatus St.

Pag. 77. Baridius rubinus. † Huc referenda est Baris fulgida Dej. Cat. p. 98. Hujus generis speciem valde memorabilem vidi, quae in capitulis carnosis florigeris et fructiferis plantae singularis, Helosis gujanensis Richardii degit, quare eam sub nomine „Baridius Helosidis" describo: B. nigricans aut ferrugineus, glaber nitidulus, rostro capitis thoracisque longitudine; thorace mutico, densissime punctulato, scutellum versus dilatato; scutello minutissimo; elytris impressionibus tribus transversis instructis, retrorsum angustatis, ad longitudinem striatis: striis subcrenato-punctatis. Lg. ad rostri apic. $2\frac{1}{2}'''$. Latit. hum. $1'''$. Exempla dua vidi. Color variat, nun ferrugineus, nunc ferrugineo-nigricans, capite thoraceque nigris.

Pag. 86. Prionus Martii † et flammiger † pag. 87. descriptus forsan generi Poecilosoma Lep. et Serv. adscribendi sunt.

Pag. 87. Psygmatocerus. Ad marginem delendum est: tab. XVII. f. 9.

Pag. 88. Psygmatocerus Wagleri. † Ad marginem: loc. Tab. XVII. f. 10. leg. Tab. XVII. f. 9.

„ „ Trachyderes variegatus. † Ad marginem: loc. Tab. XVII. f. 11. leg. Tab. XVII. f. 10.

„ „ Trachyderes microthorax. † Ad marginem: loc. tab. XVII. f. 12. lege tab. XVII. f. 11.

„ „ linea infima loc. Regne anim. tom. V. p. 1830. lege Regne anim. tom. V. pag. 113.

Pag. 91. Stenochorus conspicuus. † An Stenochorus tricolor Dej. Catal. p. 105. huc referendus ?

Pag. 95. Tapeina picea Lepell. et Serv. Asseverante celeberr. Dm. Hope, Anglo, Eurycephalus Grey cum genere Tapeina congruit.

Pag. 100. Chalepus dictyopterus et goniapterus. † Ad marginem: loc. tab. XIX. leg. tab. XX.

Pag. 105. Colaspis gemma. † Ad marginem: loc. tab. XIX. f. 7. leg. Tab. XXI. f. 7.

Pag. 106. Doryphora superba † est asseverante celeberr. Dm. Hope D. princeps sibi, depicta a celeberr. Grey.

Pag. 115. Spheniscus comptus. † Sane huic coleopterorum generi nomen aliud imponendum est, cum avium genus jam prius Spheniscus nominatum sit.

Pag. 128. lin. 23. loc. T. flavipenne leg. T. flavicolle.

Pag. 129. Cimbex venusta † C. sylvarum Latr. nimis affinis videtur.

Pag. 130. Lophyrus melanopterus. † Cum Lophyrus nomen jam dudum Reptilium generi concessum sit, Insectorum generi aliud imponendum est.

Pag. 131. Ophion spectabilis †. Loc. Habitat leg. Habitat ad flumen Rio negro dictum, Provinciae ejusdem nominis.

Pag. 147. Chrysantheda Perty. Species, quae ad hoc genus pertinent, a celeberr. Fabricio sub Euglossa enumerantur. Chrysantheda nitida † est Euglossa dentata Fabr. Praeter hanc speciem huic generi etiam adscribendae sunt: Euglossa cordata Fabr. Latr. spinosa, pallens Fabr. Euglossae verae tantum Centris dimidiata Fabr. et species affines adnumerandae sunt.

Pag. 159. Glaucopidis nomen jam prius avium et Chelonia reptilium generi impositum est. Si Glaucopidum nova et necessaria distributio perficeretur, etiam nomen inaptum deleri posset.

Pag. 164. loc. Scutellera † lege Scutellera eupoda. †

Pag. 167. Pentatoma grandispinum. † Species affines depinxerunt, Stoll, Cimic. tab. 25. f. 174. et Hahn, Icones ad Monographiam Cimicum 1. Heft, Centroproctus Westerhauserii.

Pag. 169. loc. Phlaea livida † leg. Storthia livida †. Species descripta cum affinibus proprium genus constituere debet, diversum a Phlaea, quam tempore, quo descriptio cimicis nostri imprimebatur, non comparare licuit, quam vero nunc ante oculos habeo.

STORTHIA Perty.

(Geocorisae longilabres.)

Character essentialis.

Antennae subquinque-articulatae: art. 1° sub capite recondito, 2° et 3° subdistinctis, quarto breviore, quam quinto. Caput quadrilobum, lobis externis acutis. Rostrum corpore duplo brevius. Corpus planum. Abdomen postice hemelytris latius.

Quoad antennarum articulationem et articulorum numerum in hoc generi rationes memorabiles inveni. Tres species in museo nostro exstant, sed exemplis paucissimis, et e parte mutilis. In exemplo Phlaeae li-

vidae depicto antennas 4 - articulatas observavi, sed articulus secundus quasi divisionem obsoletam in duos offert; articulus primus est sub capite reconditus, secundus valde elongatus, in duos subdivisus, tertius et quartus praecedente breviores, fere aequales. In altero exemplo hujus speciei antennae arcte 5 - articulatae conspiciuntur. In specie secunda, St. asperula † (testaceo - grisea; thorace subsinuato, subdentato, cum scutello punctis asperato) antennas iterum subquinque - articulatas vidi, nempe articulus secundus in duos subdivisus est. In specie tertia, St. cydnoides † (badio - grisea, thorace subangulato) antennae desunt. Omnes hae species caput quadrilobum offerunt, sed loborum proportione paullo differunt. Thorax antice profunde emarginatus, lateribus rotundatis. Scutellum magnum, trigonum. Hemelytra abdomine angustiora, membrana duplo breviore, quam corio. Anus utrinque appendiculo libero. Pedes breves, tenuiusculi. Colores pallidi, luridi.

Genus Pentatomati proximum. Nomen a verbo στόρϑη mucro, aspis, ob capitis lobos mucronatos.

Pag. 173. Reduvius brachiatus. †. Haec species generi Peirates celeberr. Serville adscribendus est. (Annal, d. scienc. nat. tom. XXIII. p. 213. seqq.) Praeter species undecim hucusque descriptas plures novas vidi, quas alio loco describam.

Pag. 175. et Tab. XXXIV. f. 16. loc. Platycoris Perty leg. Homalocoris Perty, nam nomen Platycoris jam a celeberr. Guèrin cimicum generi a meo diverso impositum est. (Voyage de la Coquille tab. 11. f. 16. Platycoris rubro - marginata Guèrin. tab. 12. f. 3. Platycoris bipunctata Guèrin.) Nomen nostrum e verbis ὁμαλὸς, planus, aequalis et κόρις, cimex, formatum est.

„ „ loc. Platycoris varia leg. Homalocoris varia.

Pag. 179. Generi Darnis etiam Membracis albimacula Germ. (Arch. Bd. 4. p. 14.) adnumeranda est, quam celeber. Latreille generi suo Tragopae adscripsit. (Regne anim. tom. V. pag. 219.)

Pag. 182. Hadrus. † Huic generi praeter species l. c. allegatas etiam sequentes adscribendae sunt: Tabanus tibialis Fabr. Wied. Aussereurop. zweifl. Ins. Bd. 1. pag. 164. tristis Wiedem. l. c. et forsan etiam T. theotaenia Wied. l. c. p. 136. et bivittatus Wied. l. c. p. 193.

Pag. 187. Longina Wiedemanni. † Hoc ad genus etiam referendum est Macrotoma Peleterii de Laporte, Annales de scienc. natur. tom. 25. pag. 459. e Cochinchina.

Pag. 193. Generi Acrosoma praeter species jam indicatas etiam adscribendum est Acrosoma notacantha. (Araignée notacanthe, Voyage de l'Uranie et Physicienne pag. 544. tab. 82. f. 6. 7.) Lectum prope Port Jackson nov. Holl.

Index
generum et specierum descriptarum.

Synonyma aut species allegatae litteris italicis describuntur.

Numeri priores paginas indicant.



56

* * *

Opera in descriptionibus citata.

Acta nova Physico-medica Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum 4.

Actes de la Société d'histoire naturelle de Paris. 4.

Annales du Mus. d'hist. naturelle. Paris 4.

Annales des Sciences naturelles par M. M. Audouin, Ad. Brongniart et Dumas. Paris 8.

Dictionnaire classique d'histoire naturelle. Paris 8.

Isis, encyclopädische Zeitschrift etc. Herausgegeben von Oken. 4.

Mémoires du Mus. d'histoire naturelle. Paris. 4.

Mémoires de l'Academie de St. Petersbourg. 4.

Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle. Par. 8.

Nouveau Dictionnaire des sciences naturelles. Paris. 8.

Transactions of the Linnean Society. London 4.

Zoological Journal, edited by Vigors. Lond. 8.

* * *

Cramer, Papillons exotiques de trois parties du monde, l'Asie, l'Afrique et l'Amerique etc. 4 Vol. 4. Amsterdam. 1779 — 82.

Dalman, Analecta entomologica 4. Holmiae 1825. Hujus operis tantum epitome incompleta usui fuit.

Dejean, Catalogue des Coléoptères. Par. 8. 1821.

" Species général des Coléoptères. 6 vol. 8. Paris 1825 — 31.

Desmarest, Considerations générales sur la classe des Crustacées etc. 8. Paris. 1825.

Drury, Illustrations of Natural-History. 3 vol. 4. London 1770 — 82. Tomum modo primum et secundum vidi.

Eschscholtz, Zoologischer Atlas. 3 fascic. Fol.

Esper, Ausländische Schmetterlinge. 4. Vol. I.

Fabricius, Entomologia systematica emendata et aucta. 4 vol. 4. Hafniae. 1792 — 94.

" Supplementum Entomologiae systematicae. 8. Hafniae. 1798.

" Systema Eleutheratorum. 2 vol. 8. Kiliae. 1801.

" Systema Rhyngotorum. 8. Brunsvigae 1801.

" Systema Piezatorum. 8. Brunsv. 1804.

Fabricius, Systema Antliatorum. 8. Brunsv. 1805.

Geer de, Mémoires pour servir a l'histoire des Insectes. 7 vol. 4. Stockholm. 1752 — 78.

Germar, Magazin der Entomologie. 4 vol. 8. Halae. 1813 — 21.

" Insectorum species novae. Tom. I. Halae. 1824.

Godart, Encycl. method. Ins. vol. IX. e parte.

Gravenhorst, Monographia Coleopterorum micropterorum. 8. Gottingae. 1806.

Hahn, Monographie der Spinnen. 4. 4 Fascic. Fasciculum tantum primum, secundum et quartum vidi.

Herbst, Natursystem der ungeflügelten Insecten. 4 Fascic. 4. Berolini 1797 — 800.

Jurine, Nouvelle methode de classer les Hyménoptères et les Diptères avec fig. Hymenoptères. 4. Genève. 1807.

Kirby, Some further Remarks of the Nomenclature of Orthoptera, with a detailed description of the Genus Scaphura; Zoologic. Journ. tom. 2. pag. 9. seqq. cum tab.

" A Description of some new genera and species of Petalocerous Coleoptera. Zool. Journ. tom. 3. pag. 144. cum tab.

" A Description of some Coleopterous Insects in the Collection of the Rev. F. W. Hope; Zoolog. Journ. tom. 3. pag. 520. seqq. cum tab.

" Century of Insects; Transact. of the Linn. Soc. Tom. XII.

" Introduction to Entomology by Kirby and Spence. Uebersetzt von Oken. 4 Bd. 8.

Klug, Doubletten-Verzeichniss. Berlin 8. 1829.

" Entomologische Monographieen. 8. c. tab. Berol. 1824.

" Specimina Entomologiae Brasilianae, in Act. nov. Phys. med. Acad. Caes. Leop. Carol.

Kollar, Monographia Chlamydum. gr. Fol. cum tab. Vindob. 1824.

Latreille, Encyclopédie methodique, Insect. Tom. IX. et X. e parte. Paris. 1819 — 25.

" Genera Crustaceorum et Insectorum. 4 vol. 8. avec. fig. Paris 1806 — 9.

Latreille, Histoire naturelle des Fourmis etc. 8. Paris 1802.

„ Regne animal, distribué d'après son organisation par M. Cuvier, tom. IV. et V. Animaux articulés condylopodes.

„ Voyage de M. M. Humboldt et Bonpland. Partie Zoologique, Insectes.

Leach, Zoological Miscellany, 3 vol. 8. London. 1817.

Lepelletier de St. Fargeau, Encyclop. method. Ins. tom. X. e parte.

Manoel Arruda da Camara, Memoria sobre a Cultura dos Algodoeiros. Lisboa 1796.

Olivier, Encyclop. method. Ins. tom. V — VIII.

„ Entomologie, ou L'histoire naturelle des Insectes. Coléoptères. 5. vol. 4. c. tab. Paris 1789 — 808. Exemplar, quod usui fuit, incompletum est.

Palisot de Beauvois, Insectes recueillies en Afrique et en Amerique etc. Fol. avec planch. Paris 1805. seqq.

Perty, Ueber einige Fühlerformen der Käfer, und eine neue Sippe: Psygmatocerus. Isis 1828. pag. 737. seqq.

Schönherr, Synonymia Insectorum, cum Appendice et Curculionidum dispositione methodica. 8. 1806 — 26.

Serville, Encyclop. meth. Ins. tom. X. e parte.

„ Orthopterorum dispositio; Annales des sciences naturelles. tom. XXII.

Spix und Martius Reise in Brasilien etc. 3 vol. 4. Monachii 1823 — 1831.

Stoll, Abbildungen und Beschreibungen der Cicaden etc. aus dem Holländischen übersetzt. Mit Kupf. 4. Nürnberg 1792.

„ Abbildungen und Beschreibungen der Wanzen etc. aus dem Holländischen übersetzt. Mit Kupf. 4. Nürnberg 1792.

„ Représentation exactement coloriée d'après nature des spectres, des mantes, des sauterelles etc. Fascic. 8. 4. Amsterd. 1787 seqq.

Swainson, Zoological Illustrations, or original Figures and Descriptions of new, rare or interesting animals. 3. tom. 8. London 1820 — 1823.

Thunberg, Blattarum novae species descriptae; Mémoires de l'Academie de St. Petersbourg, tom. X. pag. 275. seqq.

Vigors, Descriptions of some rare, interesting, and hitherto uncharacterized subjects of Zoology; Zoological Journal tom. I. pag. 409. 526. tom. 2. pag. 254. 510. seqq.

Walckenaer, Histoire naturelle des Aranéides. Fascic. 5. 8. min. Paris. Tantum incompleto exemplo uti potui.


„ Tableau des Aranéides. 8. Paris 1805.

Wiedemann, Aussereuropäische zweyflügelige Insecten. vol. 2. 8. Hamm. 1828 — 30.

Wolff, Icones cimicum, descriptionibus illustratae. 4 Fascic. 4. Erlangae 1801 — 4.


Finitum in officina typographica Caroli Wolf, Doctoris, Idibus Decembris MDCCCXXXIII.

Insecta secundum naturam depinxerunt: *Eggard*, *Schach* et *Unger*, in lapide sculpsit *Siegrist*; tabulas vivis coloribus exhibendas curavit *Minsinger*.



1. Megacephala Martii
2. Megacephala femoralis
3. Megacephala laminata.
4. Casnonia varicornis.
5. Odacantha basalis
6. Lebia sulcata
7. Lebia signatipennis.
8. Lebia grammica
9. Pachyteles laevis
10. Gener. Pachytelis Analys.
11. Pachyteles striola.
12. Leptodera undulata
13. Calleida cyanipennis.
14. Galerita brachinoides
15. Brachinus pachygaster






1. *Brachygnathus muticus.* 2. *Gener. Brachygnathi Analys.* 3. *Brachygnathus oxygonus.*
4. *Scarites glyptieus.* 5. *Scarites melopinus.* 6. *Scarites heterogrammus.* 7. *Oxystomus grandis.*
8. *Camptodontus cayeñensis.* 9. *Calosoma granulatum.* 10. *Anchomenus hæmorrhous.* 11. *Poecilus crocipes.*
12. *Poecilus parallelus.* 13. *Poecilus thalassochroma.* 14. *Poecilus elegans.* 15. *Poecilus planodiscus.*






1. Platysma liciniides. 2. Amara marginella. 3. Selenophorus limbolaris. 4. Harpalus Dejeanii. 5. Harpalus fulgens 6. Harpalus violaceus. 7. Ceratognathus scaritides. 8. Notiobia nebrioides. 9. Bembidium pictum. 10. Bembidium bifoveolum. 11. Bembidium leucomelanum. 12. Dyticus marginithorax 13. Dyticus pumilio 14. Gyrinus cinctus. 15. Gyrinus chalybaeus. 16. Gyrinus sulcatus.






1 Buprestis Al. aurantiacum 2 B. vulnerata 3 B. parallelogramma 4 B. speculigera. 5 B. angularis 6 B. insignis. 7. B. nobilitata. 8. B. gymnopleura. 9 B. inconstabilis 10 B. argentosparsa 11. B. 20. guttata. 12. B. argyrophora. 13. B. ichthyocerca. 14. B. chrysolytria. 15. B. areolata. 16. B. Klugii.






1. Élater ruber. 2. É. flaviceps. 3. É. abdominalis. 4. É. ophthalmicus.
5. É. appendiculatus. 6. É. bidens 7. É. geminatus. 8. É. lampyrinus.
9. É. mucronatus 10. É. xylinus. 11. Piesthocera dircaeoides. 12. Cratogonys rufithorax.
13. Drepanus clavipes. 14. Analys: gener: Drepanii 15. Atractocerus Dipterum.






1. Homalysus blattinus. 2. H. scissiventris. 3. H. telephorinus. 4. H. picipennis
5. H. moestus. 6. Lampyris vitellithorax. 7. L. concolor. 8. L. cossyphina.
9. Telephorus xanthomelas. 10. T. fenestratus. 11. T. cyanomelas. 12. T. malthinius
13. Dasytes antis. 14. D. cyanorythrus. 15. D. 6_maculatus. 16. Notoxus rufitarsis.






1. Leistotrophus ater. 2. Staphylinus rutilus. 3. St. cyanelytrius. 4. St. biplagiatus.
5. St. saphyreus. 6. St. Gravenhorstii. 7. Leptochirus brunnee niger. 8. Paederus semicyaneus.
9. Piestus oxytelinus. 10. Scaphidium castaneum. 11. Peltis brasilica. 12. Nitidula setulosa.
13. Lascodactylus brunneus. 14. Trypanaeus thoracicus. 15. Chelonarium ornatum. 16. Ch. haemorrhoum






1. *Canthon coronatus.* 2. *C. sulcatus.* 3. *C. oxygonus.* 4. *C. lituratus.*
5. *Eurysternus viridis.* 6. *E. piceus.* 7. *E. opatrinus.* 8. *Onitis aeruginosus.*
9. *Phanaeus chalcomelas.* 10. *P. ensifer.* 11. *P. ensifer.* 12. *P. thalassinus.*
13. *P. planicollis.* 14. *P. chrysoerythrus* 15. *P. subtricornis.* 16. *Onthophagus nitidulus.*






1. Onthophagus cruentus. 2. Copris. smaragdina 3. C. protensa. 4. C. decorata.
5 O. Hybosorus gibbus 6 . Acanthocerus . Mac Leayi 7 Phileurus sinodendrius. 8. Ph. piliger.
9. Ph. bajulus 10. Scarabaeus Pan. 11. S. Aidoneus. 12. S. Titornus.
13. S. Glaucon 14. S. Nausen 15. Cyclocephala scarabaeina. 16. C. brevis.






1. *Rhinaspis Schrankii.* 2. *Euchlora cicatricosa.* 3. *Geniates opacus.* 4. *G. pruinosus.*
5. *Serica pelliculata.* 6. *S. asperula.* 7. *Pelidnota chalcothorax.* 8. *P. auripes.*
9. *Pelidnota xanthogramma.* 10. *P. cuprea.* 11. *Rutela flavovittata.* 12. *R. ornata.*
13. *R. heraldica* 14. *R. coerulea.* 15. *R. lauta.* 16. *R. smaragdina.*






1. [illegible] 2. [illegible] Fapuye 3. [illegible] Fabricu 4. Macrodactylus haemorrhous.
5. [illegible] 6. Macraspis [illegible] 7. Mc. [illegible] 8. Mc. brunnea.
9. [illegible] 10. [illegible] scutellata 11. [illegible] 12. [illegible] Schuberti
13. [illegible] 14. Passalus armatus. 15. [illegible] spectabilis 16. Sp. pelliculatus.






1 Tentyria strupuncta 2. Asida platynotes 3. A. picta 4. Opatrum grammicum
5 Tenebrio opatroides 6 T. maximus. 7 T. angulatus. 8. Ceratupus nigerrima.
9 Nolapula Chiae 10 Cyclosoma unicolor 11 Diaperis maculata 12. D. cruenta
13 P. storus pernosctus 14 Helops luquinus. 15 Helops flavus. 16 H. geometricus






1. Helops hieroglyphicus 2. Strongylium humerale 3. St. flavicorne. 4. Gonodera crenata.
5. Lystronychus equestris. 6. Allecula helopina. 7. A. catopina. 8. Acropteron rufipes.
9. A. aeneum 10. Xenopalpus lineatus. 11. Lagria exsculpta. 12. Rhipidophorus rubro-pictus.
13. Pelecotoma lutea 14. Oera apicalis 15. Nemognathus coeruleipennis. 16. Tetraonyx 6-guttata






1. Bruchus leucopygus. 2. Brachytarsus parallelus. 3. Nemocerus anutinus. 4. Attelabus cupripennis.
5. Arrhenodes decoratus. 6. A. opacus. 7. A. chalcites. 8. A. rhinoprion.
9. Ulagus tarrancularius. 10. Rh. coelestinus. 11. Rh. mutillarius. 12. Rh. myrmosarius.
13. Rh. phaleratus. 14. Enimus nigrosparsus. 15. Dinomorphus pimelioides. 16. Brachyderes glaucus.






1. *Sipnocerus leucogaster*. 2. *S. dapsilis*. 3. *S. capucinus*. 4. *Cyphus Schoenherri*.
5. *C. Spixii*. 6. *C. hilaris*. 7. *Lordops principalis*. 8. *Hypsonotus cathetoplateus*.
9. *Heilipus tuberculosus*. 10. *H. tricolor*. 11. *H. rufipes*. 12. *H. melanopus*.
13. *H. planiusculus*. 14. *Baridius variegatus*. 15. *B. ebeninus*. 16. *B. rubinus*.






1. Dionymerus altus. 2. Centrinus basalis. 3. Gnioperus griseus. 4. Larinus ocelliger.
5. Cratosomus fasciatus. 6. C. phaleratus. 7. C. tuberculatus. 8. Gorgus hoplites.
9. Homalinotus colossus. 10. Dionychus alboguttatus. 11. Desmosomus longipes. 12. Calandra Germari.
13. C. cinnamomina. 14. Cossonus bulbirostris. 15. Apate furcata. 16. Palaestes bicolor.






1. *Parandra mandibularis.* 2. *Tropidosoma Spencei.* 3. *Prionus pictus.*
4. *P. pulcherrimus* 5. *P. Cocus.* 6. *P. Martii.*
7. *P. flammiger.* 8. *Anacolus praeustus.* 9. *Psygmatocerus Wagleri.*
10. *Trachyderes variegatus.* 11. *T. microthorax.*





1. Hamalopterus tristis. 2. Chrysoprasus aurigenus. 3. Stenochorus planus. 4. Cosmius ♀ ochraceus
5. Stenochorus suturalis. 6. Acanthoptera violascens. 7. Id. gummosa. 8. Eryphus humeralis.
9. Callidium tricolor. 10. Eryphus bipunctatus. 11. Stenochorus conspicuus. 12. Cosmius leucogramma
13. Compsa albopicta. 14. C. flavopicta. 15. Gnoma purpurea. 16. Clytus magicus.






1. Rhinotragus marginatus 2. Rh. festivus 3. Stenopterus braconides 4. Mesosa sericea
5. Acanthocinus speculifer. 6. A. scopifer. 7. Tapeina picea. 8. Hypselomus cristatus.
9. Colobothea lanceolata. 10. C. hystrix 11. Saperda incensa. 12. S. triangularis.
13. S. cava. 14. S. lichenigera. 15. S. diophthalma. 16. Rhagium daedaleum.






1. Megascelis purpurea. 2. Alurnus thoracicus. 3. A. dichrous. 4. A. cyanipennis.
5. Chalepus dictyopterus. 6. Ch. gonopterus. 7. Aroeus labiatus. 8. Himatidium complanum.
9. H. decorum. 10. H. nimbatum. 11. Cassida haematophila. 12. C. iris.
13. C. [illegible]. 14. C. 5-fasciata. 15. Clythra heterogramma. 16. C. sericata.






1. Cryptocephalus carmelus 2. C. Kollari 3. Lamprosoma amethystinum 4. L. aurichalceum.
5. Eumolpus cerasinus 6. E. pictus. 7. Colaspis gemma. 8. C. tricolor.
9. Doryphora superba. 10. D. anastomozans. 11. D. 14. oculata. 12. D. phalerata.
13. D. chalene 14. Chrysomela decorata. 15. Ch. venustissima. 16. Ch. leucomelaena.






1. Galleruca xanthopus 2. G. augusta. 3. Chariessa ramicornis. 4. Oedionychus sericeus.
5. O. leptocephalus 6. O. viridis. 7. O. porculus. 8. Erotylus. incomparabilis.
9. E. pretiosus 10. Eumorphus convexus. 11. Endomychus pictus. 12. Stenotarsus brevicollis.
13. Coccinella violacea 14. Lygistes obscurus 15. Isonelus castaneus. 16. Artematopus longicornis.






1. Blatta complanata. 2. Bl. macularia. 3. Bl. leucogramma. 4. Bl. laticornis.
5. Mantis concinna. 6. M. hyaloptera. 7. Gryllotalpa oxydactyla. 8. Gr. tetradactyla.
9. Gr. hexadactyla. 10. Cerberodon viridis. 11. Scaphura ferruginea. 12. Sc. nitida.




24






1 *Libellula fasciata*. 2 *L. Lais* 3 *L. Phryne* 4. *Agrion filiola*.
5 *Myrmeleon elegans* 6 *Hoplophora valida*. 7. *H. tenuis*.
8 *Termes fatale*. 9 *T. destructor*. 10. *T. nasutum*. 11. *T. flavicolle*.
12. 13. 14. 15. *Larva et milites Termitum*. 16. *Phryganea maculata*.



2c.



1 Cimbex cornuta 2 Pachylosticta chalybea. 3. Syzygonia aenea. 4. S. cyanoptera
5 Schyzocera xanthoptera 6 S. hyaloptera. 7 Lophyrus melanopterus. 8. Pelecinus polycerator
9 Stenceps curupennis 10 Ophion spectabilis. 11. Phlebopenes splendidus. 12. Pimpla caloptera.
13 Bracon exsculptor 14 Alomya moerens 15 Ichneumon ferruginator 16. Chalcis aenigastra.






1. [illegible] [illegible] 2. [illegible] [illegible] 3. Ponera gigantea 4. Cryptocerus clypeatus 5. Eciton armigerum

6. Mutilla melanocephala. 7. M. chrysodora 8. M. bucephala 9. M. gigantea. 10. Myrmecoda varia

11. [illegible] 12. Typhia bipunctata 13. Scolia dubia 14. Scolia haematogastra. 15. Liopteron compressum.


16. Pompilus [illegible] 17. P. [illegible] 18. Pepsis abdominalis 19. Sphex [illegible] 20. Pompilus phaleratus





1. Pepsis elevata. 2. P. decorata. 3. Monedula magnifica. 4. Zethus lugubris.
5. Dolichogastra fusca. 6. Brachygastra analis. 7. Liogastra bicolor. 8. Chrysantheda nitida
9. Cnemidium viride. 10. Oxaea rufipes. 11. Xylocopa moerens. 12. X. flavicrus.
13. Centris smaragdina. 14. Euglossa dimidiata. 15. 16. Thoracantha striata.






1 et 1 b. Papilio Mantius 2 et 2 b. P. Sylla
3 et 3 b. P. Zonaras 4. et 4 b. Colias Godarti






1 et 1 b Heliconius Dorala 2 et 2 b Acraea Phlegetontia.
3 et 3 b Polyommatus valens 4 et 4 b Biblis Hesperia
5 et 5 b Hesperia versicolor 6 et 6 b H. St Hilarii
7 Castnia Latreillei.






1. Castnia Euphrosyne. 2. C. Spixii. 3. Sphinx chloroptera. 4. Glaucopis aeroxantha.
5. G. xanthogastra. 6. G. haematica. 7. G. tristissima. 8. G. cruenta.
9. G. vesparia. 10. G. chrysogastra. 11. G. leucostigma.
12. G. sphingidea. 13. G. bombycina. 14. G. Sericaria.






1. *Scutellera decorata.* 2. *Sc. dichroa.* 3. *Sc. eupoda.* 4. *Sc. ochrocyanea.*
5. *Scaptocoris castanea.* 6. *Cydnus mutabilis.* 7. *Pentatoma macraspis.* 8. *P. grandispinum.*
9. *P. leucogrammum.* 10. *P. macrocnemis.* 11. *P. acroleucum.* 12. *Dinidor mutabilis.*
13. *Storthia livida.* 14. *Coreus serrulatus.* 15. *C. cornutus.* 16. *C. sculptus.*







1. *Diactor elegans.* 2. *Merocoris tristis.* 3. *Pachylis Hopei.* 4. *Anisoscelis ruficrus.*
5. *Alydus vespiformis.* 6 *Lygaeus xanthomelas.* 7 *L. ruficeps.* 8. *L. scapha.*
9. *L. mutilus.* 10. *Reduvius brachiatus.* 11. *Reduvius inflatus.* 12. *R. vesiculosus.*
13. *R. coccineus.* 14. *R. leucogrammus.* 15. *R. iopterus* 16. *Platycoris varia.*






1. *Cicada tympanum*. 2. *C. polychroa*. 3. *Flata haemoptera*. 4. *Lystra flavopunctata*.
5. *Lystra lugubris*. 6. *Poeciloptera nodipennis*. 7. *Membracis clavata*. 8. *M. inflata*.
9. *Membracis cucullata*. 10. *M. melanogramma*. 11. *Darnis elegantula*. 12. *D. aenea*.
13. *Darnis melanostigma*. 14. *Centrotus cruciatus*. 15. *Bocydium ancora*. 16. *Tettigonia concinna*.






1. Cotheria nigrita 2. Saphria leptogastra. 3. S. Macquartii 4. S. coarctata.
5. Asilus infernalis 6. Dasypogon rufimanus 7. Lasia amethystina. 8. Pangonia castanea
9. Mydas lepidotus. 10. M. chalybeus 11. Mydas heros. 12. Hermetia rufiventris
13. Cyphomyia chrysodota. 14. Stratyomys mutabilis 15. Acrochaeta elegans






1. Sargus Fallenii 2. S. Macquartii. 3. Eristalis decorus. 4. Microdon cyaneus.
5. Trichopoda pilipes. 6. Mesembrina quadrilineata. 7. Dexia melaleuca. 8. Heleomyza pulchella.
9. Diaugia angusta 10. Calobata Meigenii. 11. Longina Wiedemanni 12. Micropeza loripes.
13. Thecomyia longicornis. 14. Ropalomera spinosa 15. Hippobosca nigra. 16. Lipoptena Phyllostomatis






1. *Mygale fusca*. 2. *M. ochracea*. 3. *M. Walkenaerii*. 4. *M. pumilio*.
5. *Thamnasia senilis*. 6. *Theridion adspersum*. 7. *Acrosoma scutatum*. 8. *A. Vigorsii*
9. *A. Schreibersii*. 10. *A. Swainsonii*. 11. *A. Kirbyi*.
12. *Senelops Spixii*. 13. *Micrommata setulosa*. 14. *Lycosa tarantuloides*





1. Lycosa ornata. 2. Phoneutria rufibarbis. 3. Phoneutria fera. 4. Dolomedes concolor. 5. Idiops fuscus. 6. Actinopus tarsalis. 7. Salticus igneus. 8. Salticus sumptuosus. 9. Myrmecia nigra. 10. Phrynus variegatus. 11. Scorpio bahiensis. 12. Gonoleptes spinipes. 13. Gonoleptes armatus.





1. Ostracidium fuscum. 2. Eusarcus grandis. 3. Stygnus armatus. 4. Goniosoma varium.
5. Cosmetus pictus. 6. Discosoma cinctum. 7. Polydesmus glabratus.
8. Polydesmus conspersus. 9. P. scabei. 10. Julus festivus.
11. Cymothoa excisa. 12. Nelocira Desmarestii. 13. Ligia grandis. 14. L. dilatata







